Prioris, & poſterioris iuriſgentium tres differentiæ, ex Gratiano, & Diuo Thoma. fol.53. nu.15.
Priore iure gentium dominus ſeruo naturaliter obligatur. fol.52. nu.2.
Prius, & poſterius iuſgentium non modo inter ſe diuerſa uidentur, ſed planè contraria. fol.52. nu.1.
Priuata conuentio duplex traditur in l.conuentionum. ff.de pactis. fol.66. nu 12
Probitas à prudentia ſeiungi non poteſt fol.10. nu.3.
Proborum hominum præmium ampliſsimum, rectè factorum conſcientia. fol.9. nu 35.
Probi, & moderati populi quibus maximè rebus efficiantur. fol.39. nu.12.cum ſeq.
Prohibita natura nonnulla fortè uideri potuiſſent, quæ ab hominibus permiſſa fuerunt. fol.59. nu.5.
Prohibitum eſt lege naturali uim, atque iniuriam inferre. fol.58. nu.23.
Promiſcuos aliquando fuiſſe concubitus, uel ſi à ſacris paginis, non tamen à ueterum Iuriſconſultorũ ſententia eſt alienum. fol.38. nu.8.
Pronomina hæc duo, meum, & tuum, ad publicam quietem obturbandam quanti momenti ſint. f.40. nu.15.
Propriam legem illa non habent, quibus electio non ineſt. fol.17. nu.14.
Propriam legem beluæ præter legem æternam, quæ in Deo eſt, non habent. fol.18. nu.22.
Propriarum rerum amor quantopere nobis innatus ſit fol.35. nu.5.
Propria fecit Iuſtin. quæcunque ipſe approbauit. folio 54. nu.21.
Proſperitati comes audacia, & confidentia. f.27. nu.16.
Prouidentiæ diuinę lex cœleſtis penitus ſubiicitur. fol.6. nu.5.
Prudentiæ munus quod nam ſit. fol.26. nu.7.
Prudentia à probitate ſeiungi non poteſt. fol.10. nu.3.
Prudentia, uel ſi moralis uirtus non ſit, tamen iis in rebus omnibus, quæ ad mores ſpectant, eſt apprimè neceſſaria. fol.26. nu.5.
Prudentum interpretationem naturaliter leges deſiderant. fol.82. nu.16.
Prudentum ne tantum hominum lex ſit, an omnium, & quomodo Plato, & Tullius defendi poſsint qui ſolis prudentibus legem tribuere uidentur. f.15. nu.35.
Prudens Socratis reſponſum. fol.57. nu.17.
Publica conuentio, quæ ſit. fol.66. nu.9.
Publica conuentio uerè iuriſgentium eſt. fol.67. nu.14.
Publica utilitas ſæpe ſuadet recedere à iure tum gentium, tum ciuili. fol.66. nu.10.
Pugnare ſimul hæc duo uidentur, quod improbi homines ignari ſint, & quòd omnibus planè hominibus lex naturalis data fuerit. fol.10. nu.3.
Pueros exponere poſt triennium Romuli legibus permiſſum erat. fol.21. nu.6.
de Pupilli obligatione quod conſtitutum eſt, ac de muliere pro altero intercedente, primum legis peccatum demonſtrat. fol.82. nu.11.

Q

QVAE in naturæ præcepto, uel prohibitione iura poſita ſunt, non æquè homines poſſunt ſua efficere, ut quæ ipſorum arbitrio permiſſa ſunt. folio.60. nu.10.
Quibus de cauſis ſublata communione, rerum dominia fuerint diſtincta fol.58. nu.1.
Quæ præſtiterint homines quantum ad ea, quæ natura imperantur, uel prohibentur. fol.59. nu.6.

R

Rationalis animæ noſtræ facultas quæ ſit. fol 4. nu.5.
Ratio hominis ſit ne totus homo, an potior hominis pars. fol.4. nu.8.
Rationalis animæ facultatis conſideratio, quatenus ad nos pertineat. fol.4. nu.7.
Ratione qui utitur, poſsit ne in eo male operari. folio 4. nu.11.
Rationem, & mentem cœlo, & mundo uniuerſali ineſſe, nonnulli ſtultè arbitrati ſunt. fol.5. nu.4
Ratio diuina nihil ex tempore concipit, ſed æternum habet conceptum. fol.5. nu.3.
Ratio quomodo inſit inanimatis rebus, brutiſque iiſdem animantibus. fol 17. nu 9.
Rationem propriam homines habent, & à diuina ratione diſtinctam. fol.17. nu.10.
Rationes legum noſtrarum quàm ſæpe ab ipſa natura deſumantur. fol.29. nu 10.
Ratio unica quoties aſsignari poteſt, illa habetur pro expreſſa. fol.93. nu.21.
℞ Ratio minor ſubſit regulæ generali, non ſatis cauſæ eſt, ut ab ea diſcedatur. fol.93. nu.24.
Rõ legis nihil refert, ſit ne tantùm unica, an uero plures, quæ eandem ſententiam ſuadeant. fol.93. nu.22.
Ratio, cur in beluis appareant nonnulla uirtutum quaſi ſimulachra. fol.18. nu.23.
Ratio cur ſoli homines uerè eligere, & deliberare dicantur. fol.19. nu.25.
Ratio cur aliena magis quàm noſtra errata cognoſcamus, & quæ nos ipſi committimus in aliis uindicemus. fol 15. nu.33.
Ratio, cur ſolius particularis iuſtitiæ, ac non aliarum uirtutum diffinitionem nobis, & Vlp. & Iuſtin. propoſuerint. fol.30. nu.19.
Ratio, cur mortales in unum conuenerint, qui prius diſperſi Syluis uagabantur. fol.33. nu 11.
Ratio, cur in prudẽtibus hominibus rectum iudicium ſæpe impediatur. fol.29. nu 13.
Ratio, cur lex ſæpiſsimè appelletur ſcriptura, quæ legiſlator aliquid decernit. fol.45. nu 9.
Ratio, cur quæ naturali æquitati conueniunt, iuris ciuilis eſſe dicantur. fol.43. nu.21
Rõ, cur diſtinctio iuris, quam Iuriſconſulti tradunt, ipſi iuri potius, quàm legi accommodetur. fol 46 nu 17.
Ratio, cur quæ perperam committimus, omni ſtudio honeſtare contendamus. fol.13. nu 27.
Ratio, cur quamuis legem naturalem haberemus, tamen leges humanæ neceſſariæ fuerint iudicatæ. folio 23. nu.8. & nu.11. & fol.24. nu.15.
Rationem alicui ineſſe, dupliciter accipi pot. f.17. n.8.
Rõnis actũ eſſe æquitatem nonnulli putant. f.79. nu.10.

Ratio-

Digitized by Google

Rationaliter,& eſſentialiter, ut inquit Diuus Thomas, homines diuinę rationis,& intellectus participes facti fuere. fol.6. nu.9.
Ratiocinatione quòd egeat, vel non egeant præcepta, non facit ut ad diuerſa præcepta referri debeant. fol.70. nu.7.
Ratiocinari & benè, & malè dicuntur incontinentes, prout diuerſa tempora conſiderantur. fol.14.nu.31.
Ratiocinatio incontinentis cuiuſmodi ſit. f.14. nu.30.
Rebus omnibus certæ regulæ inſunt, ut ad finem quæque ſuum peruenire contendant. fol.16. nu.3.
Rectum iudicium quibus rebus maximè impediatur. fol.29. nu.13.
Regem aliquem imperare, an ſit naturæ conſentaneũ. fol.41. nu.6.
Reges ex legibus creantur. fol.35. nu.9.
Reges creati,& quales,& quæ ipſis poteſtas fuerit tradita. fol.33. nu.13.
Regna prius condita,& dominia inſtituta, quàm magiſtratus creati, ſecundum Iuſtinianum. fol.36.nu.15.
Regna ne aliquando ſine legibus ciuilibus extiterint. fol.35. nu.7
Regum imperium quale extiterit, Romanæ ciuitatis initio. fol.41. nu.7.
Regula,& menſura in quaque re eius ipſius rei lex dici debet. fol.8. nu.28.
Regulæ, quæ factorum præſumptionem, aut cognitionem reſpiciunt, quanuis ad iuris artem non pertineant, tamen ius ipſum non conſtituunt, & cuiuſmodi illæ ſint. fol.56. nu.2.
Regulæ quæ ius perficiunt, quales ſint. fol.56. nu.4.
Regula illa, ceſſante cauſa ceſſat effectus, quomodo accipienda ſint. fol.94. nu.31.
Regulæ, & leges ſunt nonnullæ, ex ſolo Iuriſconſultorum artificio potius introductæ, quàm ex naturali ulla ratione deſumptæ. fol.30. nu.14.
Reipub. ſingulis partibus quę uirtutes magis conueniant. fol.26. nu.8.
Religio ex quo fonte oriatur. fol.57. nu.10.
de Religione omni intelligi non debet quod dicitur in rebus ad religionem ſpectantibus, malè de Iudæis præſumi. fol.97. nu.12.
Religionis uis quantopere omnibus hominibus ſit innata. fol.57. nu.11.
Rerum dominia, communione ſublata, quibus de cauſis fuerint diſtincta. fol.58. nu.1.
Reſtrictio legis generalis ex duobus potiſsimum deſumi poteſt. fol.94. nu.26.
Reus, accuſator,& iudex in legis naturalis iudicio ſubiecto concurrunt, licet in aliis iudiciis diſtinguantur. fol.8. nu.72.
Rhetorum legitimæ conſtitutionis ſpecies. f.82. nu.17.
Rigor iuris in tribus caſibus æquitati præfertur. folio 89. nu.2.
Rigorem præferri æquitati non ſcriptæ cõiter concludunt & quæ maximè leges, communi ſententiæ faueant. fol.89. nu.3.
Rigori abſolutè præferendam eſſe æquitatem & Iuriſconſultorum,& Imperatorum,& Põtificum legibus receptum eſt. fol.90. nu.10.
Roberti Marantæ, iuris diuiſio. fol.54. nu.27.
Romanæ Ciuitatis initio quale imperium extiterit. fol.41. nu.7.
Romanorum uelata iniuſtitia. fol.66. nu.1.
Romanorum ciuium differentiæ permultæ. f.69. nu.12
Romuli legibus permiſſum erat, poſt triennium pueros exponere. fol.21. nu.6.


S


SAcrum adire non tenetur, qui ſcit in uia ſibi paratas inſidias eſſe. fol.94. nu.30.
Sagacitas mira in plerìſque brutis, atque etiam uirtutum non obſcura apparent ueſtigia. fol.18. nu.18.
Salomonis illud quomodo accipiendum ſit: Noli eſſe iuſtus nimium. fol.90. nu.9.
Salicetus,& Iaſon quomodo æquitatem definiant. folio 80. nu.12.
Sanguinem facientes in Palatio ſtatuto puniuntur, & quomodo illud accipiendum ſit. fol.82. nu.13.
Sardanapalus in morte tantùm ſe uirum oſtendit. folio 11. nu.10.
Sceleſti homines quare propriorũ ſcelerum conſcientia uexentur. fol.9. nu.34.
Sceleſtiores multò Athenis fuerunt homines, quàm alibi, & tamen ibi diſciplinarum omnium fuit domicilium. fol.39. nu.13.
Scire leges, non eſt ſola earum uerba tenere. f.83. nu.2.
Scriptura, qua legiſlator aliquid decernit, ſæpe appellatur lex,& qua ratione. fol.45. nu.9
Scripturæ ſine uitio, quoties uerba inflecti nõ poſſunt, nõ eſt loc' ĩterpretationi ex æquo & bono. f.92.n.9.
Seculi huius noſtri fœlicitas. fol.2. nu.11.
Secunda ætas qualis fuerit, nempe cum primum ad ſcelera cœperunt mortales declinare. fol.33. nu.10.
Secunda ætate quæ fuerint ab hominibus inuenta. folio 33. nu.12.
Secundarii iuris duæ ſpecies. fol.68. nu.7.
Secundarii iuris, propria quæ iuſta ſint,& quæ primæui. fol.68. nu.5.
Secundarium ius quàm multis in locis à primæuo diſtinguatur apud legum auctores. fol.72. nu.7.
Secũdarium ius eſt naturale ſecundum quid, primæuũ uerò ſimpliciter,& quo pacto hoc intelligendum ſit fol.71. nu.2.
Senatus, populuſq;,& iudices quid inter ſe differant. fol.90 nu.5.
Senecam præceptorem Nero ultimo ſupplicio affecit fol.11. nu.12.
Senſitiuæ facultatis inſtinctus ex Vlp.& Iuſtin. f.3. nu.3
Senſitiuæ naturæ inſtinctus hominum conſtitutione non egebant, quo magis ſeruarentur. fol.64. nu.13.
Senſitiuæ quoque naturæ inclinationes poſſunt nobis principia ſuggerere, ex iuriſcĩa conflatur. f.20.n.3
Senſitiuæ quoque potentiæ inſtinctus inter ea, quæ iuris naturalis ſunt Gratianus recenſet. Et tamen ipſe beluis ius non tribuit. fol.20. nu.4.
Senſitiuæ facultatis inſtinctus non eſſe legem, nunquid abſolutè accipiendum ſit. fol.26. nu.2.
Senſus quomodo rerum obiectarum cognitionem in nobis perficiant. fol.3. nu.4
Senſus cum ratione luctatio poſt primi hominis lapſum ſemper extitit. Fo.34. nu.3.
Sentiendi facultatẽ Socinus naturæ legẽ noĩat f.4.n.5
Sententia ſæpe extenditur in legibus, in quibus uerba deficiunt. fol.82. nu.15.

Sententia cum ex verbis dubiis non prorſus incerta redditur, nō modo æquitate uti poſſumus, ſed etiam debemus. fol.91. nu.4.
Sententiam ſi uerba dubia incertam reddant, nullus æquitati locus eſt. fol.91. nu.2.
Sententiæ legiſlatoris debet emendatio legis conuenire. fo.83. nu.1.
Seruitus nonnihil habet fauoris, quatenus inductum eſt, vt captiui, alioquin occidendi, ſeruarentur. folio 52. nu.7.
Seruitutes dantur, quæ uerè naturales dici poſſunt, ex Ariſtotele. fol.72. nu.4.
Seruitutes captiuorum contra naturam plerunque ſunt, uel ſaltem non ſimpliciter naturales. f.72. nu.5.
Seruitutem captiuorum iuri legitimo Ariſt. tribuit. folio 62. 16.
Seruitutem tolli non poſſe quod ſentit Iuſtin. quomodo accipiendum ſit, cum illa Chriſtianorum moribus ſublata ſit. fol.75. nu.13.
in Seueritate cōtinet īterdū & ipſa æquitas. f.80. n 14.
Seueritati non opponitur æquitas, ſed ſtricto iuri. folio 84. nu.11.
Seueritati quæ æquitatem opponant, leges multę ſunt.
Significationes iuris ſex, & triginta à noſtris Doctoribus afferuntur, & an omnes ueræ ſint. fol.47. nu.9. cum multis ſequentibus.
Significatio iuris ciuilis omnium frequentiſsima. folio 62. nu.12.
Significationes ſæpè quamplurimas uocabulo eidem falſo attribuunt Doctores, & unde is error profluxerit, qui noſtris frequentiſsimus eſt. fol.48. nu.11.
Simplicitate, & facilitate primi mortalium maxima fuiſſe exiſtimantur. fol.39. nu.14.
Simpliciter naturale, & naturale ſecundum quid longe inter ſe differunt. fol.77. nu.6.
Simulare probitatem cur multi ſtudioſè contendant. fol.11. nu.6.
Singularum rerum ut propè infinita eſt multitudo, ita noſtrarum operationū uarietas incredibilis. f.81. n.8
Sit ne idem ius ciuile in frequentiore ſignificatione ſumptum, cum eo quod Ariſt. ius legitimum appellat. fol.62. nu.14.
Societatis humanæ exordia, ac progreſsiones quomodo tum Philoſophi, tum Iuriſconſulti conſiderarint. fol.37. nu.1.
Societas prima hominum domus. fol.40. nu.1.
Societas tertia, ſecundum naturam eſt ciuitas, quæ iunctis ſimul pagis conſtituitur. fol.41. nu.4.
Societatis magis appetens natura eſt homo, quàm vllæ ex iis animantibus quæ gregatim incedūt. f.35. n.4.
Speculatiuæ ſcientiæ, & noſtra hæc practica facultas, quid ſimul & differant, & conueniant. f.22. nu.4. & 5.
Speculatiui, & practici intellectus ſimilitudo, quatenus uterque ex primis, & notioribus alias inſuper concluſiones deducit. fol.22. nu.3. & nu.5.
Species legum quæ nā illæ ſint, quas Iuriſcōſulti conſiderant. fol.7. nu.9.
Sporum puerum ſolēni nuptiarum ritu pro uxore duxit Nero. fol.11. nu.8.
Statutum diſponens, ut nobis per alterum aliquid acquiratur, quando actionem directam, & quando utilem nobis præſtet. fol 52. nu.5.
Statutum illud quomodo accipiendum ſit, quo puniuntur facientes ſanguinem in Palatio. fol.82. nu.13.
Statutum excludens fœminas maſculis exſtantibus, quam rationem habeat. fol 94. nu.32.
Stricto iuri, non ſeueritati æquitas opponitur. f.84. n.11
Subſtantia ea poſſunt differre, quorum uno ſublato, alterum inducitur. fol.72. nu.6.
Subditis præter uerba legis agere permiſſum eſt, ut & iudicibus præter uerba legis iudicare. fol.92. nu.6.
Succeſsiones legitimæ quantoperè à legibus Romanis uariatæ ſint. fol. 76. nu.16.
Sulpitii laus, quòd omnia ad facilitatem, æquitatemq; referret. fol.79. nu.9.
Summum ius ſummam iniuriam, ſummamque crucem ueteres dixerunt. fol.90. nu.8.
Summa eorum, quæ de tota iuris diuiſione Iuſtin. ſentit. fol.49. nu.2.

T

THeoremata intellectus practici à uariis ſparſim Iuriſconſultis relata. fol.22. nu.1.
Theodoſius quorum iuriſconſultorum commentaria pro legibus approbarit. fol.95. nu.7.
Theodoſius æquitati ſuum locum reſeruat. f.95. nu.8.
Theologi æternam legem nominant, quam Platonici diuinam dicunt. fol.5. nu.3.
Tertia ætate conditæ ſunt leges ciuiles, & qua ratione fol.33. nu.15.
Teſtamenta apud Germanos non fuiſſe in uſu ex Tacito. fol.50. nu.10.
Teſtamenta iuriſgentium eſſe, & uerius eſt, & frequentius receptum, licet Portius utrunque negauerit. folio 50. nu.11.
Totus ne homo ratio hominis ſit, an potior hominis pars. fol.4. nu.8.
Translatione uerborum ipſi quoq; iuriſconſulti utuntur. fol.21. nu.9.
Tutelam, & alia nonnulla, quę Iuſtin. tribuit iuri ciuili, Ariſt. forſan tribueret iuri naturali. fol 50. nu.8.

V

VArietas, & inconſtantia humanarū rerum. f.38. n.3.
Varietas cur tanta ſit legum humanarum, ex Platone cauſa affertur. fol.29. nu.11. & 12.
Vegetatiuæ facultatis operationes, nonnulla cognoſcendi egent ui, neque ex arbitrio noſtro pendent. fol.3. nu.2.
Velleianum Macedonianum, & alia, quæ uidentur iuſtitiæ aduerſari, iuſtiſsima tamen ſunt. fol.77. nu.7.
Verba legum tenere, non eſt leges ſcire. fol.83. nu.2.
Verba legum interpretationis facilitate laxanda ſunt fol.84. nu.9.
Verba ſæpe, quæ certum aliquid ſignificant, ad ea quoque uſu deflectuntur, quæ illi proxima, & annexa ſunt. fol.47. nu.1.
Verba dubia ſi ſententiā quoque planè incertam reddant, æquitati nullus locus eſt. fol.91. nu.2.
Verba prima Vlpiani in iuſtitiæ diffinitione quomodo accipienda. fol.31. nu.21.
Verba illa, ius ſuum unicuique tribuens à iuſtitia uniuerſali non prorſus abhorrent. fol.31. nu.20.
Verborum ſolus cortex à pœna delinquentem non excuſat. fol 92. nu.7.



Digitized by Google

Verborum translatione ipſi quoq; Iuriſconſulti utuntur. fol.21. nu.9.
Veritas,& fides non niſi reclamante natura lædi poteſt. fol 57. nu.15.
Vim ui repellere,quomodo in beluis accipiendum.folio 19. nu.27.
Vim ui repellere,ſit ne natura tantum permiſſum , an uerò etiam quandoque imperatum.fol.58. nu.20.
Vim,atque iniuriam inferre naturali lege prohibitum eſt. fol. 58. nu.23.
Vinculum pietatis quàm arctum ſit,ac quomodo definiatur. fol.57. nu.12.
Vindicandi inſtinctus, cum omnibus planè animantibus ineſt,tum præcipuum quendam in modum ipſis hominibus. fol.58. nu.22.
Vindicta delictorum naturalis iuris eſt; quod uerò hac uel illa pœna uindicetur hominibus ipſis eſt tribuendum. fol.59. nu.7.
Virtutes diſtinguntur inter ſe ex obiectis. fol.79. nu.5.
Virtutis diffinitio. fol.79 nu.3.
Virtutes eatenus tantùm conſiderant leges humanæ , quatenus alterum reſpiciunt. fol.27. nu.11.
Virtutes quæ magis conueniant quibuſque Reipub. partibus. fol.26. nu.8.
Virtutes duodecim morales quas connumerat Ariſt. rectiſsimè ad tres tantùm rediguntur. fol.26. nu.4.
Virtutes , & uitia in noſtra eſſe poteſtate rectè dixit Ariſt. fol.12. nu.17.
Vis religionis quantopere omnibus hominibus ſit innata. fol.57. nu.11.
Vis æquitatis qua in re maximè poſita ſit.fo.84.nu.10.
Vis,& auctoritas compellendi debitoris, quæ prius in ſolo rege pôſita erat, hodie nō tam in iudice, quàm in ipſis actionibus reperitur. fol.42. nu.17.
Vlpianus quid ſibi uelit,cum dicit ius eſſe artem æqui & boni.fol.84. nu.14.
Vlpianus an in eo defendi poſsit, quod dixit ius à Iuſtitia fuiſſe appellatum. fol.46. nu.15.& 18.
Vlpiani iuris diuiſio minus probanda , quàm Caii. folio 65. nu.16.
Vltio ſi minus natura, at ſaltem diuinis , atq; humanis pariter legibus eſt interdicta. fol.58. nu.21.
Vnicum eſſe ius gentium quibus maximè legibus probari uideatur. fol.53. nu.19.
Vnicum eſſe iuſgentium qui nam tenuerint.f.52.nu.4.
Vniuerſalis quoque iuſtitia ad alterum refertur . folio 27. nu.12.
Vniuerſalis iuſtitia quæ, & qua ratione ſic ſeorſum fuerit conſiderata fol.27. nu.10.
Vniuocum ne aliquid ſit,an æquiuocum qua ratione rectiſsime cognoſci poſsit. fol.88. nu.5.
Vnus,& idē non poteſt ſibi ipſi obligatus eſſe,f.52.n.7.
Vocabulo ſæpe eidem ſignificationes quàm plurimas Doctores falſò tribuunt , & unde is error profluxerit,qui noſtris frequentiſsimus eſt. fol.48. nu.11.
Voces ſæpe,quæ certum aliquid ſignificant, ad ea quoque uſu deflectuntur , quæ illi proxima, & annexa ſunt. fol.47. nu.1.
Voluntas,& electio dupliciter differunt. fol.8. nu.26.
Voluntas appetit quod bonum,& honeſtum ab intellectu iudicatur. fol.8. nu.26.
Voluntas noſtra libera eſt. fol.12. nu.16.
Voluntatē per ſe cæcam eſſe,atq; intellectus rationiſque præſcriptum ſequi , quomodo accipiendum ſit. fol.12. nu.18.
Vſus uarii populorum quanti momenti ſint. f.74 nu.7.
Vſus,quantum ad uim uerborum,maximè attenditur. fol.47. nu 6.
Vſus erat rerum omnium, uel anteaquam dominia diſtinguerentur. fol.66. nu.1.
Vſus merus remanet ſi dominii contemplatio adimatur ex poſſeſsione fol.66. nu.4.
Vſus ipſe ſimplex,imò & mera detentio pro poſſeſsione ſæpe accipitur. fol.66. nu.5.
Vſus etiam hodie ſine dominio poteſt conſiſtere,licet per eum res conſumatur. fol.66. nu.2.
Vſucapionum utilitas,& occaſio.fol.24. nu.14.
Vſucapionum loco Hebræi quodnam remedium adhibeant,ne dominia incerta ſint. fol.64. nu.7.
Vſus rerum primis temporibus fuit , quanuis earum nec dominium nec poſſeſsio eſſet. fol.32. nu.7.
Vſus ſolius ratione conſiſtit depoſitum, & commodatum. fol.66. nu.7.
Vſu,& conſtitutionibus hominum licet ius mutetur non ideo tamen dicitur mutabile. fol.75. nu 9.
Vtilis uel directa actio quando nobis competat ex ſtatuto diſponente nobis per alterum aliquid acquiri. fol.52. nu.5.
Vtilitas harum diſputationum de lege iure , & æquitate. fol.3. nu 15. cum ſeq.
Vtilitas,& occaſio uſucapionum . fol 24. nu.14.
Vtilitatis,atque honeſtatis diſtinctionem in iure diuidendo amplectuntur auctores grauiſsimi.f.69.nu.15.
Vtilitates hoīum iuri naturæ nō ſūt aſsignādæ.67.n.3.
Vtilitatis ſo ius rōne æquitas non adhibetur.f.86.n.14
Vtilitas publica ſæpe facit,ut recedatur à iure tū gentium,tum ciuili.fol.66. nu.10.
Vtilitatis cauſa ab hominibus nihil eſt receptum,quin idem ſit honeſtati conſentaneum. fol.58. nu.2.
Vtilitates hominum ius gentium inſtituens ſalua iuſtitia liberè mutari poteſt. fol 74. nu.6.
Vtilitas hominum prout iure continetur, rectè menſuris comparata eſt ab Ariſt. fol.75. nu.7.
Vtilitatem hominum ius inſtituens an differat ſpecie ab eo,quod ſolam honeſtatem reſpicit.fol.68.nu.10
Vtilitatum communium ratio non patitur,ut ius gentium mutari poſsit. fol.75. nu.8.
Vulgare cur tot modis á noſtris accipiatur.f.48.nu.12.

FINIS.

Digitized by Google

# ALBERTI BOLOGNETI BONON. I. C.

## DE LEGE, IVRE, ET ÆQVITATE DISPVTATIONES.

### ARGVM.

SIt ne eadem in legibus explicandis ſeruanda ratio, quæ à noſtris vulgò ſeruatur, & quid cauſę fuerit, cur anteaquàm vlla ad leges aliquas ederetur commentaria, has de lege, iure, & æquitate diſputationes inſtituere oportuerit.

1 Quanto in honore habeantur qui primi noſtras leges interpretati ſunt.
2 Errare cum Bartolo nõ indecorum à multis iudicatur.
3 Aethiopum in Reges ſuos obſeruantia.
4 De Accurſio Budæus non rectè ſenſit.
5 Sunt qui Bartolum non modò non bonum authorem, ſed ne authoris quidẽ nomine dignum exiſtiment.
6 Quo nomine potiſſimùm Accurſiani ſint commendandi.
7 Quid cauſæ fuerit, cur fori conſuetudine reciperentur Bartoli commentaria, Itemq; aliorum, qui idem ſcribendi genus ſecuti ſunt.
8 Quantum cuiq; legum interpreti tribuendum ſit.
9 In ſingulis authoribus vt non damnanda omnia, ſic non omnia imitanda.
10 Ex alienis authoribus ea deſumere, quæ propoſitę rei lucem afferre poſſint, nulla ratione damnandum.
11 Noſtri huius ſeculi fœlicitas.
13 Totius conſilii ratio explicatur.
14 Quæſtiones nonnullæ, quæ non certæ alicui legi, aut materiæ conueniunt, ſed omnium fermè comunes ſunt.
15 Earũ rerũ vtilitas, quæ hìc tractãdæ sũt.
16 Cùm ad alias materias omnes multùm prodeſt ſuſcepta diſputatio, tùm verò plurimùm ad materiam obligationum.
17 Quàm neceſſarium ſit in materia obligationum æquitatis vim expendere.
18 Turpe Iuriſperito ex iis, quæ ad legem, ius, & ęquitatem pertinent, quicquam ignorare.

## CAP. I.

1 QVemadmodum ſæpè fit, vt qui ſummos, atque aliquo virtutis genere pręcellentes uiros etiam, atque etiam imitari ſtudent, non ea tantùm imitatione exprimant, quæ in illis præclara ſunt, ſed etiam ea, quæ maximè potius vitanda eſſent, Sic contra euenit nonnunq̃, vt cùm de aliquo non rectè ſentias, eius non modò vitia, atq; errata declines, ſed & ſi quæ fortè in eo ſint vel tollerabilia, vel ad laudem etiam inſignia, ea tamen pariter ſtudioſè reijcias. Horũ porrò vtrunq; non vlla ex re alia clarius mihi perſpicere videor, quàm cum ad primos illos noſtrarum legum interpretes animũ conuerto, quorũ traditionibus, pro ſumma eorum authoritate, magnam Orbis terrarum partem regi, & gubernari videmus; ac cùm mecum ipſe cogito, quàm varia de illorum ingenio, & doctrina, imò verò quàm planè contraria à noſtræ ætatis iuriſconſultus iudicia fiant.
2 Sunt. n. qui illos ipſos tanquàm diuinos homines vſqueadeò colant, ac uenerentur, ut non niſi ſtultè, atque arroganter dubitari poſſe exiſtiment, quin illi hoc



Digitized by Google

tanto honore digniſſimi ſint, quem tot literatorum hominum, tot ciuitatum, ac prouin ciarum ijs conſenſus detulerit, magisq́; ac magis in dies confirmarit. Itaque eorum tan tùm libris euoluendis inſudant, nec porrò in ijs quæ recta, uel praua ſint, accuratè di-iudicant, ſed quam illi instituerunt docendi rationem nullo diſcrimine imitantur, pa-làm illud ferẽtes facilè ſe paſſuros, quòd ab alijs errare cõuincantur, dummodo eius er- 2
roris authorẽ Bartolũ, cęteroſq́; ipſius ſimiles nominare poſſint, Quaſi uerò impudẽtiæ nomine (ut multos dicere ſæpe audio) meritò damnari ſe poſſe uereantur, ſi ijs ſtudeant antecellere, qui conſtanti aliquot iam ætatum iudicio inter omnes legũ interpretes prin cipem locum obtineant. Quare non minori ferè illos in honore habent, atq; olim ſuos Reges habuiſſe Aethiopes ferantur, apud quos uſu id ſeruatum fuiſſe accepimus, ut ſi 3
fortè Rex quacunq; ex cauſa, uel crure, uel oculo, uel quo alio mẽbro caperetur, tũc ſta tim domeſtici eius omnes eãdẽ ſibi partẽ certatim frangerent, aut præciderent; turpe ſci licet exiſtimantes, quo uitio Regem deformatum ac mãcũ uiderent, eo ſe carere. Quãq; uerò eorũ qui has partes ſequuntur, multò frequentior numerus eſt, non deſunt tamen alij, qui in contraria planè ſentẽtia ſunt, quiq́; eoſdem illos, quos cęterorum uulgus ma ximè cõmendat, maximè ipſi damnant, atq; contemnunt, adeóq; pro nihilo ducunt, ut ſi quę fortè in ipſis meritò laudãda ſint, ea ne animaduertãt quidem, Itaq; nihil rectius fa cere ſe poſſe arbitrantur, quam ſi omni ex parte ab eorũ inſtituto quàm longiſſimè recẽ dãt; propterea quod ſibi animũ induxerũt, nihil rectũ, aut cõmendatione ulla dignũ eſſe poſſe, ꝙ ab eius ſectæ hominibus probetur, ac recipiatur. Atq; ut omittam, quid de Ac curſio, Accurſianisq́; omnibus ſenſerit Budęus, illud certè mihi admodum memorabile 4
uidetur, quòd ſcriptores quoſdam reperio, & quidem illos non tantùm ſanę mentis, ſed etiam pręſtanti ingenio prędítos, qui cõmentarijs ſuis hoc palàm de Bartolo iudiciũ fa- 5
ciunt, ut dicant ſe illum non modò non bonum authorem, ſed ne authoris quidẽ nomine dignũ exiſtimare. Non is certè ego ſum qui contendere uelim Bartolũ, & eiuſdẽ farinæ alios, quibus paſſim iudices tantum tribuunt, ut uix ab eorum ſententijs audeãt recedere, perfectos homines fuiſſe, aut eam quam penè iam ſuo iure ſibi uendicare ui-dentur, ueræ eruditionis laudem promeruiſſe, Neq; enim inficiari poſſum inſcitè illos multa tractaſſe, ac permultis in locis (quamquàm non tàm ingenij culpa, quàm ob ſe-culi illius imperitiam) errore lapſos eſſe. Verumtamen illud ſemper affirmauero, iniquio rem iudicem eſſe, qui eos nulla in re prorſus laudandos exiſtimet. Videntur enim mihi cùm alijs de cauſis, tùm eo nomine præſertim meritò cõmendari debere, quod in legi- 6
bus explicandis non ſimplici, ac nuda uerborum interpretatione contenti reſponſo illi (quodcunq; ſibi proponunt explicandum) totàm plerunq; materiã accõmodãt, uariéq; diſperſa in hac Iuſtiniani quaſi farragine, colligunt in unum, atq; ordine ſemper aliquo (quicunq; tandem is ſit) in certa capita diſtribuunt. Huc accedit, quod ſi qua offendunt obſcuriora, ea propoſitis ab utraq; parte argumentis fuſius proſequuntur, & quãtum in ipſis eſt, moribus noſtris accõmodant. Quę res (iudicio meo) ad fori diſceptationes mo menti plurimum habet, ad quas proculdubio multò is inſtructior accedet, qui aſſiduis diſputationibus aſſuetus, ex ijs anteà didicerit, quo pacto tenebris obducta eruatur ueri tas, & ab aduerſariorum calumnijs defendatur. Hisq́; duabus potiſſimum rebus factum 7
eſſe mihi uidetur, ut fori, ac iudiciorum uſu illorum paſſim cõmentaria reciperentur; Cũ enim iudices non eo omnes ingenij acumine ſint, neq; ab aſſiduis occupationibus otij tantũ habeant, ut interpretum errata perſpicere, atq; accuratè conſiderare poſſint,

eos

eos libétiſſimè interpretes ſequuti ſunt, quos videbant & in ſingulis materijs quàmplu
rima ad eam rem pertinentia congeſſiſſe, & factorum ſpecies illas, quæ in iudicijs om-
niũ maximè cõtrouerſæ eſſe ſolerẽt, copioſiſſimè tractaſſe. Ab hac verò laude lõgè abeſ
ſe video oẽs ferè alterius (vt ita dixerim) factionis interpretes, nã vel ſi politius leges ex-
planent, ac plerunq; etiam (vt negari non poteſt) multò & ſolidius, & eruditius, quippe
qui in bonarũ artiũ ſtudijs magis verſati, ad hanc legũ diſciplinam ſolẽt inſtructiores ac
cedere; tñ adeò ieiunè id faciunt, vt qui oẽs illorũ oĩum ad certã aliquã legẽ percurrerit
interpretationes, ꝑter ſolũ illius legis ſenſum, nihil aliud videatur aſſequutus. Nam cum
alienis forſan libris pluſquàm deberent operæ ponant, nõ eũ, quẽ neceſſe eſſet in legum
interpretatione laborem ſuſcipiunt. Itaque materias anguſtè, atque exiliter tractant; quę
ſtiones verò omnes planè contemnunt, non eas modò quę verè inanes, ac futiles ſunt,
(nã eiuſmodi multas eſſe fateor) ſed inſigniores etiã illas, quę rebus obſcuriſſimis ſplen-
dorẽ maximũ afferre poſſunt, publiciſq; ferè omnibus in gymnaſijs, ac quotidianis di-
ſputantiũ cœtibus non immeritò celebrantur. Quapropter ego ſemper hac in re quod-
dam quaſi temperamentũ adhibendũ eſſe duxi, vt qui ad verã, & ſolidã eruditionis glo
8 riã contendat, neq; (quod aiunt) in vllius verba ſibi iurandũ exiſtimet, vlliuſuè authori-
tati tantũ tribuat, quin ab eius erratis liberè recedat; neque contra vſqueadeò quemq̃
contẽnat (ex ijs præſertim, qui aliquo in honore habentur) vt eo fructu ſe ipſum frau-
det, qui ſępe etiã ex librorũ non optimorũ lectione referri ſolet. Cũ enim non oĩa oĩbus
data ſint, ſed alia in re aliũ pręſtare liquidò videamus, perfectius id eſſe neceſſe eſt, quod
quis non duorũ tantũ, aut triũ, ſed multorũ imitatione cõſequutus fuerit. Multi multo-
9 rũ libri (ſententia mea) ſunt euoluendi, ſed in ijs vt non damnanda omnia, ſic nõ omnia
imitanda. Damnantur eo nomine Accurſiani, quod perſępè ob bonarum literarum
ignorationem, ijs in rebus hęſitent, ac diutiſſimè perſiſtant, quę non modo infructuo
ſę ſunt, ſed planè pueriles, atq; irridendæ. Eſto, ſint hac in re (vt uere ſunt) maximè
reprehendẽdi, At erũt ne propterea cętera omnia, quę ab ipſis traduntur aſpernenda,
atq; ommitẽdæ quęſtiones omnes copioſiſſimè ab ijs diſputatæ, quarũ pleræq; eiuſmo
di ſunt, vt ſingularũ explicatio integros ipſos titulos facile illuſtrare poſſit? Eoſdẽ porrò
audio à nõnullis cõmendari, quod in ſingulis tractãdis magis quodãmodo ſibi conſtẽt,
ac legibus tantùm agant, neq; ad ea digrediantur, quę cũ ſint noſtris incognita, ab alie-
nis authoribus petenda ſint, id quod multiplicis doctrinæ oſtẽtandæ gratia ſtultè quidã
facere ſolẽt. At nõ ego prorſus hac in re imitandos eos eſſe cenſeo, nam vel ſi illorum
nunq̃ laudauero oſtẽtationem, qui temerè, nullaq; de cauſa in alienas meſſes falcem in-
iecerint, tamen ſi ex alienis authoribus ea quis deſumpſerit, quæ propoſitę rei aptè co-
hæreant, lucemque illi aliquam afferre poſſint, hoc ego factum non modò non impro-
10 bauero, ſed ſummopere commendauero; Video enim hanc legum diſciplinam cum re
liquis ſtudijs commercij plurimũ habere, ita vt ex eis multa paſſim deſumi poſſint, quæ
in legitimis etiam quæſtionibus ad veritatem facilius obtinendam momenti non parũ
habeant. Neque verò Bartolo honoris tantũ vnquã tribuero, vt quæ ignorarit ipſe, à no
bis quoque ignorari, aut quod minus ipſe præſtiterit, rectè à nobis quoque prętermitti
poſſe cõceſſurus ſim. Hæc ſanè cuperem poſſe me illis perſuadere, qui ad ius diſcen-
dum quotidie ſe conferunt, atque ijs etiã multò magis, qui iuri docendo ſeſe totos de
11 diderunt; Nam cum videam (& maxima certè cum mea voluptate) fœlix noſtrum hoc
ſeculum, excuſſa veterum barbarie, linguarum peritia mirificè excultum, optimorum



Digitized by Google

librorum copia refertum, ijſque omnibus artibus, ac diſciplinis inſtructum quæ ad hanc noſtram Iurisprudentiam priſtino nitori reſtituendam ſummo adiumento eſſe poſſent; ſi hoc vnum noſtræ ætatis interpretes ſibi in animum inducerent, vt rudis illius, atque imperiti ſeculi hominibus neque nimium crederent, neque contra etiam certis in rebus promeritam ipſis laudem detraherent, ſed ratione potius, firmoque animi iudicio, quàm vel inuidia, vel authoritate ſingula metirentur, ſperarem fore, vt quæ poſthac in noſtras leges ederentur commentaria, eam formam præ ſe ferrent, quæ omnium animos tantum alliceret, quantum nunc ſolertiſſimi plerique, optimoque ingenio pręditi noſtra hęc ſtudia, non alia certè de cauſa, quam ſcriptorum noſtrorum culpa abhorrent, ac deteſtantur. Non me latet quantum eiuſmodi in rebus facilius ſit verbis alios monere, quam quod mo- 12
neas re ipſa pręſtare, ac præſertim vbi tanta rerum moles verſanda ſit, vſuſque emendandus, qui vetuſtate iam penitus conſenuerit. Etenim (vt de me ipſo dicam) quamuis ego ſemper dum Bononię primùm, deinde Salernum, ob Ioannis Bologneti clariſſimi, eximięque eruditionis iuriſconſulti ab ea ciuitate diſceſſum, accerſitus publicè ius ciuile docui, hoc ipſum, quod dixi, docendi inſtitutum mihi propoſuerim, hùcque ſemper omne meum ſtudium, ac cogitationes meas omnes direxerim; ſentio tamen meis me commentarijs eam, quam conceperam animo idæam minimè aſſequutum eſſe. Et id cauſæ fuit cur quæ publicè dixiſſem, eorum ſemper diſcipulis meis vel mihi amiciſſimis aſſiduè id à me efflagitantibus copiam facere recuſauerim; Siquidem uerebar ne in meo nomine aliquando exirent, quę mihi non prorſus probarentur; ſi quę vero erant quæ mihi ipſi ſatis arriderent, verebar vt peritorum virorum aſſenſum eſſent habitura. Neque enim ignorabam, quam facile ſit cùm alijs in omnibus, tùm præſertim in Iuriſprudentiæ ſtudijs nimio propriarum rerum amore labi; quę ſtudia quàm varia, quàm incerta, atque in contrarias partes flexibilia ſint, innumerabiles propemodum eadem de re noſtrorum interpretum ſententiæ, atque aliarum ſuper alias aceruatarum interpretationum volumina perſpicuè oſtendunt. In hoc verò tandiù propoſito conſtantiſſimè permanſi, donec Romam profectus à ſummis viris, atque in omni doctrinarum genere præſtantiſſimis, quibus fortè commentariorum meorum partes aliquot perlegeram, ad ea ipſa quàmprimum edenda ita ſum non modò perſuaſus, ſed pene etiam impulſus, vt non poſſem pertinacius reclamare, quin eorum grauiſſimum iudicium planè aſpernari, ac pro nihilo ducere viderer. His igitur impellentibus difficilem admodùm, ac periculoſam prouinciam aggreſſus ſum. Conſtitui enim, quæ quatuor anno- 13
rum curſu pomeridianis horis Auditores meos docueram, in vulgus edere, atq; omnium palàm iudicio ſubijcere, ſi minus eodem tempore omnia, at ſaltem paulatim, & quantum occupationum mearum ratio feret, vt ex primis meis, rudibusq; exemplaribus ea ipſa aliquantò accuratius deſcribere poſſim. Qua in re faciendũ mihi eſſe duxi, vt cæterorum interpretum ordinem quendam (vt ita dicam) vniuerſalem minime immutarem, & quæ in certarum vel legum, vel Rubricarum interpretatione ex inueterato, totius præſertim Italię, vſu quæſtiones tractari ſolent, eaſdem ego quoq; ijſdem in locis tractarem; ſingulas tamen tractationes, quantum res ipſa pateretur, clariori quàm cæteri faciant, certioriq; ordine inſtituerem, ac verioribus etiam fortaſſe traditionibus illuſtrarem. Iam verò cum totum hoc negotium cogitatione complecti iam inciperem,

circulo

Digitized by Google

14 ac ſimul quæſtiones illas omnes animo perluſtrarem, quæ hoc toto quadriennij quaſi
circulo continētur, nonnulla eſſe animaduerti, quæ non certæ alicui legi, vel materiæ
conueniunt, ſed omnium ferè communia ſunt, vt quę de lege ciuili, & naturali, de du-
plici iure gentium, de naturali æquitate, alijsq; nonnullis, quæ ex his fontibus quaſi
profluunt, non vno aliquo, ſed varijs in locis à noſtris diſputantur, quæq; vſq; adeò ſci-
tu neceſſaria ſunt, vt qui illa non planè tenuerit, omnibus eum propemodùm in rebus
hæſitare neceſſe ſit. Itaq; ne ſępius eadem, vbi uſus eueniret, repetenda eſſent, nihil
15 rectius nos facere poſſe arbitrati ſumus, quam ut illa ipſa, quæ diximus, paruo hoc libel
lo concluderemus, qui libellus cōmunia quædam contineret quaſi prolegomena, & cū
16 ad cætera legum commentaria, quę in poſterum edituri ſumus, tùm præſertim ad tracta
tionem obligationum, ex qua parte potiſſimum totius ſuſcepti muneris initiū ſumere
ſtatuimus, quodammodo lectores inſtitueret. Siquidem cum legis ſiue (vt Iuſtinianus
inquit) iuris uinculum obligatio ſit, nemo inficiari poteſt, quin ad omnes obligationis
effectus permagni referat, quonam iure, ſeu qua lege inducta ſit obligatio, quod ſanè
intelligere non poterit, qui harum vocum diſcrimina non probè nouerit, & quod his
vocibus ſignificatur, non rectè in ſuas ſpeties antea diſtinxerit. Æquitatis porrò vim
omnem illi in primis tenendam eſſe, cui ſit de obligationibus diſſerendum, ex eo perſpi
17 cuum ſit, quia in tota obligationum materia nihil fermè eſt, in quo magis Interpretes
elaborent, quàm vt oſtendant quantum quęq; obligatio æquitatis habeat, vnde intel-
ligatur, an ne actionem producat, vel ſaltem exceptionis, quę ſola nititur ęquitate, qua-
ſi obicem valeat opponere, Item impediat nè pœnitentiam, an verò ne eam quidem
propter obligationis, (vt ipſi inquiunt) debilitatem impediri ęquitas patiatur. Quam-
quā uerò non omnia hìc complecti in animo habuimus, quæ de lege, Iure, & ęquita-
te dici poſſent (cum id propemodum infinitum eſſet) ſed ea tantùm quę ad inſtitutū
noſtrum magis neceſſaria eſſe duximus, nonnunq; tamen aliquanto liberius, uel alie-
nis etiam in campis uagati ſumus, multaq; ex alienis Authoribus deſumpſimus, quæ à
noſtris uel prorſus prætermiſſa erant, uel perperam, atq; inſulsè admodùm tractata;
18 Neq; enim ſanè ipſi animaduertiſſe uidentur, quàm abſurdum ſit eum qui ſe legum, Iu-
riſq; peritum eſſe aſſerat, quiq; ęqui, ac boni peritiam profiteatur, hos ipſos quos profi
tetur terminos non probè tenere. De lege igitur primū tractaturi, vt quid ſit lex rectius
intelligamus, cōmodiſſimū eſſe duximus ab illa quæſtione exordiri, ſit ne aliqua animę
noſtrę potentia, quam (vt videtur voluiſſe. Soci. in rub. ff. de verb. oblig.) verè legem
dicere poſſimus.

## ARGVM.

QVæ ſint animę noſtræ facultates, & an ijs legis nomen, quemadmodum Socinus exiſtimauit, conuenienter accomodari poſſit.

1 Quo ordine animæ noſtrę facultates inter ſe diſpoſitæ ſint.

2 Vegetatiuæ facultatis operationes nulla cognoſcendi egent vi, neq; ex arbitrio noſtro pendent.

3 Senſitiuę facultatis inſtinctus ex Vlp. & Iuſtiniano.

4 Cognitio à ſenſibus qua rōne perficiatur.

5 Sentiendi facultatem Socinus naturæ legem nominat.

6 Qua in re Paulus à Vlpiano, & Iuſtiniano videatur diſſentire.

7 De rationali anima non omnia hìc dicenda quæ dici poſſent, ſed ea tantùm quæ ad propoſitā legis tractationē ſpectāt.

8 Ratio eſt potior hominis pars, quāuis nōnulli

Digitized by Google

nulli amplius ſenſerunt, rationem totũ hominem eſſe.

9 Durum videtur hominem ipſum eſſe legem, cùm ipſe potius legi obſtringatur.

10 Lex non videtur dici poſſe, quę non præſideat, ac dominetur.

11 Non ſemper rectè operatur qui cum ratione operatur.

12 Ius, & lex apud noſtros confunduntur.

13 Ius non eſt ratio, ſed quod ratione conſtituitur.

## CAP. II.

ILlud omnibus compertiſſimum eſt, animam qua homines à natura donati ſunt, triplici potentia præditam eſſe, nam cum homines vitæ, & ſenſus facultatem, & rationis vſum habeant, triplici animæ potentia prędití rectè dicuntur, nimirũ uegetatiua ſenſitiua, & rationali; quarum hic ordo eſt, vt ybi rationalis ſit, ibi quoq; ſenſitiua includatur, vbi ſenſitiua, ibi quoq; vegetatiua, quamuis è conuerſo non ita res ſeſe habeat, vt ex ijs quæ dicturi ſumus facilè apparebit. Vegetatiua animę facultas eſt, qua viuimus; ideòq; hac generamur, nutrimur, & creſcimus. Quæ munera ſic illa pręſtat, vt continuè attrahat, digerat, expellat; hę enim operationès omnes quaſi primis illis ſeruientes ad generationem, augumentum, & conſeruationem neceſſariæ ſunt. Hęc non hominibus eſt propria, ſed cum brutis, imo & cum plantis communis nobis eſt, namq; & plantas è terra ſucum quaſi cibum trahere exploratum eſt, perq; omnes ramos illum digerere, & difundere, atq; ea ratione nutriri, indèq; creſcere, & fructus ſibi ſimiles generare. Neq; porrò in eo vlla cognoſcẽdi indigent vi, ſed ſola illa ad hunc finem natura dicuntur, qua à ſummo rerum omnium opifice Deo donatæ ſunt. Nec ſanè quiſq̃ noſtrum eſt, qui vlla diſcurſus, ac rationis vi famem, ac ſitim in ſe ipſo compeſcere poſſit, quemadmodum nec ſumpto cibo, & potu poteſt ſibi ipſi eſſe impedimento, quominus & nutriatur, & creſcat, ſi ea modo ætate ſit, quę ad creſcendum ſit idonea. Hanc Socinus exiſtimat legem diuinam dici poſſe, qua ſine vlla humanæ rationis ope omnia prorſus, quæ tota hac mundi machina concluduntur, & animata, & inanimata, & rationabilia, & irrationabilia reguntur, iuxta illud Boetij libro tertio de conſolatione.

« O' qui perpetua mundũ ratione gubernas. Quod quia pleniori eget explicatione, nos aliquantò accuratius exquiremus paulò poſt, ſit ne prorſus hac in re Socino aſſentiendũ. Huic animę parti, quã dicunt vegetatiuã, proxima eſt ſenſitiua, quę neq; ipſa ſolis hominibus data eſt, ſed & in brutis animatibus cernitur ineſſe. Ea verò ad maris, & fœminę cõiunctionem pertinet, ad liberorũ procreationẽ, eorumq; educationem, vt docet Vlp. in l. 1. ff. de Iuſt. & iur. Iuſtin. inſt. de iur. nat. gen. & ciuil. §. ius naturale. Sic « & Cicero libro. 1. offic. Commune (inquit) animantium omnium eſt coniunctio « nis appetitus procreandi cauſa, & cura quędam eorum quæ procreata ſunt. Quanuis autẽ hæc potẽtia rationalis non ſit, tñ propius ad eam quodãmodo accedere, atq; ipſius ſpeciẽ prę ſe ferre videtur. Nam pręter mouendi, & appetendi, complectitur etiã cognoſcendi facultatem quandam, quę toties munus ſuum explet, quoties oculis noſtris, alijsuè ſenſibus corporeæ res aliquę (quæcunq; illæ tandem ſint) obijciuntur. Etenim res omnes ſibi à ſenſibus exterioribus oblatas ſenſus communis recipit, receptas imaginationi offert, oblatarum rerum ſpeties imaginatio format, formatas deniq; memoria conſeruat. Prout verò in hunc modum vnumquodq; vel bonum, vel malum eſſe cognoſcimus, ita illud ipſum eadem hac ſentiendi vi, vel expetimus, vel reijcimus.

Qua

Digitized by Google

Qua de re exiſtimat Ariſtoteles lib. 1. de moribus cap. ult. ſenſitiuam animæ potentiam, uel ſi rationalis non ſit, rationis tamen haud prorſus expertem eſſe, propterea
5 quod delectum habet quemdam, & ui ſua ad optimum quodq; nos inuitat. Hanc ſentiendi uim naturæ legem nominat Socinus in Rub. ff. de uerb. oblig. Quod idem quãuis & Vlpianus, & Iuſtinianus in locis proximè citatis uideantur ſentire, dum ius etiam brutis tribuunt animantibus, non tamen id ſatis tutò uidetur recipi poſſe, Si quidem in con
6 trariam ſententiam ſe propenſiorem Paulus oſtendit in l. pen. ff. de iuſt. & iur. qui ius ita diſtinguit, ut ſolis hominibus illud ſe concedere, cæteris uerò animantibus planè denegare haud obſcurè teſtetur; Habuit autem Paulus hac in re authorem Ariſt. lib. 5. de moribus cap. vij. ubi idem apertè ſentit, dum ius politicum in duas ſpeties, naturale ſcilicet, ac legitimum deducit, eiuſq; differentias ita exponit, ut eas ſolis hominibus conuenire demonſtret. Quare cum neq; hoc ſatis liqueat, quod de anima ſenſitiua affirmat Socinus, ſed in eo Iuriſconſulti inter ſe pugnare uideantur, aliquantò accuratius id quoque à nobis inferius explicabitur. Tertiam deniq;, & ultimã animæ noſtræ facultatem dicimus rationalem; Hæc eſt illa naturæ noſtræ uis, qua non modò quid quaque in re uerum ſit, quid uè deceat, intelligimus, ſed etiam ad ea quæ recta, & honeſta eſſe cognoſcimus, ſtudio quodam impellimur, contraq; ab ijs amouemur, quę iuſtitiæ, atque honeſtati repugnare iudicamus, Ita enim comparatum eſt, ut cum primum intellectus noſter, quem poſſibilem uocant, eo inuiſibili lumine illuſtratus, quem intellectum agẽtem appellant, rectum aliquid, & bonum eſſe cognoſcit, tum ſtatim uoluntas, quæ eſt altera rationalis animæ uis, ita eius amore incendatur, ut membra ad operandum confeſtim moueat, Quo fit, ut niſi res aliqua impedimẽto ſit, operatio, & effectus neceſſariò ſubſe
7 quatur, ut dicit Ariſt. lib. vij. de moribus cap. iij. Multa de hac rationali animæ facultate dici poſſent, quæ ut à Philoſophis naturalibus accuratè tractatur, ita à nobis eſſent alieniſſimæ; Nobis enim id tantum propoſitum eſt, ut cognoſcamus utrum hominis ratio ſit lex, ac cum ſimpliciter legem dicimus, rectè ne rationẽ ipſam intelligamus. Qua in re pariter ſuã nobis Socinus paucis ſentẽtiã aperit, cũ dicit rationẽ eſſe legẽ naturalẽ ꝑ quã homo ad ea q̃ ratiõe cõſtat, inclinatur. Verũ cõtra ipſius ſñiam tria uideo in mediũ afferri poſſe, quorum mox confutatio ad ea quæ tradere inſtituimus, faciliorem aditum præſtabit. Quamq̃ verò de ratione tantùm loquemur, tamen ad reliquas quoq; duas potentias hæc eadem obiecta pertinebunt; Nam ſi demonſtrari poſſet, hominis rationẽ non eſſe legem, multò magis idipſum & de reliquis duabus animę partibus affirmandum eſſet. Primùm igitur humanam rationem non eſſe legem, ita demonſtrari poſ
8 ſe videtur, Illud omnibus exploratiſſimum eſt, potiorem hominis partem rationem eſſe, imò verò ſenſere nonnulli hominem nihil aliud eſſe, quàm animam, & rationem ipſam, ita vt rationem, & mentem hominis totum hominem eſſe affirmarent, corpus verò hoc quod cernimus non hominem, ſed hominis inſtrumentũ exiſtimari debere; Quod apertè ille ſenſiſſe videtur, quem dicere ſolitum ferunt, loquere vt te videam, nam dum iubebat hominem loqui, vt hominem videre poſſet, ex hoc perſpicuè indicabat, hominem non eſſe hoc quod ſpectamus corpus, ſed rationem quę intus latet, & viget, atq; oculis corporeis cerni non poteſt. Hoc verò ipſum fuſius in Alcibiade primo proſequitur Plato, apud quem Socrates argutiſſimis rationibus oſtendere conatur, ſe qui amabat Alcibiadem, non corpus eius, ſed animum, & rationem adamaſſe. Hoc ita conſtituto, concludi poſſe videtur, falſum eſſe quod Socinus affir-



Digitized by Google

mat, hanc ipſam mentem, & rationem eſſe legem, nam cùm ratio non quidem totus
homo (nam uerè in hoc Plato à ueritatis ſcopo aberrauit) ſed potiſſima certè ipſius
pars ſit, ſi eamdem rationem contendis eſſe legem, ipſum quoq; hominem, ſaltem quo
ad potiorem ſui partem, ſibi ipſi legem eſſe concedas oportet, Hoc autem nimis durū,
minimèque ferendum uidetur, ut dicas legem eſſe ipſum hominem, cui lex impoſita 9
eſt, & id quod obſtringit ab eo quod obſtringitur, nihil propemodùm differre. Alte
rum eſt, quod contra hanc Socini ſententiam maximè facit, quia non uidetur lex dici
poſſe, quæ non prҿſideat, ac dominetur, ut ex Chryſippo ſummo Stoicæ diſciplinҿ phi- 10
loſopho refert Martianus in l. 2. ff. de legi. Oportet (inquit) legem præſidere bonis, &
“ malis ducem, & Principem eſſe, & quæ ſequuntur. Hoc autem non verè affirmari poſſe
“ uideretur, ſi ratio hominis eſſet lex, quia uerè hҿc mens, & ratio non prҿſidet bonis, &
malis, neque ſemper in hominibus præualet, aut dominatur, cum imò homines eo ipſo
quod cum ratione operantur, malè operari, & ratione ipſa abuti poſſint, quod egregiè
exemplo citharœdi oſtendit Ariſtoteles lib. j. de moribus cap. vij. Sicut omnis (inquit) ci 11
“ tharœdi opus eſt citharam pulſare, periti uerò, ac probè docti citharœdi, rectè pul-
“ ſare, ſic hominis cuiuſcunque eſt agere cum ratione, probi uerò hominis eſt re-
“ ctè cum ratione operari. Quibus uerbis demonſtrat Ariſtot. non omnes qui cum
“ ratione agunt, rectè agere, ſed à rectæ rationis ſemita poſſe declinare, Quod cum ita ſe
habeat, qui accuratius hanc rem totam inſpexerit, non dicet rationem eſſe legem, ſed
illud potius legem appellabit, quod præcipit, ut recta rationis ſemita inſiſtamus, con-
traque prohibet, ne ab ea declinemus, neuè malè cum ratione agamus, cum ex eodem
Chryſippo tradat Martianus legem eſſe præceptricem faciendorum, prohibitricemque
non faciendornm d. l. 2. ff. de leg. Alioquin nimis abſurdum eſſet eum qui lege utitur,
uel ex lege aliquid agit, in eo poſſe delinquere, ſicut perſpicuè ſentit Ariſto. eum qui
cum ratione agit, eo ipſo perperam, & iniuſtè agere poſſe. Poſtremò uel ſi maximè cō
cedamus (id quod nequaquàm concedi debet) eum qui ratione utitur, ſemper illa re-
ctè uti, non tamen confeſtim ſequitur rationem eſſe legem, quod ſic oſtendi poteſt.
Duo hæc uocabula ius, & lex apud noſtros confunduntur, ſic Iuſtinianus in §. ſingulo 12
rum Inſti. de re diui. ius uidetur appellare legem illam naturalem, quam unà cum hu-
mano genere rerum natura prodidit, Idem etiam de lege poſitiua probatur in l. iura cō
ſtitui in l. ius naturale. ff. de leg. iuncta rub. eiuſdem tit. Lex igitur, & ius tanquàm unū
& idem accipiuntur. Cum hoc concedis, tum ſic argumentor, Ratio noſtra non eſt
ius, ergo ratio non eſt lex. Quod uerò pono rationem non eſſe ius, apertè teſtantur Ca
ius, & Iuſtinianus, dum ius illud appellant, quod naturalis ratio inter omnes homines 13
conſtituit l. omnes. ff. de iuſt. & iur. §. ſed ius quidem inſti. de iur. nat. gen. & ci. quibus in
locis de naturali omnium hominum lege loquuntur, Quam cum dicant à naturali ra-
tione fuiſſe introductam, haud obſcurè ſignificant eam à ratione diuerſam eſſe. His tri-
bus argumentis Socini ſententia optime uidetur refelli poſſe, qui rationem ipſam le-
gem eſſe ſentit, Quæ tamē argumenta quo pacto dilui poſſint, ſequēti capite aperietur.

## ARGVM.

QVàm uariè legis nomen uſurpetur, & quæ nam uere ſit illa lex, quam nobis in to-
ta iuriſcientia conſiderandam proponimus.

1 Legis

Digitized by Google

1 Legis nomen quàm latè pateat, & quomodò ſtrictius, propriuſque accipiatur.
2 Quatuor legis ſpeties Plato conſtituit.
3 Quam Platonici dicunt legem diuinam Theologi æternam nominant ob rationem hìc adductam.
4 Non defuerunt qui cœlo, ipſique mundo uniuerſali animam, & rationem ineſſe ſtultè arbitrati ſunt.
5 Lex quoque cœleſtis, ut à Deo promanat tanquàm à prima rerum omnium origine, ſic diuinæ prouidentiæ penitus ſubiicitur.
6 Sola ſunt corpora, quæ cœleſtium corporum impreſſionem aliquam poſſint recipere.
7 Quæ inter nos paſſim cõtingunt, ea ex ſiderum conuerſionibus neceſſitatem nullam aſſumunt.
8 Lex naturalis non prorſus dici pôteſt eſſentiam ab æterna lege diuerſam, ac ſeparatam habere.
9 Homines multò præſtantiorem in modum, quàm cætera, diuini luminis impreſſionem participant.
10 Cuiuſmodi illa ſint, quæ nobis à lege naturali ſuggeruntur.
11 Lex humana unde fluat, aut quo pacto à naturali lege diſtinguatur.
12 Secus Theologi diuinam legem accipiũt, ac Platonici faciant.
13 Diuinam legem non ſempet homines habuerunt, ut naturalem.
14 Lex diuina non exteriores tantùm actus coercet, quod unum facit lex humana.
15 Ex duabus diuinis legibus, quantum Moſaicæ præſtet Chriſtiana.
16 Duplex ratio, cur præter humanam legem, lex quoque diuina hominibus fuerit neceſſaria.
17 Lex Pontificia utrum diuina potius, an humana debeat appellari.
18 Lex Pontificia non tàm in diuinarum ſcripturarum explicationè, quàm in dirimẽdis hominum controuerſiis uerſatur.
19 Non prędictas omnes legum ſpeties, ſed naturalem tantùm, & humanam conſiderat iuriſperitus.
20 Magis propriè legis nomen ſibi uendicat lex naturalis, quàm lex humana.
21 Non putat Plato legem humanam legis nomen mereri, niſi quatenus naturali gi & conſentanea.
22 Quicquid à legislatore conſtitutum eſt quodammodò iuſtum exiſtimari Ariſtoteles tradidit.
23 Cum legem dicimus, non tàm ſpectamus quid ea decretum ſit, quàm quid decerni debuerit.
24 Inter proprium, & improprium datur medium.
25 Verè ne lex naturalis ita definiri poſſit, ut hominis ratio ſit, & quomodò hoc ſit accipiendum.
26 Dupliciter differunt uoluntas, & electio, licet quantum ad id quod nunc agitur confundantur.
27 Natura omnes homines ad id quod rectum, & honeſtum eſt propendunt, & inclinant.
28 Legis definitio ex Platone.
29 Lex naturalis non ſcripta, ſed nata, adeoque noſtris mentibus inſculpta, ut nemo illam ignorare, aut diſſimulare poſſit.
30 Lex unde dicta.
31 Facit duplex hominis natura, ut diuerſis cõſideratis homo ſibi ipſi lex dici poſſit.
32 Tres illę perſonæ quæ diſtinguuntur in aliis iudiciis, nimirum iudex, accuſator & reus, in legis naturalis iudicio, ſubiecto concurrunt.
33 Nullum ſeuerius, atque incorruptibilius quàm proprium cuiuſque de ſe ipſo iudicium.
34 Naturalis legis pœna eſt, quod ſceleſti homines propriorum ſcelerum conſcientia uexentur.
35 Proborum hominum ampliſſimum pręmium, rectè factorum conſcientia.
36 Ius, & lex non idem planè ſunt.

## CAP. III.

VT ergo intelligatur, uera nè hæc, an falſa ſint, quæ contra Socini ſententiam obiecta fuere, ac ſimul ea omnia accuratè tradantur, quæ hac in re ſcitu neceſſaria ſunt, plenius aliquantò nobis explicandum eſt, quid hoc ipſum ſit quod legem appellamus. Reperio hoc legis nomen latiſſimè patere, id quod & Plato



Digitized by Google

animaduertit in eo dialogo qui Minos, ſeu de lege inſcribitur, vbi vocabulum hoc ad omnia inſtituta, omneſque regulas, quæcunque in arte tradantur, rectè referri poſſe arbitratur, Vnde non tantùm iuriſconſultorum, non tantùm Medicorum, ac Geometrarum leges eſſe ſtatuit, ſed etiam quæ de cultu hortorum ab agricolis, imò & quæ à coquis de condendis obſonijs præcipiuntur, rectè hoc nomine nuncupari poſſe putat, & horticulorias illas, has coquorum leges appellat. Verùm alibi ipſe Plato hoc nomen legis aliquantò magis coarctauit, legem illam eſſe ſentiens, cui rerum imperium, ac gubernatio quædam ſit, & quæ certum vitæ modum, certamq; normam præſcribere poſſit. Quatuor autem ille legis ſpecies eſſe ſtatuit, diuinam, cœleſtem, naturalem, & humanam, vt ex Timæo, Phædra, & Gorgia colligitur. Diuinam legem ſtatuit eſſe ſummi, præpotentiſque Dei prouidentiam; Idem enim Plato lib. x. de legib. impietatis eos arguit, qui non ab ipſo rerum omnium opifice Deo omnia proficiſci, omniaq; regi, ac gubernari putet. Cùm igitur nobis exploratiſſimum eſſe debeat, quicquid hac tota tùm inferioris, tū ſuperioris mundi machina continetur, diuina regi prouidentia, conſequens eſt, vt ſicut in Principe, qui perfectam aliquam communionem hoc eſt ciuitatem, ſiue vnam, ſiue plures gubernat, regendi, ac moderandi normam illam legem appellamus, ſic in Deo ſummo & opt. ipſam rerum omnium gubernandarum rationem legis inſtar eſſe dicamus. Hanc quam Platonici diuinam vocant, Theologi æternam nominant, vt hoc nominis diſcrimine hanc ab ea ſecernant, quàm paulò poſt diuinam nuncupabimus, Sic eam appellat Diuus Thomas in prima ſecundæ quæſtione 91. ibique huius nominis rationem illam affert, quià diuina ratio nihil ex tempore concipit, ſed æternum habet conceptum, vt dicitur Prouerb. 8. quo fit, vt cum æternum hunc diuinæ rationis conceptum nos legem dicamus, iure optimo æternam legem appellare poſſimus. De hac pulchrè Cicero libro 2. de legibus, cum inquit. Hanc igitur video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neq; hominum ingenijs excogitatam, neq; fictum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quoddam, quod vniuerſum mundum regeret imperandi prohibendique ſapientia, Ita Principem legem, & vltimam Dei mentem eſſe dicebant. Hùc etiam pertinet, quod ex Boetio refert hìc Socinus.

" O' qui perpetua mundum ratione gubernas.

Secundam, ut diximus, legem, nimirum cœleſtem ſtatuunt Platonici, quam fatum eſſe dicunt, & non in ſola mente diuina, ſed in ſuperioris mundi anima, ac ſferarum, ſiderumque inclinatione quadam poſitam eſſe, Nam ut huic noſtro corpori, quod cuiuſdam ſimilitudinis ratione (quòd uniuerſalis mundi inſtar ſit) à multis paruus mundus non inconcinnè dictum eſt, mentem atque animam includi perſpicuè cognoſcimus. Ita cœlo, ipſiq; mundo uniuerſali animam, & rationem " ineſſe, quanuis ſtultè, uoluerunt. Sic Cicero lib. 2. de legibus. Quid eſt uerius, " quàm neminem eſſe oportere, tàm ſtultè arrogantem, ut in ſe mentem, & ratio" nem putet ineſſe, in cœlo, mundoq; non putet, aut ea quæ uix ſumma ingenij ra" tione comprehendat nulla ratione moueri putet? Eamobrem Plato primam quidē illam legē ſupra rationes eſſe dicit, hanc uerò ſecundam putat in rationibus eſſe poſitam; ꝓpterea qđ hęc lex cœleſtis, quę dicitur fatū, quãuis ipſa quoq; à Deo ſummo,

& opt.

5 & opt. vt à prima rerum omnium origine promanet, diuinæq; penitus ſubijcia-
tur prouidentię, certis tamen, & naturalibus rationibus continetur. Exiſtimat enim
in ſpherarum, ſiderumq; animabus( propterea quod illis hæc inferiora forma, mo-
do, temporeq; conſentiant)inuolutam quandam ineſſe ſeriem futurorum, ac rerum hìc
apud nos explicãdarum quaſi pręfigurationem, Atq; ea re fieri, ut quẽadmodũ plantę
certis temporibus accedente, uel recedente Sole uel pullulent, uel areſcant(uniuerſa ſci
licet uerni, uel autumnalis temporis natura ad id illas prouocante) ita homines, cęte-
ręq; animantes certi temporibus, ac certis aſtris accedẽtibus, uel recedentibus, ſimulq;
iũctis, uel ſemotis, eorumq; aſpectibus quoquo pacto uariatis, interdum uitas longius,
ac fœlicius producant, interdum uerò interitus acerbiores habeant. Quod ita recipien
dum eſt, ut ſemper illud conſtantiſſimè retineatur, ſola hìc eſſe corpora, quæ cœleſtium
corporum impreſſionem recipiant, animorum uerò noſtrorum, qui incorporei, ac pla
nè diuini ſunt, libertatem nequaq̃( ut quidam non modò impiè, ſed & ſtultè prorſus ar
bitrati ſunt) ulla ex parte imminui poſſe, Sicuti nec poſſunt ea, quæ inter nos paſſim cõ-
tingunt, quæque ſummi, atque opt. Dei prouidentia fieri dubitandum non eſt, ex ſide-
6 rum conuerſiònibus neceſſitatem ullã aſſumere. Tertia eſt lex naturalis, quam dicit
Plato in ſeminibus poſitam eſſe; eſt enim uis quędam rerum ſeminibus innata, qua ſin-
gulæ ad proprios actus, propriosq; fines propendunt, & inclinant, Hoc autem ideò fit,
7 quia, ut docet diuus Thomas in prima ſecundæ quæſt. 91. artic. 2. nihil planè eſt, quod
non legis æternæ, hoc eſt diuinę rationis particeps ſit, quatenus ab illa tanq̃ uniuerſali
omnium rerum regula, ac mẽſura regitur, & gubernatur. Vnde fit, ut lex naturalis non
8 prorſus dici poſſit eſſentiam ab æterna lege diuerſam, ac ſeparatam habere; imò enim
pars ipſius eſt, ab illa ſola pendet, & promanat, ab illa deniq; uim, & robur omne ſuum
aſſumit. Lex æterna (ut diximus) in ſola diuinæ mentis ratione cõſiſtit, lex uerò natu-
ralis, quocunq; illam applices, nihil aliud eſt, ut diuus Thomas ibidem declarat, quàm
diuini numinis impreſſio, cuius ſolius communicatione res omnes innatam illam uim
aſſumunt, qua bonum ſemper aliquod ſuaptè natura appetunt, atque ad proprios fi-
nes diriguntur, Qua ex re fit, ut quæ ſunt naturę ipſi quoque Deo tribuere ſoleamus, ut
Ouidius cum inquit.

« Hanc Deus, & melior litem natura diremit.

Hęc uerò diuini numinis impreſſio, & communicatio, tametſi omnibus in rebus per-
9 ſpicitur, tamẽ in hominibus multò clarius, quàm in alijs elucet, Cæteris enim & rebus,
& animantibus diuinum hoc lumen eatenus tantùm, quatenus fert eorum natura, com
municatur, & ita quidem communicatur, ut ea tamen ab illius uirtute, ac præſtantia
longiſſimè abſint; Homines autem diuini intellectus, & rationis eſſentialiter ( vt inquit
diuus Thomas) ac uerè rationaliter participes facti fuere, Vt non modò recta, hone-
ſtaq; & cognoſcant, & appetant, ſed arduis etiam in rebus maturè deliberare, ac pro-
uidere poſſint, vitæ rationem inſtituere, mores componere, aliorum hominum cœtus
moderari; quo fit ut cùm ingeniorum acie diuinę ſapientiæ quaſi ſpetiem, ac ſimula-
crum præ ſe ferant, tùm mira in rebus gerendis ſolertia diuinam prouidentiam imiten-
tur, ac denique totius naturæ ſuæ nobilitate ad ſupremæ naturæ præſtantiam proximè
accedant. Idq; proculdubio ex eo proficiſcitur, quod homines modo quodam
longè nobiliori, ac pręſtantiori diuinę prouidentię, quàm cœtera, ſubijciuntur; ac ꝑpte
rea illuſtrius, pleniusq; in ipſis, quã in alijs fit diuini luminis impreſſio, ac cõmunicatio.



Digitized by Google

Eſt verò hæc diuini luminis communicatio in hominibus, quam nos legem natura-
lem appellamus, quæ nobis quid rectum,quiduè bonum ſit, ſingulis in rebus oſtendit,
cuiusq; ope cognoſcimus cultū Deo exhibendum, patriæ, ac maioribus parendum, fi- 10
dem ſeruandam, & id genus alia,quæ omnibus, qui ratione præditi ſint, cognita eſſe
neceſſe eſt. Atque idipſum oppidò quàm eleganter diuinus Vates nobis expreſſit, qui
poſteaq̃ ad iuſtitiam nos adhortatus eſt,quoniam uidebat multos forſan extituros, qui
ſe excuſarent, quòd ſe neminem habere dicerent, qui quæ iuſta, & honeſta eſſent, ip-
ſis oſtenderet, reſpondet ea neminem ignorare, aut diſſimulare poſſe,cum diuini qua
ſi vultus lumen ita ſignatum in nobis ſit, ut apertam iuſtitię, atque honeſtatis ſpetiem
« facile unuſquiſque in ſe ipſo cernere, atque intueri poſſit. Sacrificate (inquit) ſacrifi-
« cium iuſtitiæ, & ſperate in Domino. Poſtea ſubijcit. Multi dicunt quis oſtendit nobis
« bona? Cui obiecto ſic reſpondet. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.
Lumen intelligamus rationis naturalis,ut rectè exponit diuus Thomas in prima ſecūdæ
quæſt.9. art. 2. Itaque rectè Tullius lib. 2. de legibus, cum dixiſſet principem & ultimã
legem Dei mentem eſſe,poſteà ſubijcit,naturalem ex ea legem oriri, atque ex hoc ortu
« ipſius arguit præſtantiam. Ex qua, inquit,illa lex,quam Dij humano generi dederunt,
« rectè eſt laudata, eſt enim ratio, menſq; ſapientis ad iubendum, & uetandum idonea.
« Et paulo poſt. Quæ nō tum deniq; incipit lex eſſe,cum ſcripta eſt,ſed tum cum orta eſt,
« Orta autem ſimul eſt cum mente diuina; quamobrem lex uera, atque princeps apta ad
« iubendum, & ad uetandum ratio eſt recta ſummi Iouis, Ergo ut illa diuina mens ſum-
« ma lex eſt, ita cum in homine eſt perfecta,eſt in mente ſapientis. Poſt legem natura-
lem quarto loco legem humanam numerauimus; Profluit hæc lex humana à lege natu
rali, ſicq; ipſa quoque à lege illa æterna, ut à primo fonte promanat, à qua legis natu- 11
ralis originem proxime deduximus. Siquidem ex principijs communibus,& indemon
ſtrabilibus, quæ legis naturalis ſunt,ipſi deinde homines eius,qua prędíti ſunt,rationis,
& mentis pręſidio adiuti, alia nonnulla plenius, magisq; ſpetiatim conſtituerunt,quę
non ita paſſim omnibus nota eſſe, aut eodem ſemper modo ſeſe habere, ſed plerunq;
mutari,ac uariari poſſe uidemus; atque hæc ſunt, quæ legem humanam, ſeu poſitiuam
perficiunt. Verùm quoniam quę ad legem humanam attinent,infra accuratius à nobis
explicabuntur,ſatis erit in pręſentia hoc tantùm indicaſſe, quo pacto lex humana ab a-
lijs legū ſpetiebus diſtingui debeat. Pręter has quattuor leges, nimirum æternā, cœle
ſtem,naturalē,& humanam,addunt Theologi legem diuinam. Diuinam autem legem 12
uocant,non prouidentiam,ut Plato, nam æternam illam dicunt,ut ſic commodius ſin-
gulis appellationibus ſingulæ leges diſtinguantur; diuinam uerò eam appellant, quæ
pręter inſtinctum,& rationem naturalem ab ipſo Deo optimo maximo pro eo,quo ge
nus humanum proſequitur,incredibili amore, & charitate hominibus data eſt; primò
quidem Iſraeliticis, deinde præſtantiorem quendam in modum nobis Chriſtianis. Hęc
non ex omni ſua parte mentibus,& rationibus noſtris inſculpta eſt, atque ob id nō unà
cum humano genere eſt prodita, quemadmodum naturalis, Imò enim fuit aliquando
tempus, cum hanc legem homines non habuerint, quanuis eius pręcepta legis natura- 13
lis principijs mirificè conſentiant arg. cap. 1. prima diſtin. Neque uerò id ſolum di
uina lege aſſequimur,quod lex humana nobis pręſtat, quę actus tantùm exteriores mo
deratur, interiores uerò animi motus in nobis non coercet, neque tacitis cogitationi- 14
bus ullam pœnam conſtituit l.cogitationis pœnam.ff.de pœnis l.fugitiuus, & l. ſępe.ff.
de uerb.

Digitized by Google

de uerb.ſig.l.inficiandi.ff.de furtis.l.qui autem.ff.de his,qui not.infam. Sed multò prę-
ſtantiorem in modum ſancit lex diuina,interioresq; etiam motus, & tacitas cupiditates
noſtras coercet, ac moderatur; Etenim lege humana id tantum prohiberis, ne alienas
nuptias adulterio polluas; illud uerò addit lex diuina,ut ne facere quidem id concupi-
15 ſcas. Atqui ex duplici,quę ab ipſo Deo hominibus data eſt,lege diuina,eò Moſaicę præ-
ſtat Chriſtiana,quod hęc non tantùm imperat, ſed etiam robur nobis quoddam addit,
atque inuiſibilem gratiam largitur, qua imperata perficere ualeamus;quod nec Moſai-
cæ,neque alterius ullius legis munere unq̃ homines conſequi potuerunt. Quamobrẽ
uerò pręter naturalem,& humanam legem,quę ad benè, beatèq; uiuẽdum uidebantur
16 ſatis eſſe poſſe, lex diuina fuerit neceſſaria, duplex ratio aſſignari poteſt. Primò
conſiderandum eſt,ſemper legi ( quæcunque illa ſit ) certum finem propoſitum eſſe o-
portere, quem actiones noſtræ omnes intueantur; finis autem legi naturali non is po-
teſt eſſe propoſitus, qui humanæ naturę conditionem excedat,hocq; ſolum illa ſpectat,
ut ad hanc quam hìc uiuimus uitam rectè,& honeſtè degendam nos inſtituat. Sed ma-
lè proculdubiò, imò uerò infœliciter prorſus nobiſcum ageretur,ſi ad hunc ſolum finẽ
nati eſſemus; eſſemus enim (ut uerè diuinitus ille dixit) miſerabiliores cœteris omnibus
animantibus. Quare finem illum, cui nos Deus ſummus,& opt. deſtinauit, longè
præſtantiorem eſſe oportet; atque is porrò eſt,ut ad Deum ipſum,unde ortum iam du-
ximus,peracto demum huius miſerrimæ uitę curriculo reuertamur,Ibiq; diuinam natu
ram in qua omnes omnium rerum theſauros abſcondi perſpicuum eſt, proprius contẽ-
plemur; & cum beatis ſpiritibus fœliciſſimo,ac ſempiterno æuo perfruamur. Quoniam
uerò hunc finem lex naturalis non agnoſcit, utpotè quę humanę naturę ( quemadmo-
dũ diximus) conditionem non excedit, proptereà ad hanc rem diuina lege opus fuit,
quę ad tàm pręſtantem finem animos noſtros incenderet, eoq; uitam,mores,atque o-
perationes noſtras omnes dirigeret, atque inſtitueret. Eundem hunc finem quem ſpe-
ctat lex diuina, lex quoque Pontificia ſibi proponit, ut ad futurę uitę fœlicitatem no-
17 ſtras dirigat actiones. Quocirca diuina potius,quàm humana debet appellari.ar.c.quo
iure 8. diſtin & c. nimis, ubi plenè not. de iureiur. Idq; cũ ob hanc quã diximus cau-
ſam, tùm etiam quia non humano ingenio excogitata fuit, ſed diuino ſpiritu dictata,
Cõſtat enim non tantùm Sanctorum Patrum traditionibus, ſed etiam ſummorum Põ
tificum conſtitutionibus,in quos ſummus Deus, & ſeruator noſter Chriſtus omnem
tùm ligandi,tùm ſoluendi contulit poteſtatem, Itemq; ſanctiſſimorum ſynodorum de
cretis, tùm & alijs eccleſiæ inſtitutis,quam ſe ille nunq̃ deſtituturum, ſed uſque ad con
ſumationem ſeculi ſemper ipſi præſtò futurum diuino eloquio pollicitus eſt. Quibus de
cauſis hęc quoque lex diuina dici poteſt, quanuis non tàm in diuinarum ſcripturarum
18 explicatione,quàm in dirimendis hominum controuerſijs uerſetur, ut docet Gratianus
cap. 1. 21.diſtin. Altera inſuper,cur lex diuina nobis traderetur,cauſa fuit,mira rerum
humanarum uarietas,& inconſtantia, tum & humani iudicii imbecillitas,Quibus re-
bus plerũq; fiebat,ut ne hunc quidem finem per noſmetipſos aſſequi poſſemus, qui ad
terrenam hanc uitam rectè informãdam,atque inſtituẽdam pertinet. Multa enim quo-
tidie eueniebant perplexa, dubia,atque incerta, in quibus neq; naturali lege quicquàm
iuuabamur, utpotè quæ omnium paſſim mentibus inſculpta communia tantùm quæ-
dam practici intellectus principia continet, At neque ab humana lege ſatis certum prę
ſidium ſperare poteramus, quę ab infirmo, hebetiq; hominum iudicio profecta à uerò
iuſtitię,

Digitized by Google

iuſtitiæ, & honeſtatis ſcopo plerunq; aberrabat. Earundem enim rerum ſæpe diuerſa, imò & planè contraria ſunt iudicia, Cum videamus nō modò apud uarios populos varia viuendi inſtituta, ſed etiam in eadem ciuitate frequentes legum promulgationes, abrogationes, correctiones, mutationes. Quare hac quoque de cauſa diuinę legis præſidio opus fuit, quæ ſublata omni errorum quaſi caligine, uerum nobis ad iuſtitiam, & honeſtatem aditum pateſaceret, ac certiſſima norma, quæ nullo modo deficere, aut errare poſſet, quid ſequendū, quiduè fugiendū eſſet, nobis pręſcriberet. Has quinq; legum ſpeties explicare non prorſus alienum eſſe duximus; ſciendum tamen eſt non has omnes ad inſtitutum noſtrum pertinere, Etenim eam quam diximus cœleſtem legē uocari nō modò non Iuriſconſultorum, ſed nè piorum quidem ullorum hominum ſtudio dignam cenſemus, Æternam uerò, itemq; diuinā legem, ut cæteris omnibus longè anteponimus, ita eas Theologis reſeruamus; niſi quatenus pontificias traditiones diuinę legis appellatione ob rationes ſuperius adductas complecti uelimus. Quare nos poſtremas duas tantùm legis ſpeties conſideramus, naturalem ſcilicet, & humanam, Quæ lex humana vſqueadeò naturali legi affinis, & cōnexa eſt, vt nulla alia, quam naturę habeat fundamenta, atque à ſolis (quemadmodum anteà diximus) naturalis legis principijs proficiſcatur. Ex his porrò duabus, quæ ſolæ tùm à nobis, tùm etiam à moralibus philoſophis conſiderantur, maximè propriè lex dicitur lex naturalis, quam vnà cum humano genere prōditam eſſe & nos ſupra docuimus, & tradit Iuſtini. in §. ſingulorum inſti. de re. diui. Ita vt legi humanę, ac poſitiuę quatenus per ſe illam conſideres, ſi non impropriè, at certè minus propriè hoc legis nomen conueniat. Siquidem (vt rectè aduertit Ficinus ex Platone in Minoe) ea quæ à principibus, & populis ſtatuuntur, non niſi quà naturali legi conueniunt, legis nomen merentur, Nam ſi à recta illa, & optima naturę ſemita declinent, rectè quidem decreta, & edicta, ſiue inſtituta dicuntur, leges autem nequaquàm appellari debent. Idemq; etiam apertè ſenſit Papinianus in l.1. ff. de legibus, cum dixit legem eſſe virorum prudentum conſultum; neque enim ſanè prudentum conſultum diceretur, niſi iuſtitię, & honeſtati conueniret, ſine qua prudentiæ nomen non conſiſtit. Hinc Cicero lib. 1. de legibus, poſteàquàm loquutus eſt de lege naturali, illāq; veram legem eſſe diffiniuit, hęc verba ſubiungit. Popularirer interdum loqui neceſſe eſt, & appellare eam legem, quæ ſcripto ſancit, quod vult aut iubendo, aut vetando, vt vulgus appellauit. Non hanc ego certè auſim dicere impropriè legem, cum ſic paſſim vſurpetur à noſtris Iuriſconſultis, vel ſi dura, & iniqua videatur l. proſpexit. ff. qui, & à quib. & toto tit. ff. de legib. Iccircò enim ſic poteſt ſat congruenter appellari, quia quicquid ab eo conſtitutum eſt, qui legis condendę auctoritatem habeat, quodammodo iuſtum exiſtimatur, vt aduertit Ariſt. lib. 5. de moribus cap. 1. Quā quàm etiam dicere poſſumus, cum ſic legem veteres appellarunt, non tàm quid lex decernat, quàm quid decernere debuerit, conſideraſſe, id quod ęquè, & de iuris vocabulo docuit Vlp. in l. pen. ff. de iuſt. & iur. Prętor quoque (inquit) ius reddere dicitur etiam cum iniquè decernit, relatione ſcilicet facta non ad id quod prætor ita fecit, ſed ad illud quod prætorem facere conuenit. Verumtamen ſicut hanc impropriè legem non dixerim, ita Ciceronis fretus auctoritate minus propriè legem dicere non dubitauerim. Neque id abſurdum eſt, cum inter proprium & improprium medium illud dari, quod non improprium eſt, ſed tamen minus proprium, doceat Vlp. in l. 1. ff. de ſuis & legit. Rectè igitur ante omnia conſtituendum eſt quid ſit hæc lex naturalis, quam

omnium

omnium maximè propriè legem eſſe dicimus, tametſi id quoque ex ſupradictis intel-
25 ligi poteſt. Meæ ſententiæ ſumma hæc eſt, ut uerè affirmari poſſe exiſtimem, legem naturalem eſſe rationem, ſeu rationalem animæ noſtræ partem, ut rectè Socinus quoque hìc dicebat. Sicq; legem definit etiam Cicero lib. 1. de legib. Lex eſt (inquit) naturæ uis, mens, & ratio prudentis, iuris, atque iniuriç regula. Idem Cicero lib. 2. repetit, cum ait, Eſt enim lex nihil aliud, niſi recta, & à numine Deorum tracta ratio, imperans honeſta, prohibensq; contraria. Quibus verbis, non tantùm oſtenditur partem animæ noſtrç rationalem eſſe legem, ſed etiam intelligitur, quomodo ea accipi debeat, ut legis nomen illi conueniat, Nimirum quatenus uolũtati noſtræ imperat honeſta, prohibetq; contraria; quæ res planius in hunc modum explicari poteſt, Conſtat animç rationalis duas eſſe facultates, ſi minus eſſentia, at certè effectu, & operationum diſcrimine inter ſe diſtinctas, nempè intellectum, & uoluntatem, Atque hìc cum dico uoluntatem complector etiam electionem; quamquàm non me latet inter uoluntatem, & electionem
26 eas differentias ſolere aſſignari; quod electio eorum tantùm ſit, quæ in nobis ſunt poſita, voluntas autem etiam ad ea, quç aliunde pendent, imò & quç natura fieri non poſſunt, extendatur. Item quòd uoluntas finem ſpectet, electio autem eorum potius ſit, quæ ad eum nos finem perducunt, Quo fit ut & diuites eſſe, & rectè ualere uelimus, eligere uerò media dicamur, quorum ope & diuites fieri, & rectam valetudinem comparere poſſimus, vt docet Ariſtoteles lib. 3. Ethic. cap. 2. Quas differentias ego hìc non conſidero, quoniã non eſt neceſſe. Habet igitur pars rationalis animç noſtræ duas potentias, quarum altera intelligimus, altera uolumus, atque eligimus. Harum uerò ea eſt inter ſe coniunctio, ut ob eam, quam ſupradiximus, diuinç rationis communionem, id quod rectum, & honeſtum ab intellectu iudicatur, ſemper uoluntas appetat, atque ad id potiſſimum naturæ inſtinctu quodam feratur. Cum ergo dicimus rationalem animã in nobis eſſe legem, nõ eo tantùm accipere hoc debemus, quòd intelligat, At neq; quòd
27 uoluntas ſit, ſed quòd diuini luminis communicatione ita afficiatur, ut ad ea, quç recta & honeſta ſunt, propendat ſemper, & inclinet. Etenim ſicut natura oculi uident, ita animus natura iudicat, & ſicut corpus non poteſt non dolere, cum illi vulnus aliquod infligitur, ita animus ſemper angitur, & cruciatur, quoties iuſtum, & honeſtum uiolari intelligit, cum eo ipſo, animi iudicio quoddam quaſi vulnus infligatur. Propterea Cicero in ſua diffinitione non eo ſolo contentus eſt, ut dicat legem eſſe rationem, ſed in eo rationem conſiderat, dum illud nobis munus præſtat, ut imperet honeſta, prohibeatq; contraria. Atqui hac in re Platonem ſuum ſecutus eſt, ex cuius uerbis tùm in libris de legibus, & in libris de Rep. tùm prçſertim in eo dialogo, qui Minos, ſeu de lege in-
28 ſcribitur, apertè colligimus hanc de legis diffinitione ipſius ſententiam eſſe; ut dicamus legem eſſe ueram gubernandi rationem, quç optimum nos ad finem certis medijs, atq; ad eum ipſum accommodatis inſtituit, atq; dirigit. Hanc uerò diffinitionem conuerti cum ſuo diffinito, ita optimè demonſtrari poteſt. Illud in primis neceſſarium eſt, hanc rationem, quç ſic actus noſtros inſtituit, & dirigit, eſſe primum humanarum operationũ omnium principium, & conſequenter earundem normam, & regulam dici debere, ut oſtendit diuus Thomas in prima ſecundç quæſt. 90. artic. 1. eo uſus argumento, quia, ſi credimus Ariſtoteli, in his omnibus, quç aguntur, primum principium eſt ordinatio, In uno quoque autem genere cernere eſt, quod eſt primum, idem pariter menſuram, & regulam ipſius generis eſſe, Quemadmodum in numeris eadem unitas, quæ numeri principium

Digitized by Google

cipium eſt, numerandi etiam normam, & regulam præbet. Nec minus apertè in genere
motuum hoc perſpicitur, ut qui primus motus eſt, idem etiam ſit, ex quo cœterorum
deinde motuum regula, & menſura perficitur, Atqui certè nihil eſt, quod in quaq;
re legis nomen magis mereatur, quàm quod regulę, & menſuræ uim obtineat. Si ergò
hanc totam argumentationis ſeriem ſpectauerimus, apertè uidebimus rationem no-
ſtram, & mentem, quæ actiones noſtras inſtituit, rectiſſimè legem appellari, nam ſi ordi-
natio eſt actionum noſtrarum principium, ſi principium rerum omnium, earundem re
gula, & menſura eſt, ſi deniq; omnis regula, & menſura in quaq; re, ſola illius rei lex dici
debet, conſequens eſt, ut, cùm humana ratio ſit ordinatio quędam, quæ noſtras actio-
nes dirigit, & inſtituit, ſicut proxima diffinitione complexi ſumus, eam ipſam hominis
eſſe legem fateri debeamus. Hęc eſt illa lex quæ non ab hominibus ſcripta, ſed à Deo 29
ipſo lata, & mentibus noſtris inſculpta eſt, adeoq; omnibus eſt cognita, ut nemo illam
ignorare, aut diſſimulare poſſit; quę tacito quodam iuſſu, atq; præcepto compellit nos
ad ea, quæ honeſta ſunt, & amouet à contrarijs; quam denique non didicimus, aut ac-
cepimus, ſed natura ipſa, & ſola rationis facultate, ob diuinę rationis communicationẽ,
hauſimus, expreſſimus, arripuimus. Iam verò ſi quæras cur hoc potiſſimum nomen
ſortita ſit, vt lex appelletur, Diuus Thomas in 1. 2. q. 90. art. 1. huius nominis originẽ 30
inde fluxiſſe arbitratur, vt à ligando lex fuerit appellata; Sed hac in re mouet me magis
Tullij teſtimoniũ, qui tradit legem à deligendo fuiſſe dictam, atq; in hoc latinos à Græ
cis diſcrepare. Etenim quam latini legem dixere, Græci νόμον ἀπό τῆς γομᾶς hoc eſt à diſtribu
tione appellarunt ſiue ἀπὸ τοῦ γομευειν quod eſt diſtribuere, cum proprium legis munus ſit,
vt ius cuiq; ſuum certa ratione aſſignet, atq; tribuat. Quare Tullius poſteaq̃ de hac le
« ge naturali locutus eſt, ſubijcit hæc verba. Eamq; rem illi græco putant nomine ſuum
« cuiq; tribuendo appellatam, ego verò à deligendo, nam vt illi æquitatis ſic nos dele-
« ctus vim in lege ponimus. Tradita legis cùm diffinitione, tùm ethimologia, ac So-
cini ſententia confirmata, qui partem animæ noſtrę rationalem legem eſſe tradidit, reli-
quum eſt, vt tria illa diluamus obiecta, quę ſuperius in proximo cap. cõtra hãc ſenten
tiam allata fuere. Dùm igitur primò dicebatur ex hac ſententia illud ſequi, vt homo,
qui mens, & ratio haud falsò dici poteſt, idem pariter & lex ſit; id verò abſurdum eſſe, le
gem, atq; hominem eſſe vnũ, & idem, cùm homo potius vtatur lege, ipſiq; legi obſtrin-
gatur; Reſpondetur fore quidem id abſurdũ, ſi hoc ipſum eadem ratione inſpecta acci
peretur, ſed facit duplex, diuerſaq;, qua homines pręditi ſunt, natura, nimirum ratio- 31
nalis, & ſenſitiua, vt neq; mirum, neq; abſonum videri debeat, ſi ratio, quæ tanq̃ Regi
na totius ſimul naturę noſtrę ſupremam partem obtinet, legis munus in nobis expleat,
ſenſus moderetur, libidines coerceat, mores componat, actionibusq; noſtris omnibus
certum modum, ac certam normam pręſcribat. Quo fit, vt vel ſi in alijs iudicijs tres illæ
perſonę inter ſe differre debeant, accuſator, reus, & iudex, cum ſcilicet vel Iulia lege agi 32
tur, vel Pompeia, Corneliaue, aut alijs eiuſmodi, quæ ab hominibus latę ſunt, tamen
cum hac lege naturali agendum eſt, tum vnusquisq; ſolus in ſe ipſo formam iudicij
quandam inſtituat, ſe ipſe tacitus accuſet, ſe ipſe apud ſe defendat, ac ſi illius criminis re-
us, eſt cuius nomine accuſatur, ſemetipſum deniq; condemnet, adeòq; ſeuerum hoc 33
ſui ipſius iudicium experiatur, vt vel ſi à quocunq; alio Iudice abſoluatur, ſe ipſo tamen
Iudice abſolui nunq̃ poſſit, vt elegãter Iuuenalis his verſibus tradidit.

« Exemplo quodcunq; malo committitur ipſi

« *Diſplicet*

Digitized by Google

Diſplicet authori, prima eſt hęc ultio quod ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur.

Itaque non eſt alienum, hominem ſibi ipſum legem eſſe, quod & Apoſtolus apertè ſentit, cum Epiſt. ad Romanos cap. 2. ſcribit gentes eas quibus lex nulla data eſt, ſibi ipſas legem eſſe, ſi modò naturalis rationis præſcriptum obſeruent. Secundum obiectum illud erat quòd lex præeſſe ſemper, ac dominari debet, ſed ratio non ſemper dominatur, imò non ſemper rectè nos inſtituit, cum ſæpe contingat, perperam in eo quempiam agere, dum rationis munus exercet, ut etiam Ariſtotelis authoritate ſupra confirmauimus. Reſpondetur ad hoc, negari quidem non poſſe, quin interdum ratio noſtra ſenſuum illecebris deprauetur, ac quaſi decipiatur, qui ſępe in ratiocinando falſas ſubijciunt propoſitiones, unde fit, ut non uera, ſed falſa illa proficiſcatur ratiocinatio, quam paralogiſmum appellant, Sed non propterea tamen naturę bonitas uincitur, neque ic circò ratio internum illud ſuum remittit pręceptum, ſed aſſiduè intus clamat, & à ſenſibus ſe uidens circumuentam, quantum in ipſa eſt, reluctatur, & cum ui uicta demum ſuccumbit, tùm noſtrum nobis ſcelus continuè exprobat, & conſcientiæ
34 ſtimulis uſque adeò nos uexat, ut non modò liberè nunquàm quieſcere, ſed ne ſpirare quidem ſine continuo animi angore ualeamus. Quapropter cum ratio ne tunc quidem à legis munere, & officio deſiſtat, non uideo cur legis nomen debeat ammittere. Nam ſi humanas leges pariter ſpectemus, illæ certè non ſemper ſeruantur, & multi quotidie contra illas delinquunt, ſed quia eiſdem illis legibus puniuntur, idcircò leges nihilominus & ſunt, & appellantur; legis enim uirtus eſt non tantùm uetare, imperare, permittere, ſed etiam punire l. legis uirtus. ff. de legibus. Atqui certè quin improbi homines, qui rationis, & naturæ perſcriptum lædunt, eiuſdem naturæ, & rationis lege puniantur, inficiari nemo poteſt, nam quę maior poteſt pœna excogitari, quam continuus ille quem diximus animi angor, quo illi, qui iniuſtè, ac ſceleratè aliquid commiſerunt, quaſi furiarum tędis ardentibus (quemadmodum Poetę ſumma cum ratione ſunt fabulati) cruciantur, agitantur, ac perterrentur, ut de Oreſte, Beſſo, alijſque nonnullis exempla non incognita ſunt? qua de re Cicero. Hęc eſt natura (inquit) quæ ab iniuria arcet, quæ uel in maxima ſolitudine uexat tamen impios; hęc eſt natura, quæ de Regibus, ac Tyrannis ſumit pœnas, quas ſi quid peccarint, luunt ipſi non tàm iudicijs, quibus non tenentur, quàm uexatione mentis continua, quę dies noctéſque eos exagitat. Sicut & contrà eadem hac naturę ui qui iuſtè, & hone-
35 ſtè uiuunt rectè factorum conſcientia ampliſſimum pręmium conſequuntur, miram ſcilicet animi quietem, ac iucunditatem, quam ad beatè uiuendum plurimum ponderis habere nemo non fatetur, multi uerò etiam ſolam per ſe ſufficere arbitrantur, unde illa puerorum nænia apud Horatium.

Rex eris aiunt.
Si rectè facies, hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi nulla palleſcere culpa. Eſt porrò hæc nænia,
Quę rectè regnum facientibus offert
Et maribus Curijs, & decantata Camillis.

Sequitur ergo naturalem hanc, quam diximus, legem omnibus in hominibus

C reperiri,

reperiri, ſiue illi rationis præſcripto pareant, ſiue eius munere abutantur, cum uideamus ab hac una lege illos quidem præmio affici, his uerò ſcelerum pœnas maximas imminere, Quanquàm illud ſatis argumenti eſt, quod rationem legem eſſe iam fuit demonſtratum, & ratione omnes homines tùm probos, tùm ſceleſtos prçditos eſſe conſtat, atque in hunc modum Cicero argumentatur lib. 1. de legib. cum inquit.

" Quibus enim ratio à natura data eſt, iiſdem & recta ratio in iubendo, & uetando, ſi
" lex, ius quoque, at omnibus ratio, ius igitur omnibus datum eſt. Rectam rationem in omnibus eſſe putat, quia quanuis ab improbis non ſeruetur, tamen ſemper eam uim habet (quemadmodum alibi ipſe inquit) ut quantumuis audaces homines cogat ad negandum facinus, aut confeſſi cauſam aliquam fingendam, ut iure feciſſe uideantur.

Illud poſtremò contra hanc ſententiam afferebatur, quòd cum hominum ratio differat à iure, ut ex Vlpiano, & Iuſtiniano demõſtratum fuit, conſequens eſſe uidetur, etiam à lege rationem differre, cum ius, & lex planè idem eſſe uideantur. Cui argumento ita reſpondendum eſt, vt dicamus hoc ultimum falſum eſſe, nam imò ius, & lex inter ſe differunt, ut perſpicuè oſtendunt ea uerba, quæ ex Tullio proximè retulimus, ſi lex 36
ius quoque, & quæ ſequuntur, Idemq; innuit etiam Caius in l. 2. ff. de orig. iur. in illis uerbis, populus ſine certa lege, ſine certo iure primum agere inſtituit. Quid uerò inter ſe differant, infra ſuo loco demonſtrabimus.

## ARGVM.

OMnes nè planè homines legem habeant naturalem, an uerò illi tantùm, qui ex rationis prçſcripto uiuunt, & quomodo illud accipiendum ſit, quòd omnes philoſophorum ſcolç receperunt, improbos quoſque homines ignaros eſſe.

1 Nemo qui cum ratione loquatur, ab eo ſpernendus eſt, qui alicuius rei ueritatem aſſequi ſtudeat.
2 Bonum, & rectum natura omnes appetimus.
3 Videntur hæc duo ſimul pugnare, quod improbi homines ignari ſint, & quod omnibus planè hominibus lex naturalis data fuerit.
4 Prudentia à probitate ſeiungi non poteſt.
5 Incontinentes ab intemperantibus Ariſtoteles ſeiungit.
6 Qua de cauſa qui ab omni iuſtitia, morũque ſanctitate alieniſſimi ſunt, id tamẽ ennixè ſtudeãt, ut quammaximè iuſti, ſanctique habeantur.
7 Caligula palàm dicere ſolitus eſt, nihil eſſe laudabilius inuerecundia.
8 Fœdiſſimæ Neronis nuptiæ.
9 Heliogabalus catula indomitæ libidinis à militibus appellatus.
10 Commodus Antoninus omnia à ſe flagitioſè geſta in acta publica referri iuſſit.
11 Sardanapalus in morte tantùm ſe uirum oſtendit.
12 Improbi ſunt plerique homines probis, & iuſtis multò perſpicaciores.
13 Neronis quinquennium.
14 Initio imperii Caligula nemo melior, ut ad extremum nemo deterior.
15 Ariſtoteles ita loquitur, ut ſe perplexum oſtendat.
16 Igniculi ſunt quidam à natura hominibus dati, quaſi quædam uirtutum ſemina.
17 Rectè dixit Ariſtoteles uirtutes, & uitia in noſtra eſſe poteſtate.
18 Quomodò accipiendum ſit, quod dicitur uoluntatem per ſe cœcam, rationis atque intellectus præſcriptum ſequi.
19 Vnde fluctus illi animorum, qui ſæpè nos ancipites reddunt.



Digitized by Google

20 Ad propoſitæ difficultatis explicationem duo ſunt tempora diſtinctè conſideranda.
21 Dùm mali adhùc incerti deliberant, nulla eorum ignoratio eſt.
22 Differunt hæc ſecundum Ariſtotelē quod ignorantes, & quod propter ignorationem aliquid faciamus.
23 Neque ebrii, neque irati uenia, aut miſeratione digni ſunt, ſi per ebrietatem uel iram aliquid peccent.
24 Qui iam delicto aſſenſum præbuerunt, aliquo modo ignari dici poſſunt.
25 Sit ne hoc concedendum, eos qui ſcelus aliquod patrare iam decreuerint, iccircò ea obliuiſci, quæ prius intelligebant.
26 Nunquàm prorſus tolli poteſt illa naturæ noſtræ uis, qua ad bonum propenſi ſumus.
27 Quid cauſæ ſit, cur quę perperam committimus, omni ſtudio honeſtare contendamus.
28 Particularium propoſitionum uſus non quidem ad ſpeculationes, ſed tamen ad practicam ſcientiam eſt maximè neceſſarius.
29 Incontinentes uel particulares propoſitiones non tenent, uel certè iis non utū tur, dum in illa uerſantur perturbatione.
30 Cuiuſmodi ſit incontinentis ratiocinatio.
31 Verè dicemus incontinentes expeditè ratiocinari, uerèque etiam hoc negabimus, ſi diuerſa tempora conſideremus.
32 Verè dici poteſt improbis quoque hominibus naturalem legem ineſſe, ob rationes quæ hìc afferuntur.
33 Quæ ratio ſit, cur aliena magis quàm noſtra errata cognoſcamus, & quæ nos committimus in aliis uindicemus.
34 Intemperantium, atque incontinentium non par conditio eſt.
35 Poſſint nè Plato, & Tullius aliqua ratione defendi, qui ſolis prudentibus legem tribuere uidentur.
36 Vt naturalem legem quis habere dicatur duo ſunt neceſſaria, ueri. s. perſpicientia, & propenſio ad id quod rectum, & honeſtum eſt.
37 Si improbi alioquin homines rectum ſibi aliquid in animum inducant, non alio quàm legis naturalis munere id facere exiſtimandi ſunt.
38 A' uiris prudentibus nihil propè differunt improbi homines, eo ipſo quod iuſtè, ac prudenter aliquid agunt.

## CAP. IIII.

HÆc quæ de lege hucuſq; tradita fuere, ſatis certè plana, & aperta ſunt; ſed hìc tamen uideo ab iis qui adhuc accuratius hæc, quæ diximus, conſiderare uoluerint, dubitationem excitari poſſe, cuius explicatio non ſatis expedita uidetur, quare illam non cenſui eſſe prætermittendam. Quod ſi qui forſan erunt, qui nos accuſandos exiſtiment, quod iam nimis diù in his commoremur, quæ ab Accurſianis tradita non reperiuntur, ideoq; ab alienis potius authoribus deſumenda ſint; ego apud illos peccatum meum non excuſo (ſi id modo peccatum eſt) ſed iis potius concedo, ut hoc capite prætermiſſo, ad alia ſtatim ſe conferant. Ipſe uerò interea illis non deero, qui aliquantò ſtudioſiores erunt ueritatis, Cuius ea eſt conditio, ut donec illa undequaque eluceat, omni ex parte erroris caligine ſublata, nunquàm prorſus nos quietos reddere poſſit. Dubitatio igitur, quæ ex ſupradictis oriri poteſt, eiuſmodi eſt. Diximus legem naturalem omnium prorſus tùm proborum, tùm improborum hominum mentibus, ita inſculptam eſſe, ut nemo eam ignorare, aut diſſimulare poſſit. Contra hoc maximè pugnare uidetur, quod præſtantiſſimi omnium philoſophi ſentiunt Socrates, Plato, & Ariſtoteles, qui cum omnia ſumma ſemper cum ratione tradiderint, eorum authoritatem ne nos quidem Iuriſperiti ita



Digitized by Google

facilè debemus aſpernari, ut inaudita cauſa eos reijciamus. Concludunt ipſi omnes malos errore labi, atque ignaros eſſe; fuſiuſq; aliquantò hoc proſequitur Ariſtoteles lib. 3. Ethic. cap. 1. ubi minimè obſcurè loquitur, ſed apertè ſententiam no-
« bis ſuam indicat his uerbis. Omnis prauus ignorat, quæ facere oportet, & à quibus eſt
« abſtinendum, & ob eiuſcemodi errorẽ iniuſti homines, maliq; omninò fiunt. Quod ipſum ea quoque ratione cuippiam fortaſſe non prorſus alienum primo aſpectu uideri poterit; quia nos natura ita formati, atque inſtituti ſumus, ut ad id quod bonum, & re- 2
ctum eſt, uoluntas ſemper noſtra feratur (ſiue illud uerè ſit bonum, ſiue ita eſſe uideatur) eoq; omnis noſtra actio, omnis ars, & doctrina dirigatur, Quod cùm ſatis per ſe perſpicuum eſt, tùm id etiam non ſemel Ariſtoteles ipſe teſtatur, ut lib. 1. Ethic. cap. 1. Itẽ lib. 3. cap. 4. atque alibi perſæpe. Quapropter ſi uidemus malos, & improbos homines ea appetere, eaq; uelle, & amplecti, quę mala, & inhoneſta ſunt, atque à recta iuſtitię ſemita declinant, quomodo poſſumus inficiari, quin errore, & ignoratione id contingat, ut quę uerè mala ſunt, ob corruptam iudicij, atque ingeniorum aciem ab ipſis bona, & recta iudicentur? Qua ratione rectè illud quoque Ariſto. concludere uidetur in-
« continentes electione carere, ut lib. 3. Ethic. cap. 2. vbi Incontinens (inquit) cupiens
« quidem non tamen eligens eſt, quoniam cupiditas aduerſatur electioni, & quæ ſequuntur. Iam uerò ſi hoc concederemus omnes malos ignorantes eſſe, ac propterea electione carere, corrueret certè illud totum quod ſupra diximus, omnibus hominibus, quantumuis improbis, naturalem legem ineſſe; Legem enim diximus perfici diuini lu- 3
minis communicatione, quę nobis quid rectum, & honeſtum ſit, oſtendit, atque pręſcribit, At hoc modo poneremus iſtos propter ignorationẽ in maxima errorum caligine uerſari, neque honeſtum ab inhoneſto ſecernere poſſe. Rurſus legem eſſe diximus, in qua delectus uis omnis ponenda eſt, ut ex Cicerone oſtendimus, qui propterea dixit legem à deligendo fuiſſe appellatam, At iſtos daremus nullum planè electionis uſum habere. Sed nec Cicero forſan ab hac poſteriori ſententia abhorreret (quando ipſius quoque auctoritati nonnihil dedimus) qui quanuis lib. 1. de legib. naturalem legem omnibus datam eſſe affirmet, tamen in eo aptitudinem potius quandam, quàm rem ipſam, & effectum ſpectaſſe uidetur, quod poſteà indicat ipſe lib. 2. dum legem ita diffinit, ut ſit mens, & ratio prudentis, iuris, atque iniuriæ regula; quibus uerbis oſtendit ſe probis tantum hominibus, non autem malis & impijs legem tribuere uoluiſſe. Siquidẽ prudentia à probitate nunq̃ ſeiungitur, alioquin prudentiæ nomen amittit, uerſutiaq; 4
& calliditas potius appellatur, ut docet ipſe in libris Offic. Itemq; Ariſt. lib. 6. de morib. cap. pen. & ult. Hinc fit, ut illud quoque nonnullis dubium uideri poſſit, quod diximus improbos omnes conſcientię ſtimulis agitari, namq; hoc in illis tantùm contingere ueriſimilius eſt, qui probi alioquin viri naturæ noſtræ potius imbecillitate, quàm firmo animi propoſito in aliquod crimen delabuntur, quales deſcribit Ariſtoteles eſſe incontinentes, dum illos ab intemperantibus ſeiungit lib. 7. Ethic. cap. 3.
Ac talem quidem fuiſſe Oreſtem ſcriptorum monumentis proditum eſt, qui excepto 5
matris parricidio (quod tamen ipſum non ullo odio, aut impietate ductus, ſed patris ulciſcendi cauſa cõmiſit) reliquis omnibus in rebus, ac præſertim in Piladis amicitia ſanctiſſimè ſeruanda (quę non niſi inter optimos uiros talis eſſe potuiſſet) miram ſemper probitatem præ ſe tulit. Quare ſi eiuſmodi homines propria errata deteſtantur, nõ eſt quod quicq̃ miremur. Verùm cum aliquem damus intẽperãtẽ, hoc eſt animo ita ob

firmatum,

firmatũ,ut præſentẽ uoluptatẽ,animiq; ſui libidinẽ etiã per ſcelus,& flagitiũ ſequi uelit.
dubitari poteſt,quomodò ille propriorũ ſcelerũ terrore,uel pudore ſaltẽ aliquo afficiat,
aut quomodo illum tędere poſſit earum rerum, quas impiè, ac flagitioſè commiſerit, ſi
ex Platonis,atque Ariſtotelis ſententia concedimus ignorantem eum eſſe, & ita mente
quaſi obcęcatum, vt quæ recta ſint, quæ vè minus internoſcere haudquaquàm valeat
Atqui certè multos quotidie videmus, qui teterrimis flagitijs ſuis,ita gloriantur, eaque
ſic vbique prædicant, vti ſi inſignia aliqua,ac præclara facinora patraſſent. Et quanuis
maximus etiam eorum numerus ſit, qui propria ſcelera ſummo ſtudio occultant, ac
dum maximè perfidiam,& improbitatem ſuam exercent,dumque turpiſſimis omnibus
6 ac teterrimis ſeſe vitijs contaminãt, id ſedulò ſemper agunt,vt viri boni,ac iuſti ab om-
nibus habeantur; Faciunt tamen id proculdubio uel legũ, ac pœnarũ terrore, vel quia
ea ratione cõmodius alios fallere, doliſq;, ac fraudibus ſuis faciliorẽ ſe aditũ ſperant prę
bere poſſe.Quod genus hominum oppidò quã eleganter his verſibus pingit Horatius.

Iane pater clarè, clarè cum dixit Apollo. "
Labra mouet metuens audiri, pulchra Lauerna. "
Da mihi fallere, da iuſtum, ſanctumque videri. "
Noctẽ peccatis,& fraudibus obijce nubẽ. "

At cũ ad Principes homines pleroſq;, Ro-
manoſq; præſertim Imperatores animũ cõuertimus, qui anteactis ætatibus vixere, nul-
loq; fraudũ egebãt ſuffragio, ſed liberè, atq; apertè, abſq; ullo pœnarũ metu, quicquid
illorũ ferebat libido,facere ſe poſſe arbitrabãtur, multò apertiora impudẽtię ſigna per
ſpicimus.Quare fuiſſe aliquãdò crediderim qui dubitarint quomodo Cæſar ille Caligu
la, qui fex humani generis appellatus eſt, naturalẽ hanc legẽ habere dici poſſet, quæ ip
ſi quid fugiendum eſſet, quidvè ſequendum demonſtraret, quæ ad honeſtatem impel-
leret, eaq; uiolata pudorem ipſi aliquem inijceret, aut eum conſcientiæ ſtimulis agita-
ret, Cum imò ipſe ex flagitijs maximè ſibi laudem captare, ac palàm dicere ſolitus ſit,
7 nihil eſſe laudabilius inuerecundia, Cumq; & aliàs multas improbiſſimas uoces, Ode-
rint, dum metuant, Vtinam Po. Romanus unam ceruicem haberet,& id genus alias cõ
ſultò ueluti gloriabundus in vulgus iactaſſe feratur.Atque ut omittam Neronem quem
8 conſtat puerum Sporũ palàm ſolemni nuptiarum ritu pro uxore duxiſſe, contraq; etiã
mulierculæ in morem Doriphoro liberto ſuo turpiſſimè denupſiſſe, Vt pariter ſileam
Heliogabalum prodigioſæ libidinis hominem, qui aliorum in ſe nefariam cupiditatẽ
9 palàm propoſitis pręmijs excitando,Romani Imperij maieſtatem uſqueadeò, dum ui-
xit,dedecorauit, ut paſſim à militibus catula indomitę,ac rabidæ libidinis appellaretur;
Vt hos (inquam) & alios multos pręteream,qui ex Romanis,externiſq; pariter hiſtorijs
adduci poſſent, illud ſanè mihi omnium maximè memoratu dignum uidetur,quod de
Commodo Antonino legitur, Ille enim, cum in omni nequitiæ, ac crudelitatis ge-
nere uerſaretur, ita ut uel vrbem Neronis exemplo manibus ſuis incendere tentauerit,
10 ita tamen his rebus omnibus gloriari ſolitus fertur, ut quæcunque turpiter, ac flagitio-
ſè geſſiſſet, ea omnia prodendę poſteris memoriæ cauſa in acta publica referri iuſſerit.
Qui hęc exempla ſibi ante oculos propoſuerit,in eam fortaſſe trahetur ſententiam,ut il-
lud uerum eſſe fateatur,quod Plato,& Ariſtoteles tradũt,iſtiuſmodi homines ita mente
obcœcata eſſe, & in tanta ignorationis caligine uerſari, ut quæ recta ſint à contrarijs ne
queant diſcernere,Cuius etiam ignorationis non leue nobis præſtat argumentum ulti-
mus ille Aſſiriorum Rex Sardanapalus,Namque is forſan ſi quæ ſtudia Regẽ decerent,
cogno-

Digitized by Google

cognouiſſet,non id ſibi uitę genus inſtituiſſet, ut inter ſcotorum greges muliebri habi-
tu indutus purpuram colo neret, penſaq; inter uirgines partiretur, quod uel ſi maximè
uoluptatum illecebris ductus id feciſſet, non eo ſaltem in propoſito uſque ad uitæ ex-
tremum tam deſidioſè perſeueraſſet, donec ſcilicet Arbactus uirum tandem eſſe illum 11
docuit, belloq; victum coegit, ut extructa pyra ſe ipſum, ſuaſq; ſimul diuitias omnes
incendio abſumeret. His rationibus,& exemplis facilè quiſpiam (ut dixi) in hanc ul-
timam ſententiam inclinare poſſet; ſed tamen nimis durum eſt, minimeq; concedi po-
teſt illud aſſumptum ( ſi id modò ſic abſolutè intelligamus ) ex quo tota hæc argumen
tatio,huiuſq; ſententiæ confirmatio pendet,ut ſcilicet omnes,qui mali ſunt,eoſdem di-
camus & ignaros eſſe,neque bona à malis poſſe ſecernere. Nam, uel ſi hoc uideatur ea
ratione confirmari, quod uoluntas non ſibi ipſi credit ( cum nec iudicium illius ullum
ſit ) ſed illud ſemper ſequitur, quod ab intellectu bonum iudicatur, tamen huic rei ni-
mium experientia reclamat, Etenim quàm multos uidemus homines uarijs uitijs,& fla
gitijs inquinatos, eoſdem tamen admodum intelligentes,& ingenioſos,qui uel alijs ple 12
riſq; ſpectatæ integritatis hominibus longè perſpicatiores ſunt, & de ijs quæ ad mores,
atque ad uirtutes pertinent, optimè diſſerunt ? ne dicam quod minima quæque uitia
ſæpe in alijs accerrimè caſtigant, & puniunt; De quibus nihil aliud uidetur dici poſſe,
niſi ut fateamur, ea quidē, quæ recta ſunt, optimè iſtos perſpicere,ſed uel inhoneſta li-
bidine,uel alijs cupiditatibus adductos ea potius cōſultò amplecti, quæ turpia, & inho
neſta eſſe probè intelligunt, ut Medæa apud Ouidium, cum inquit.

" Video meliora, proboq;,
" Deteriora ſequor. Et paulopoſt.
" Quid faciam uideo, nec me ignorantia ueri.
" Decipiet, ſed amor. Credimus ne obſecro Catilinam cum in patriam coniurauit,
eiuſq; libertatem occupare conatus eſt, præceptum illud, quod natura docemur, igno
raſſe, Pietate erga patriam uti nos oportere ? An ne etiam putamus Neronem ( quan
do Neronis exemplum inter alia obiectum eſt ) cum vrbem Romam, quam ornare, &
amplificare debuerat, ita incendit, ut illa ſex dies, ſeptemq; noctes ipſo ſpectante, ac ri-
dente flagrauerit,id rectè factum exiſtimaſſe, aut matris parricidium, duarumq; uxo-
rum, ac Senecę pręceptoris cędem, totq; itidem ſtupra, adulteria,& alia, quæ ſceleſtiſſi
mè perpetrauit, recta, & honeſta iudicaſſe ? An nè tandem & Caligulam, & alios quos
ſupra connumerauimus tàm fatuos, ac dementes fuiſſe exiſtimare poſſumus, ut nefan-
da, atque inaudita ſcelera iuſtitiæ, atque honeſtati conuenire arbitrarentur ? De nemi-
ne hoc credi poteſt,at de Nerone, & Caligula multò minus,Ferunt enim Neronem pri
mos quinque annos tàm præclaræ indolis ſpetiem prę ſe tuliſſe,tantaque probitate, in-
nocentia, lenitate, ac temperantia imperium geſſiſſe, ut Traianus optimus ille Impera-
tor Senatus decreto ſic appellatus,dicere ſolitus ſit, optimos quoſque Principes à Nero
nis quinquennio longiſſimè abfuiſſe. Quod idem & de Caligula memoria proditum 13
eſt, qui ſic imperium adminiſtrauit,ut neque melior ab initio, neque ad extremum de- 14
terior princeps ullus unq̄ fuerit.Quid ergo minus ueroſimile eſt,quam aut Caligulam,
aut Neronem rectam uiuendi, imperandique rationem ignoraſſe,quam & ipſi aliquan
do ſanctiſſimè ſeruarint ? Huc accedit,quod ſi homines ideò mali eſſent, atque ideò cæ
des, furta, rapinas ſtupra, adulteria cōmitterent, quod hęc mala eſſe ignorarent, le-
gum proculdubio ſeueritas ipſis relaxanda eſſet, Iniuſtè enim delicta uendicarentur,

neque

Digitized by Google

neque ulla eſſet ratio, cur non ut ſtulti, qui ſine certo conſilio delinquunt, ita & impro
bi, ſceleſtiq; omnes legum pœnis excuſari deberent. Satis oſtendunt quæ hucuſque
dicta fuere, hunc nodum ualdè implicitum eſſe, & licet hac de re loquatur Ariſt. lib. 7.
15 Ethic. cap. 3. Ita tamen loquitur, ut propemodum ſe perplexum oſtendat, Cuius rei ſa-
tis illud certum argumentum eſt, quod qui illum interpretantur, uarias in hoc opinio-
nes, maximèq; inter ſe diuerſas afferunt. Nos igitur, ut hoc totum cõmodius explice
mus, nonnulla prius ſtatuemus, ex quibus ad id quod quærimus aditus aperietur. Con-
ſtanter illud ante omnia retinendum eſt, quod ſupra diximus, rationi noſtræ hoc natu-
ra ingenitum eſſe, ob diuini luminis cõmunicationem, ut ſemper ad id quod iuſtum,
16 honeſtumq; eſt, propendat, & inclinet; Hi uerò ſunt igniculi à natura hominibus da-
ti, hæc ſunt uirtutum ſemina, & elementa, de quibus tot in locis loquitur Tullius. Hęc
elementa, hos igniculos, ſiue hanc ad bonum propenſionem (nam his omnibus nomi
nibus eadem res ſignificatur) omnium planè hominum mentibus ineſſe, idq; præſer-
tim initio, antequàm ullus uel uirtutum, uel uitiorum habitus contrahatur, dubitari
non oportet. Nec mihi quorumdã populorum inſtituta obiiciantur, ut Carthaginen-
ſium, qui cum proprios filios incognitis Dijs ſacrificabant, quemadmodum in Mi-
noe teſtatur Plato, in eo uidebantur ad feritatem potius, & crudelitatem, quam ad hãc
naturæ bonitatem inclinare, Imò enim hoc ipſo exemplo id quod diximus, optimè de-
monſtratur; Siquidem illi uſqueadeò naturę bonitate, atque innato nobis religionis in
ſtinctu ad Deorum cultum ferebantur, ut paternas uincerent affectiones. Quicquid au-
tem in eo erat peccati, id totum cognitionis uitio contingebat; ut in ſtultis ſępè uide-
mus, qui dum per ſtultitiam iniuſtè multa faciunt, tamen illa naturę bonitate coacti,
qua feruntur ad bonum, & honeſtum multis rationibus quamuis ineptiſſimis, ac planè
ridendis, rectè ſe feciſſe contendunt. Illud præterea præ oculis habendũ eſt, quod ne-
mo ignorat, eandem quam feris & belluis, nobis etiam ipſis naturæ inclinationem eſ-
ſe, ut proni ad ea ſenſu feramur, quę uitæ iucũda, & utilia ſunt, & licet eadem, quę ſunt
utilia poſſint eſſe & honeſta, tamen euenit ſæpenumerò, ut hęc cum illis pugnent,
& quod utilitas ad ſe rapit, contra honeſtas ad ſe reuocare uideatur (vtilitatis verò ap-
pellatione placet hoc in loco illud quoque amplecti, quod iucundum eſt, ut & Cicero,
& alij facere ſolent) Poſtremò etiã illud ſtatuendum eſt in hac utilitatis, honeſtatiſq;
diſſenſione uoluntatem noſtram liberam eſſe, poſſeq; uel ad hanc, uel ad illam partem
ſe conferre. Atque hoc ne ab ipſius quidem Ariſt. ſententia abhorret; imò ipſe quoque
lib. 3. de morib. apertiſſimè hoc oſtendit dum de voluntario, & inuoluntario loquitur,
17 eaq; explicat, quę ad conſultationem, atque ad electionem ſpectant, ac multò etiam fu
ſius ibidem hoc tradit cap. 5. dum ibi docet & uirtutes, & uitia in noſtra eſſe poteſtate,
& à nobis ſolis pendere, ut uel probi, uel improbi efficiamur. Et quãuis uoluntatem
per ſe cœcam eſſe rectè dicamus, & quaſi pediſſequam ſequi ſemper cognoſcendi fa-
cultatem, ſiue illa in intellectu, ſiue in ſenſibus poſita ſit, ita ut non poſſit uoluntas non
illud uel appetere, uel renuere, quod ſibi aliunde uel bonum, uel malum eſſe cõmonſtra
18 tur, Tamẽ hoc ita accipiendum eſt, ut duobus propoſitis honeſtis, non poſſit non illud
ſequi, quod ab intellectu honeſtius eſſe iudicatur; idemq; dicimus cum duobus propo
ſitis utilibus quęritur utrum utilius. Quandoquidem nihil tunc eſt, quo diſtrahatur uo-
luntas, atque in hanc potius quàm in illam partem alliciatur, Si enim hoc amplectitur ut
honeſtum, cum primùm honeſtius illi aliud proponitur, illud potiusq̃ hoc uoluntas
ſequatur

ſequatur oportet, Vel ſi ſolam quærere utilitatem propoſitum eſt, uincat ſemper illud ne ceſſe eſt, quod maioris utilitatis ſpetiem præ ſe ferat. Verùm ſi utilis, & iucundi cum honeſto, hoc eſt ſenſus cum ratione altercatio ſit, ut quod honeſtas fugiendum præcipiat, id utilitas amplectendum ſuadeat, tunc liberum uoluntatis iudicium eſt, utrum rationis regno malit ſe ſubijcere, an uerò ſenſus quaſi tyrannidem potius ſuſtinere.

Ex his fontibus oriuntur illi fluctus animorum, qui tunc excitantur in nobis, cum 19
ratio ita ſenſibus reluctatur, ut nos ancipiti cura modò huc, modò illuc uariè diſtrahamur, Quod ſæpe unuſquiſque in ſe ipſo experitur, niſi fortè aliquis ſit, qui ita ſe obfirmarit, & aut uitiorum, aut uirtutum habitus ita iam contraxerit, ut uel igniculos illos rationibus noſtris natura ingenitos, quibus ad honeſtum inclinamur, quaſi contexerit (extingui enim illi prorſus nunquàm poſſunt) uel contrà ſenſuum cupiditates penitus frenauerit, Nam tunc alterutro hoſte prorſus debilitato, duellum hoc, ſi minus finiri (id quòd uerè nunquàm fit) at certè maximè diminui neceſſe eſt. Hanc uerò rationis cum ira, alijſq; ſenſuum affectionibus luctationem ſolertiſſimus Poeta Ouid. nobis planè ante oculos proponit cùm alibi ſæpe, tùm multò apertius, cũ Altęam inducit poſt ęius fratres à Męleagro filio interfectos, ſecum deliberantem, an ne fatalem illum ſtipitem, unde filio nęcem afferre poterat, flãmis committeret. Quare cum prius ira percita dixiſſet,

« Pereat ſceleratus & ille.
« Spemq; patris regnumq; trahat, patrięq; ruinam. Tum ſtatim illam quaſi contrarius ęſtus rapit, quare ſubiicit.
« Mens ubi materna eſt? ubi ſunt pia uota parentum.
« Hei mihi quo rapior? fratres ignoſcite matri. Et paulopoſt.
« Et cupio, & nequeo quid agam, modò vulnera fratrum,
« Ante oculos mihi ſunt, & tantę cœdis imago.
« Nunc animum pietas, maternaq; nomina frangunt. In hac porrò luctatione ij qui à ratione recedentes ſenſibus uoluntatem ſubijciunt, ea ipſa in re mali proculdubio habendi ſunt, qui uerò rationis præſcripto potius parent probitatis laudem merentur.

Iam uerò, ut his quaſi iactis fundamentis, nunc proprius ad propoſitam dubitationem ueniamus, Cũ quærimus an mali iſti homines, qui ad ſenſuum libidines magis propendunt, ac proprijs cupiditatibus uoluntatis aſſenſum præbent, hac de cauſa ignari dici debeant, Reſpondeo permagni referre, quodnam tempus in hoc ſpectemus, illud 20
ne tempus quo recta ratio nondum uicta eſt, ſed uoluntas adhuc ancipiti cura diſtrahitur, an uerò illud, cum iam aſſenſit uoluntas, ac ſenſibus quaſi mancipio rationem dedit; Et quidem eo tempore quo ratio nondum uicta eſt, nequeadhuc prroſus ab ip- 21
ſius imperio uoluntas defecit, intrepidè hìc dixero nullam ignorationem eſſe, Etenim ratio dum adhuc ſui iuris eſt, armis & ipſa ſuis utitur, ac dum defenſioni locum eſſe uidet, non ceſſat cauſas illas omnes ſubminiſtrare, quibus uoluntatem ab iniquo propoſito reuocare poſſit. Hinc Medęam apud Ouidium egregiè uideas ratiocinantem,

« Prodam ne Regna parentis.
« Atque ope neſcio quis ſeruabitur aduena noſtra? Et paulopoſt.
« Coniungiumq; ne putas ſpetioſaq; nomina culpæ.
« Imponis Medęa tuæ? quin aſpice quantum
Aggrediare nefas, & dum licet effuge crimen. Non ſecus infœlici Mirræ, quę obſcœno

ſcœno patris amore incenſa erat, anteaquàm ſe obfirmaſſet, ut ſceleſtiſſimum illud facinus aggredi uellet, ratio ſuggerebat illa omnia, quę debuerant tàm nefariæ libidinis impetum coercere pudorem, pietatem, & ſacrata parentum iura.

Illa quidem ſentit, fœdoq; repugnat amori "
Et ſecum quo mente feror? quid molior (inquit) "
Dij (prçcor) & pietas ſacrataq; iura patentum "
Hoc prohibete nefas, ſceleriq; reſiſtite noſtro. "

Hoc uerò eſt, quod nobis Ariſtot. ſignificat lib. 3. Ethic. cap. 1. dum eam
22 diſtinctionem tradit, ignorantesnè, an propter ignorationem aliquid operemur, & concludit malos, iniuſtosque homines (quamuis ignorantes eos dici uelit) non tamen operari propter ignorationem, cum alioquin cogeremur fateri eos non ſponte delinquere, ideòque non uituperatione ulla, uel pœna, ſed uenia potius & miſeratione dignos eſſe, quemadmodum ipſe ibi docet. Idcircò uerò negat Ariſtoteles malos propter ignorationem delinquere, quia nulla præcedit ignoratio, quę illis adimat electionem, ſed ignoratio ipſa potius ab eius electione profi-
23 ciſcitur, qui ſenſibus magis quàm rationi parendum exiſtimauit. Perſimilis ebrij, atq; irati hominis ratio eſt, qui uel ſi propter ebrietatem, aut irę furorem aliquid non intelligat, non eſt tamen uenia, aut miſeratione dignus, Nam quicquid tùm uitij in animo eſt, id non initio eligendi libertatem impediuit, ſed quia nimio ſe obruit uino, aut irę furori, quem compeſcere, ac frenare debuerat, nimis ſe facilem expoſuit, ipſe uerius propria electione ſibi ipſi rationis uſum deprauauit, unde rectè Horatius.

Ira furor breuis eſt, animum rege, qui niſi paret "
Imperat, hunc frenis, hunc tu compeſce catena. "

Ex his omnibus perſpicuum eſſe poteſt, primo hoc tempore antequàm uoluntas, quæ liberam electionem habet, uoluptati, & ſenſibus ſe ſubmittat, nulla nos ignoratione impediri, quominus recta, & honeſta à contrarijs internoſcere poſſimus. Cui explicationi maximè conuenit id quod tradit Ariſtot. lib. 3. cap. 2. ubi docet non idem eſſe eligere bona, & putare bona, quandoquidem multi (ut ipſe inquit) putant quidem aliqua eſſe bona, & tamen pro ipſorum improbitate ea reijciunt, contrariaque amplectuntur. Si uerò tempus illud conſideremus, cum uoluntas ſenſuum potius illecebras ſequi, quàm rationi parere decreuit,
24 rectè cum Ariſtotele fatebimur eos qui id faciunt, non tantùm malos, & improbos, ſed etiam ignaros dici poſſe. At hoc ultimum ſentio mirum pleriſque uiſum iri, Dubitabunt enim quomodo fiant ignari, qui contra rationis præſcriptum aliquid facere decreuerunt, cum imò experientia doceamur illos rerum omnium quas prius intelligebant cognitionem retinere. Vt igitur hęc quoque dubitatio tollatur, conſiderandum eſt, hanc ignorationem non ulla opinionis mutatione, ſed ſolo cupiditatis uitio, cui ſe iam penitus ſubiecierunt, euenire; & hoc docet Ariſt. lib. 7. Ethic. cap. 3. ubi cupiditas (inquit) rectæ rationi, non opinio aduerſatur. Sola ergo cupiditas huius rei cauſa eſt, quę non ſecus ac ſoleant ira uel ebrietas, uel ſomnus mentes noſtras ita quaſi obruit, atque opprimit, ut non illæ amplius, quemadmodum antea, munus ſuum explere ualeant, ſed quæ prius intelligebant, tum quaſi ſopitæ obliuiſcantur, id quod ſcitè nobis indicat Oratius cum inquit.



Digitized by Google

" Crudi tumidiq; lauemur.
" Quid deceat, quid non obliti. Idemq; etiam alibi, cum dixiſſet neminem omnium eſſe, qui grauius ſentiat damnum.
" Quamqui non poterit uerò diſtinguere falſum, Demonſtrat poſteà quinam iſte ſit, & ſic ſtatim ſubijcit,
" Quem res plus nimio delectauere ſecundæ,
" Mutatę quatient, ſi quid mirabere pones.
" Inuitus, Quibus uerbis oſtendit hoc illis damnum contingere, qui nimia delectatione, atque alijs animi affectionibus ita ſunt impediti, ut uerum à falſo diſtinguere nequeant. Adhuc non rectè (inquies) percipio, qua ratione poſſit id cupiditas efficere; nam quid minus uériſimile eſt, quam illum qui cupiditate aliqua obſidetur ea, 25 quæ prius intelligebat, ea de cauſa oblitum eſſe? aut quis conceſſerit non amplius illum cognoſcere furta, cædes, ſtupra, adulteria, iuſtitiæ & honeſtati reclamare? Nec ſanè illa ebrij, & incontinentis ab Ariſtotele tradita comparatio ſatis conuenire uidetur, non enim incontinens errat, delirat, aut uagatur animo, id quod ebrius facit, ſed liberè, atque expeditè omnia cognoſcit, & honeſta à contrarijs rectiſſimè diſcernit.

Quanuis multi multa hac in re tradant, ut in qua potiſſimum huius totius controuerſiæ quaſi cardo uerſatur, Ego tamen miſſis aliorum diſputationibus meam paucis ſententiam explicabo. Puto igitur eſſe animaduertendum illam ipſam rationis, & natu 26 ræ noſtræ uim, quę initio cum ſenſibus luctatur, ut uoluntatis aſſenſum quaſi uictoriæ pręmium quàuis, poſteaq; duello in illo ſuccubuerit, non propterea tamen penitus tolli, atque extingui, Imò enim (ut mihi uidetur) adhuc illa intus urget, & (quantum in ipſa eſt) uires continuè ſuas exercet; idq; ex eo perſpicuum fit, quod in nobis ipſis ſæpè experimur, ut poſteaquàm in ea, quam diximus, rationis cum ſenſibus luctatione uoluntatem noſtram ad honeſtum preducere non potuimus, illud ſaltem quod uoluntas amplexa eſt, eadem illa ui rationis urgente, omni ſtudio honeſtare contendamus. 27 Quare ſępe erratis noſtris ſpecioſa nomina imponimus, ac turpiſſima quęque uitia proximę uirtutis colore decoramus, immanitatem fortitudinis, pertinaciam conſtantiæ, profuſam luxuriem liberalitatis, ac munificentię nomine nuncupantes, ac denique omnes cauſas ſedulò fingimus, & excogitamus, cur ſi minus alijs, at ſaltem nobiſmet ipſis rectè nos feciſſe perſuadeamus, quod Tullius his uerbis reſpexiſſe ui-
" ſus eſt. Hæc eſt natura, quæ quantumuis audaces homines cogit ad negandum fa-
" cinus, aut confeſſi cauſam aliquam fingendam, ut iure feciſſe uideantur. Quod cum ita ſit, neceſſariò fateamur oportet ueriſſimum illud eſſe, quod tradit Ariſtoteles lib. 7. Ethic. cap. 3. incontinentes, dum ratiocinantur, particularibus & ueris non uti propoſitionibus (cum tamen earum uſus, ſi minus ad ſcientias ſpeculatiuas, quæ 28 ſolis uniuerſalibus utuntur propoſitionibus, at certè ad practicam ſcientiam conſtituendam ſit neceſſarius) Itaque hac de cauſa ignari dici poterunt, quoniam has illi propoſitiones, aut prorſus non habent (ut ipſe Ariſtoteles inquit) aut certè, 29 dum in ea uerſantur perturbatione, ita habent, ut non iccircò uerè ſcire dici poſſint, Non ſecus ac de ebrijs & temulentis contingit, qui Empedoclis uerſus habent quidem in memoria, imò & uoce perſępe referunt, attamen ab illorum ſenſu ſunt animo alieniſſimi, ideoque non uerè uerſus illos tenere, ac ſcire exiſtimandi ſunt. Id uerò ita eſſe, ex ijs quę diximus, facilè intelligitur; nam ſi id quod peccant incontinentes

excuſare

excuſare ſecum ipſi, & honeſtare contendunt, nunquàm certè in ratiocinando particulares propoſitiones ad uniuerſales accommodabunt, quoties ex illis ita iunctis uera concluſio,& illorum cupiditati contraria ſequi poterit, ex qua turpe illud, & inhoneſtum demonſtretur, quod uel iam patrarint, uel patrare in animo habeant. Quod ſi aliquandò ueræ illis rationes ſuccurrent,ab illis ſtatim uoluntatem,ac cogitationem penitus omnem amouebunt, niſi cum fortaſſe uidebunt,poſſe ſe illas coloratis aliquibus reſponſionibus infirmare, dum enim infirmabunt minori cum moleſtia illas in animum reuocabunt. In hunc modum porrò iſti ſecum ratiocinantur, Alias nimirum aſ-
30 ſumunt uniuerſales propoſitiones, ueras illas quidem, ſed à quibus tamen id poſſit inferri, quod illorum libidini conſentaneum ſit. Tum ijs ſubijciunt particulares falſas, ſibiq; à ſenſibus dictatas, ſicq; illud conſtituunt ratiocinationis genus, quod paralogiſmus appellatur. Vt uerò clarior exemplo res fiat, proponamus nobis Tyrannum, qui patriæ libertatem inuadere ſibi iam in animum induxerit, ciuiumque poſſeſſiones occupare, quas poſtea inter ſuos miniſtros,ac ſatellites cogitet diſtribuere. Hic quamuis optimè intelligat pietate erga patriam utendum, reſq; alienas nemini auferendas, tamen hoc ipſo tempore, quo eius uoluntas iam obfirmata eſt, atque huiuſce cupiditatis perturbatione penitus obſeſſa, uniuerſalibus particulares non applicat propoſitiones, uel ſi illæ ſibi probè cognitę ſint; non enim cogitat hanc eſſe patriam, has non ſuas, ſed alienas poſſeſſiones eſſe, Sed harum loco quærit alias propoſitiones, ex quibus tàm ſceleſtum facinus defendere, uel ſaltem aliqua ratione colorare poſſit. Quapropter ſic ipſum ſecum ratiocinari credibile eſt; Ea attentare quę ſunt fortis & magnanimi non modò honeſtum, ſed & glorioſum eſt, hæc propoſitio à ratione ſuggeritur, eaque ueriſſima eſt; at uerò ſenſus hoc eſt iræ, & cupiditatis impetus ſubinde hanc minorem dictabit. Quod porrò aliquis ciuitates, & populos proprio ſui ipſius imperio, ac ditioni ſubijciat, quodque poſſeſſiones quamplurimas inter amicos diſtribuat, hęc fortis, & magnanimi ſunt, Ergo hæc me attentare non honeſtum modò, ſed & glorioſum erit. Et quoniam nefario ipſius propoſito ueras rationes aduerſari uidet, ideò ſecum ipſe hunc eundem in modum comminiſcitur,quomodo illas diluere, ac refellere poſſit. Quod ipſum nulla re alia apertius, quam eiuſdem Medeæ exemplo demonſtrari poteſt. Norat Medæa, idque ipſa palàm uſurpabat, regna patris non eſſe prodenda, norat patriam non eſſe relinquendam, Quin & Æetam Regem ſibi patrem, Colchiden terram patriam eſſe non ignorabat. Verùm poſteaquàm ſeſe iam obfirmauit, ut prodito patre, ac propria terra relicta Iaſonem ſequi uelit,non his amplius utitur propoſitionibus, namque eas uoluntas planè renuit, imò uerò ijs ſecum ipſa ita reſpondet.

Nempè pater ſæuus, nempè eſt mea barbara tellus. Quare contrarias potius admittit rationes, animoq; libentius reuoluit, quæ ſceleſtum ipſius conſilium decorare poſſint; nimirum crudelitatem deteſtandam, laudandam humanitatem, atque clementiam; clementię & humanitatis eſſe iuuenem, tùm uirtute, generiſq; nobilitate, tùm etiam forma inſignem à Draconis morſibus, immaniſſimaq; morte liberare; eiuſmodi porrò eſſe Iaſonem etiam atque etiam ſibi ſuccurrit, vnde ſic ipſa ſecum loquitur.

Quem niſi crudelem non tangat Iaſonis ætas, "
Et genus & uirtus? quem non, ut cętera deſint, "
Forma mouere poteſt? certè mea pectora mouit. "

“ At niſi opem tulero, taurorum afflabitur ore,
“ Concurretq; ſuæ ſegeti tellure creatis
“ Hoſtibus, aut auido dabitur fera præda draconi.
“ Hoc ego ſi patiar, tum me de tigride natam
“ Tum ferrum, & ſcopulos geſtare in corde fatebor. Quid porrò minus uerìſimile eſt, quàm mulierem aliquam ſibi perſuadere, venereo parentis complexu rabidam ſe libidinem honeſtè explere poſſe? & tamen infœlix Mirra, id ſibi perſuadet; propterea quod ueris non utitur propoſitionibus, ſed eas tantùm amplectitur rationes, quę ipſius propoſito conuenire poſſint. Argumentatur enim tùm à iure naturali, quo cęteris animantibus id permittitur, tùm etiam à quorundam populorum inſtitutis, ut Perſarum, Medorum, & Parthorum, apud quos non interdictum id fuiſſe proditum eſt. Quibus argumentis adducitur, ut quod ſcelus eſt omnium maximè nefarium, id ne ſcelus quidem habendum exiſtimet, humanasq; leges, quę hoc interdicunt inuidas, & malignas appellet, inquit enim.
“ Si tamen hoc ſcelus eſt, ſed enim damnare negatur
“ Hanc Venerem pietas, coeuntq; animalia nullo
“ Cætera delicto, nec habetur turpe iuuencæ
“ Ferre patrem tergo. Et paulopoſt.
“ Felices quibus iſta licent, humana malignas
“ Cura dedit leges, & quod natura remittit
“ Inuida iura negant, gentes tamen eſſe feruntur,
“ In quibus & nato genitrix, & nata parenti
“ Iungitur, & pietas geminato creſcit amore. His exemplis docemur uſu ita euenire, ut incontinentes dum in illa perturbatione ſunt (quemadmodum rectè concludit Ariſtoteles) minori propoſitione non utantur, neque uniuerſali ita iungant, ut inde uera concluſio ſequi poſſit, Quod uerò ſupra obiiciebatur, etiam incontinentes, & im- 31
probos homines omnia rectè, liberè, & expeditè ratiocinari, eo tempore uerum eſt, cum adhuc uoluntas ſtabili propoſito nihil decreuit, nam poſt illud tempus ueras ratiocinationes uoluntas ipſa prorſus auertit, ac deteſtatur. Quod ſi aliquem proponas, qui ueras illas rationes animo interdum, & cogitatione amplectatur, hunc adhuc dubium eſſe concedas oportet, & non animo ita obfirmato, ut cupiditati potius obſequi, quàm rationi parere uelit, qualem hunc noſtrum eſſe nos proponimus. Iam tandē igitur totam quæſtionem decidentes cōcludamus, à ueritate alienum non eſſe id quod dicit Ariſtoteles, eos qui mali, & improbi ſunt, pariter etiam ignaros eſſe. Quod ut uerum eſſe fatemur, ita negamus eos ita ignaros dici poſſe, ut propterea lege naturali carere exiſtimari debeant, nam imò ipſis quoque illam, quam diffiniuimus ſupra, naturalem legem ineſſe contendimus. Perſpicitur verò in illis legis naturalis virtus, primò quia 32
anteaquàm huic, uel illi exorienti cupiditati uoluntatem quaſi mancipio dedant, omnia illis à ratione ſuggeruntur, quibus ab iniquo propoſito reuocari debeant. Præterea quia tunc quo que, cum iam cupiditatibus uoluntatem addixerunt, hæc lex naturalis uniuerſalia ijs ſuggerit præcepta, quibus tametſi ipſi particulares non ſubijciunt propoſitiones, ita ut totam non perficiant ratiocinationem, tamen id tantùm euenit, cum de ſe ipſis aliquid cōminiſcuntur, Si quidem rectiſſimè hoc faciunt cum aliena facta iudicant, quia nulla tunc ipſis cupiditas impedimento eſt. Facitq; hæc ſola cauſa, ut nos

omnes

Digitized by Google

33 omnes aliorum magis quam noſtra errata cognoſcamus, quam cauſam aliquando quæ
ſiuit Horatius inquiens.
Nam tua cum uideas oculis malè lippus inunctis. «
Cur in amicorum uitijs tàm cernis acutum? Imò ſæpiſſimè, quæ clanculum nos «
cōmittimus, in alijs palàm uendicamus. Quàm multos Principes legimus improbos, ac
ſceleſtos homines fuiſſe, qui tamen ſubiectos ſibi populos legibus, & inſtitutis rectè mo-
derati ſunt, & iuſtitiam quam ipſi minimè ſeruarunt, ſeruari tamen in alijs ſanctiſſimè
uoluerunt? Nec ſanè cuiquàm obſcurum eſt Triboniani noſtri exemplum qui iniuſtiſſi
mus ipſe iuſtiſſimas tamen leges nobis reliquit. Quapropter ſi leges humanas à natura
li lege proficiſci nemo non concedit, Ipſæ uerò leges humanę, quantunuis ſanctæ, ac iu
ſtæ ab iniquis hominibus ſępè conduntur, conſequens certè eſt, legem naturalem, ex
cuius præſcripto leges condant humanas, iniquis etiam hominibus ineſſe. Hùc po-
ſtremò accedit, quod quemadmodum qui dormiunt aliquando à ſomno excitantur,
Itemq; ebrij, poſtq̃ uinum iam obdormierunt, illo animi quaſi morbo liberantur, ſic
mali & incontinentes homines (ut rectè explicat Ariſtoteles cap. 3. lib. 7. Ethic.) cum
primum in ijs ceſſat cupiditas, eo quaſi uinculo ſoluti, quod eorum uoluntatem irreti-
tam tenebat, legis naturalis munus liberè undequaque exercere poſſunt; Tunc errata ip
ſi ſua clarius perſpiciunt, tunc terrores illi, animæq; uexationes inſurgunt, atque aſ
ſiduæ illæ, domeſticæq; furiæ, quibus qui ſceleſtè aliquid patrarunt, proprij ſceleris con
ſcientia de ſe ipſis ſupplicium ſumunt. At quid dicemus (inquies) de hominibus illis
ſceleſtiſſimis, ac planè intemperantibus, quibus ſequi uoluptatem omnibus in rebus
certum, ac deliberatum eſt, quique hoc propoſitum iam longa habitu confirmarunt,
quales ſunt ij quos ſupra connumerauimus? Fateor ego eiuſmodi homines, quemad-
34 modum initio, cum delictum aliquod aggrediuntur, minorem rationis cum ſenſibus lu
ctationem experiuntur, utpotè qui cupiditatibus iam parere longo uſu didicerunt, Ita
poſteaquàm delictum aliquod patrarunt, eius cogitatione longè minus torqueri, atque
uexari. Verùm quoniam igniculi illi natura nobis ingeniti, quibus ad honeſtum inclina
mur, ſopiri quidem inueterato uitiorum habitu, ſed extingui nunquàm poſſunt, nemi
nem puto reperiri tantis flagitijs inquinatum, quin aliquando, cum ſe ipſe reſpicit, ali
quibus conſcientiæ aculeis leuiter ſaltem ſtimuletur; præſertim cum ceſſat illa cupidi-
tas, (nec enim ſemper durare poteſt) quæ ad delictum eum impulit. Quare ſi in Nero-
ne furor iracundiæ ullas aliquando inducias dabat, non is certè poterat in ſe ipſo non
damnare, quod matri, alijsq; tàm multis crudeliſſimè nęcem intuliſſet. De turpiſſima il
la libidinis rabie idem iudico, quę quoties aliquo temporis ſpatio cedebat, (intermiſ-
ſiones enim interdùm aliquas habuiſſe illam neceſſe eſt) fieri non poteſt, quin tàm mul
ta, quę illius explendæ cauſa ſceleſtiſſimè patrauerat, non ille ipſe tacito animi ſui iudi-
cio improbauerit. Quod uerò mœroris, aut pœnitentię nullum in ipſo inditium appa
reret, illud puto cauſę fuiſſe, quod uarijs ſenſuum cupiditatibus uſqueadeò obno-
xius erat, ut una, aut altera interdum ſopita, aliæ atque alię ſubindè orirentur, quæ cō
tinuos improbitatis parerent effectus. Atque idem uidemus ſæpè in ægro euenire, in
quo nullum quietis ſignum extrinſecus apparet, quoties uno cedente morbo, alius re
pentè ita ſuccedit, ut ab hoc torqueatur non minus, q̃ ab illo dudū torqueretur. Iam
35 mihi cętera omnia ſatis aperta eſſe uidentur, Sed quomodo Platonem, Tullium, ac cæ-
teros defendemus, qui in ſolis prudentibus, quos & probos eſſe neceſſe eſt, ac non in
alijs

alijs naturalis legis domicilium uidentur collocaſſe. Nam Plato legem prudentiam eſſe dixit, quem Tullius ſecutus lib. 1. de legib. legem diffinit eſſe mentem, & rationem prudentis, Atque alibi idem Cicero requirit rationem habitu prudentię in hominis mente " confirmatam eſſe, ut uerè lex dici poſſit. Lex eſt (inquit) ſumma ratio inſita in natura, " quæ iubet ea quæ facienda ſunt, prohibetq; contraria, Eadem ratio cum eſt in homi- " nis mente confirmata, lex eſt. Vt in hoc quoq; quę noſtra ſit ſententia paucis aperiamus, non credimus negari poſſe, quin perfectiorem quendam in modum in mentibus prudentium, quam aliorum uigeat lex naturalis, Cum enim ad eam perficiendam duo 36 neceſſaria ſint ( ut ex prędictis intelligi poteſt) nimirum ueri perſpicientia, itemq; animi propenſio ad id quod rectum, & honeſtum eſt, vtrunq; in prudentibus hominibus pleniſſimè adeſt. Nam & clarius uerum perſpiciunt, quàm ij qui boni quidem uiri ſunt, ſed tamen ingenio minus ualent, Iidemq; ad rectum proniores multò, ac propentiores ſunt, quam improbi, & mali homines, qui quantumuis intelligentes, tamen innata ſibi uirtutum ſemina contrario habitu deprauarunt. Quo fit ut quemadmodum non in tardis, atque inſipientibus, ita neq; in malis, & ſceleſtis hominibus ratio ſemper rectè præcipiat, diſſimili tamen de cauſa, In his enim uoluntas, in illis facultas deeſt, Hi cupiditatis, & uoluntatis culpa ueras ratiocinationes quas conficere poſſent, non conficiunt, uerisq; propoſitionibus non utuntur, at illi quod uerum & honeſtum eſt (uel ſi maximè ad illud naturæ bonitate ferantur) tamen propter ingenij imbecillitatem non aſſequuntur. Itaque cum Tullius in legis diffinitione conſideraret rationem, quà lex eſt, & qua ſemper recta pręcipit, rectè iccircò prudentis tantùm rationem Platonis exẽplum ſecu tus, ſibi propoſuit. Verumtamen ſi tardioris ingenij homines, uel etiam incõtinentes aliquando recta eligant, eaq; mentis propoſito decernant, non alio certè quàm 37 legis naturalis munere id facere exiſtimari debent. Quocirca ratio quæ tunc ipſis, quod honeſtum erat, non tantùm cõmoſtrauerit, ſed etiam perſuaſerit, poterit rectiſſimè naturalis legis nomine nuncupari. Etenim ſi non uirtutis habitum, ſed ſolum hunc actũ ſpectemus, in eo certè fateri cogemur improbi hominis rationem à prudentis ratione diſſimilem non fuiſſe, ſed idem planè pręſtitiſſe, quod ea in re prudentis ratio effeciſſet. Hac de cauſa naturalẽ legẽ etiã in alijs quàm in prudentibus hominibus eſſe concedendum eſt, quamuis non ſemper legis officio rectè fungatur, ſicuti rectè interpretem dixeris, uel ſi non ſemper interpretis munus exerceat. At Cicero in tradenda legis diffinitione perfectiſſimum rationis ſtatum inſpexit, nimirum cum ipſa ratio iam ſic habitu obfirmata eſt, ut nunquàm non recta pręcipiat. Huc etiam reſpexit Papinianus in legis humanæ deſcriptione, quam tradit in l. 1. ff. de legib. ubi uult legem eſſe prudentum uirorum conſultum, & tamen id quoque legem eſſe conſtat, quod ab hominibus quãtumuis iniquis, qui modò eam authoritatem habeant, iuſtè conſtitutum eſt ; At illud ipſe proculdubiò cogitauit, quod dum homines alioquin iniqui iuſtè aliquid decernunt, nihil in eo à uiris prudentibus differunt . Itaq; concludendum eſt, ne Papinianum quidem ipſum, aut Platonem, aut Ciceronem, & ſi qui alij ſunt, qui prudentis rationem legem eſſe ſtatuãt, negaturos eſſe, quin eius quoque ratio, qui prudentię habitum non contraxerit, lex naturalis dici poſſit, toties ( inquam ) ſic dici poſſit, quoties rectè aliquid ratiocinetur , rectèque decernat, atque eundem prorſus in re aliqua præſtet effectum, quem prudentis ratio eadem in re præſtitiſſet, Imo expreſſim tradit hoc Cicero (niſi eum planè ſibi aduerſatum eſſe malis) Ipſe enim eodem lib. 1. de 38

legibus

legibus legem naturalem non ſolis prudentibus, ſed omnibus prorſus datam eſſe affirmat. Quibus enim (inquit) ratio à natura data eſt eiſdem & recta ratio, ergo & lex " quę eſt recta ratio in iubendo ac uetando, ſi lex ius quoque ab omnibus ratio, ius igi- " tur omnibus datum eſt. "

## ARGVM.

AD ſolos ne homines lex pertineat, an uerò etiam cęterarum animantium ſit, & an legis naturalis principia, ueluti obligatio ad antidora, uim ui repellere, & alia id genus brutis quoque animantibus rectè (ut fit à noſtrorum pleriſq;) tribui poſſint.

1 Duo propoſitæ dubitationis capita.
2 Et legem, & normam eodem uocabulo Græci nominant.
3 Rebus omnibus certæ regulæ inſunt, ut ad finem quoque ſuum peruenire contendant.
4 Vt uaria plantarum genera ſunt, ſic uariè uel hoc, uel illud appetunt.
5 Quænam regulæ brutarum naturæ animantium ingenitæ ſint.
6 Hæc omnia uocabula lex, concordia, lis, pax, & id genus alia ſolent nonnunquàm uel ad res ipſas inanimatas referri.
7 Admiranda naturæ magiſteria.
8 Alicui rationem ineſſe, dupliciter accipi poteſt.
9 Brutis animantibus, itemque rebus inanimatis quomodò ratio inſit.
10 Habent homines propriam rationem, & à diuina ratione diſtinctam.
11 Naturæ magiſteria omnia ſoli diuinæ rationi tribuenda.
12 Ex motu locali declaratur quod de motu rationali hucuſque traditum eſt.
13 Vt in ſagitta quæ ab homine emittitur principium motus non ineſt, ſic in brutis aliiſque rebus naturalibus, quę à diuina ratione mouentur, rationalis motus non reperitur.
14 Legem illa propriam non habent quibus electio non ineſt.
15 Vlp. & Iuſtin. brutis etiam animantibus ius naturale tribuunt.
16 Electio quid ſit.
17 Num etiam belluæ habeant electionem.
18 In pleriſque brutis mira ſagacitas, atque etiam uirtutum non obſcura apparent ueſtigia.
19 Obligatio antidoralis an etiam ad feras, & belluas pertineat, & infrà nu. 30.
20 Mirum quod de Leone, & ſeruo Androdo refert Gellius.
21 Ariſt. & Paulus ius naturale ſolis hominibus tribuunt.
22 Pręter legem æternam, quæ in Deo eſt, aliam belluæ propriam legem non habent.
23 Quæ ratio ſit cur in belluis nonnulla appareant quaſi uirtutum ſimulachra.
24 Quę ſine conſilio, ac delectu fiunt, nullam laudem merentur.
25 Qua ratione ſoli homines uerè eligere, ac deliberare dicantur.
26 Belluarum inſtitutio an aliqua ſit.
27 Quomodò principium illud legis naturalis, uim ui repellere, in belluis accipiendum ſit.
28 Iuſtitiæ laus nulla belluis tribuenda.
29 Ex quo fonte honeſtas oriatur.
30 Quomodò illud accipiendum ſit, quod belluas interdum uideamus benefacientibus benefacere.

## CAP. V.

VIdimus hucuſque quid ſit lex, & an lex naturalis, cui omnium maximè legis nomen diximus conuenire, omnium planè hominũ ſit, Atque omnium illam eſſe concluſum fuit, quanuis perfectiorem quendam in modum in prudentibus hominibus reperiatur, longèq; in ijs clarius quam in alijs eluceat. Nunc proximum eſt, ut

uideamus

uideamus ad ſolos ne homines pertineat, an uerò etiam ad brutas animantes, quod
quia ex ijs, quæ proximè docuimus, commodius intelligi poteſt, propterea huiuſce rei
explicatio huic ipſi loco maximè conuenit. Conſiderandum eſt ante omnia duplici
ratione id à nobis quæri poſſe. Primò utrum aliquo modo legis nomen alijs animan- 1
tibus quàm hominibus conueniat; ſecundò utrum cæterarum animantium ea ſit na-
tura, ut in illis quoque legis eſſentiam, & ſubſtantiam reperiamus. Quod ſi primo mo-
do id quęratur, minimè dubitandum eſt, quin rectè legis nomen non modò ad feras,
& belluas, uerùm etiam ad arbores, ad plantas, quin uerò & ad res prorſus inanimatas
referri poſſit. Etenim iampridem loquendi uſus obtinuit, ut ubi certa aliqua norma, ac
regula ſeruanda ſit, rectè ibi ſemper legis nomen uſurpetur. Quod ipſum etiam apud
Græcos poſſumus obſeruare, qui quo legem uocabulo nominant, eodem etiam utun-
tur, cum normam & regulam exprimere uolunt, Vnde Plato in Minoe (quemadmo- 2
dum ſupra retulimus) latiſſimè legem accipit, ut Medicorum, & Matematicorum, imo
& Agricolarum, & Coquorum regulas, atque alias quaſcunque complectatur. Quod
uerò attinet ad rem noſtram, nemini obſcurum eſt, ita natura comparatum eſſe, ut res
omnes quamuis uarias (prout uaria illorum natura eſt) regulas tamen aliquas habeãt,
quibus bonum ſemper aliquod appetunt, & ad finem quęque ſuum peruenire conten 3
dunt. Nam & rebus prorſus inanimatis ui quadam naturę hæc lex innata eſt, ut grauia
deorſum, leuia ſurſum ferantur, humida fluant, ſicca certiori loco contineantur, Cum
ſummus rerum opifex Deus hęc, quæ uocantur elementa, certa lege quaſi librauerit,
eaq; ſimul ita compoſuerit, ut licet non modò uariam, ſed & contrariam prorſus habe-
rent naturam, inter ſe tamen minimè diſſiderent. In plantis etiam multò apertiorem 4
huius naturalis legis ſpetiem cernimus, Siquidem illis omnibus uim quandam ineſſe ui
demus, ut uel ſiccum ament, uel humidum potius expetant, atque ea loca quodammo
do uel rẽnuant, uel expoſcant, quibus aut lædi, aut iuuari poſſunt, unde fit ut plantis,
& arboribus inter ſe quaſi patrię diuiſæ ſint, quod eleganter his uerſibus Virgilius ex-
preſſit lib. 2. Georg.

« Fluminibus ſalices, craſſiſq; paludibus alni
« Naſcuntur, ſteriles ſaxoſis montibus orni.
« Littora myrtetis lætiſſima, denique apertos
« Baccus amat colles, Aquilonem & frigora taxi,
« Diuiſæ arboribus patriæ, ſola India nigrum
Fert hebenum, ſolis eſt Thurea uirga Sabęis. De brutis uerò animantibus ad-
huc multò minus dubitari poteſt, quæ præter eaſdem has naturæ inclinationes, quæ ſi-
bi cum alijs rebus communes ſunt, alias quaſdam inſuper proprias habent. Quatenus
enim ijs corpus eſt quatuor naturæ principijs ita compoſitum, ut terrę elementum præ 5
ualeat, lege quadam (ut ita dixerim) elementari deorſum feruntur, ſubiectaq; itidem
ſunt alterationibus, & corruptionibus, quæ alijs omnibus in rebus elementaribus fiunt.
Quatenus porrò anima illa præditæ ſunt, quam dicunt uegetatiuã, appetunt ea omnia
quibus commodè uiuere, nutriri, & creſcere poſſint; Ac demum quia ſentiendi præ-
terea facultatęm habent, cui prouida natura uoluptatem immiſcuit quandam, ac cupi-
ditatem eorum perficiẽdorum, quæ ab ipſis omitti minimè oportuit, uidemus eas hoc
ipſo inſtinctu ſpetiei quæque ſuę propagandę cauſa, mutuã appetere, fœminã maris, ma
rę fœminę coniunctionem, Indeq; eorum quæ procreata ſunt educationi diligenter
incumbere,

Digitized by Google

incũbere,ſemperq; illis pſto eſſe,donec ad eã ætatẽ peruenerint, ut iam p ſe abſq; ullo alte
rius adminiculo ad uiuẽdũ neceſſaria parare poſſint,id qđ tradit Vlp.in l.1. ff. de iuſt.&
iur.Iuſtin.inſtit.de iur.nat.gent.& ciuil.in princ. Sed plenius Cicero lib.1.offic.ubi Prin
cipio(inquit)generi animãtiũ omni à natura tributũ eſt,ut ſe uitã,corpuſq; tueaẽ, decli «
netq; ea,quæ nocitura ſunt,omniaq; quæcũq; ad uiuẽdũ ſint neceſſaria,acquirat,& pa «
ret,ut paſtum, & latibula, & alia eiuſdẽ generis; cõmune autẽ omniũ animãtiũ eſt cõiũ «
ctionis appetitus procreãdi cauſa,& cura eorũ,quę procreata ſunt. Qua ex re cõcludi «
poſſe arbitror, quãuis neq; elemẽtorũ nec plãtarũ,imò nec brutorũ quidẽ animãtiũ lex
uerè ſit (ut ſtatim oſtẽdemus) ad hæc tñ omnia legis uocabulũ ob quãdã ſimilitudinẽ
6 nõ abſurdè referri, Sic enim & cõcordiæ,& pacis,& litis uocabula, atq; id genus alia, q̃
legi maximè affinia ſunt,quãuis rebus ratione carẽtibus nõ cõueniãt, ad eas tñ interdũ
referunẽ; Ad elemẽta quoq; ipſa refert hæc Ouidius dũ tradit primũ illud chaos facta
elementorum diſtinctione fuiſſe ſublatum, ita enim inquit. Hanc Deus & melior
litem natura diremit, Et paulopoſt.
Diſſociata locis concordi pace ligauit. Ex duobus ſupra à nobis propoſitis ſcđm «
illud erat,an plãtarũ,uel brutarũ ſaltẽ animãtiũ ea ſit natura in qua legis eſſentiã reperia
mus,Atq; hìc multos fore proſpicio,qui ex ijs, q̃ nos antea cõcluſimus affirmãdũ id eſſe
arbitrẽtur. Diximus.n.legẽ eſſe rationẽ,& regulã,q̃ certis mediis certũ dirigit ad finẽ, &
ex ſola diuinę rationis cõmunicatione proficiſcitur.Sed hãc rationẽ, hãc normam, atq;
hãc diuinæ rationis participationẽ nõ in ſolis hominibus, ſed & in brutis animãtibus,
quin etiã in plãtis, alijſq; rebus naturalibus apertiſſimè cõſpicimus. Quis.n.nõ eã maxi-
7 mè admiratur quoties ad tã multa arborũ,plãtarũq; genera oculos cõuertit figura,& fa
cultate inter ſe diſtãtia, ac ſecũ ipſe cõſiderat quo quæq; ordine certis tẽporibus munus
ſuũ expleãt,ac pręter fructus,& ſemina quã uarios anteà flores emittãt,& quidẽ eos quã
to naturæ quaſi artificio elaboratos,quã uarijs coloribus,certaq; menſura inter ſe diſtin
ctis mirabiliter inſignitos? Non inficior ego quin ſumma ratione fiant hæc omnia,ſed
tñ dico nõ ſatis hoc argumenti eſſe, ut ꝓpterea naturalem hãc de qua loquimur legem
ab ęterna lege diſtinctã hiſce ipſis rebus ineſſe cõcludamus. Quod ut rectè intelligaẽ re
8 uocandũ illud in memoriam eſt (quod & ſupra tetigimus) poſſe nimirum id dupliciter
accipi,quod dicimus alicui rationem ineſſe. Primò enim poſſumus hoc intelligere qua
tenus ratione quidem aliquid regitur,ac mouetur,ſed ita tamen,ut in ſe ipſo mouentem
rationem nullã includat. In hunc modum rectè dicemus & brutis animalibus,& rebus
omnibus naturalibus ineſſe rationem. Siquidem ea quoq; ratione diuina reguntur, &
9 mouentur, quãuis mouentem, & propriã rationem nullam inde aſſumant,quæ à diui-
na ratione diſtincta ſit, atq; in ipſis tanq̃ in proprio domicilio ſuam quaſi ſedem collo-
cauerit. Idem hoc uoluit diuus Thomas in prima ſecũdæ quęſt.91. art.2. cum dixit bru
tas animantes rationem quidem ipſa quoque diuinã, non tamen rationabiliter partici
pare. Alio modo intelligimus alicui rationem ineſſe,cum illud nõ aliunde tantùm cer
ta ratione moueẽ,ſed natura huiuſmodi eſt,ut mouentem in ſe ipſo contineat rationem
tanq̃ in propria ſede penitus collocatam, Atque hoc modo non niſi ſolis hominibus
ineſſe rationem dicere poſſumus, cum enim multò ipſi illuſtrius, multoq; nobiliorem
quendam in modum diuinam rationem,quã cętera participent, facit hęc participatio,
ut non tantùm eadem illa regantur diuina ratione,ſed ut inde propriã rationẽ mouen-
10 tem aſſumant diuinæ quidem illi perſimilem, ſed eſſentia tamen ab ipſa diſtinctam ( cũ
mouentem dico nõ de motu corporali,ſed de rationali loquor) hoc eſt facultatẽ quãdã

E ipſorum

Digitized by Google

ipſorũ hominũ naturæ penitus hærẽtẽ,qua ſeipſos excitare,regere,ac moderari poſſint. Hęc eſt illa ratio,hæc illa norma,quã ab ęterna lege meritò ſeiungimus, legẽq; naturalẽ appellamus,cuius propriũ,& certũ munus in nobis ipſis perſpicuè cernimus.Hanc ( ut dixi)legẽ neq; in brutis,neq; alijs in rebus naturalibus,ſolo homine excepto,reperimus; nihil enim in iis propriũ agnoſcimus,nihil liberũ, nihil deniq; quod ſe ipſum ſua ſpõte dirigat,& inſtituat,ac nõ potius ab æterna illa,diuinaq; lege ĩmediatè proficiſcat. Itaq;
11 ſolius æternæ,ac diuinę legis munus eſt,quòd plantæ,& arbores certis tẽporibus,certiſque rationibus ueſtiãtur,& ſpoliẽtur,quòd brutæ animantes ad finẽ quæq; ſibi propoſitũ certo inſtinctu ferãtur,quòd imbres,grãdines,fulmina,fulgores,ſublimiaq; exhalationũ incendia,quę tam uarias,horribilesq; interdũ imagines nobis oſtẽdũt,certis de cauſis generẽtur,quòd admirabiles illæ ſphęrarũ cõuerſiones perpetuò ordinẽ ſuum obſeruẽt,& quicqd deniq; in hac tota mũdi machina admirabile cõſpicitur,ab hac una æterna lege proficiſci minimè dubitãdũ eſt.Ad quæ oĩa tametſi legis quoq; naturalis nomẽ aliquo modo referri poſſe diximus, ipſam tñ legis eſſentiã non æquè ijs, ut hominibus cõuenire cõcedimus. Atq; ut clarius hoc eluceat,quid inter hominis rationẽ interſit, & rationẽ illã, q̃ in hac rerũ naturaliũ ſerie perſpicitur, operæpretiũ eſt hæc quæ de motu rationis dicta ſunt,in motu locali aĩaduertere,qui cũ ſenſibus noſtris magis ꝑſpicuus ſit,
12 multò clarius hãc rẽ totã,quo pacto ſe habeat,demõſtrare poterit. Ponamus ſagittã uel arcu uel alia ratione ita ab aliquo emiſſam eſſe,ut certũ aliquẽ ſcopũ poſſit attingere,Ponamus pariter uolãtẽ auẽ ad certũ aliquẽ locũ iter direxiſſe, Hìc certè ut in aue, ſic in ſagitta motũ cernis, atq; in utraq; pariter motus intentionẽ cognoſcis q̃a,ſicut auis,ita & ſagitta ad certũ illũ locũ peruenire cõtẽdit. At quia ſagittæ & motũ uideas,& motus intẽtionẽ cognoſcas,nõ propterea tñ cõceſſeris eodẽ modo quo eſt in aui,ita & in ſagitta ipſa motũ,motusq; intẽtionẽ ineſſe.Auis enim ſe ipſam mouet,atq; ad eã potiſſimũ partẽ motũ intẽdit, ad quã cupit peruenire, at ſagitta per ſe ipſa neq; motũ, neq; intẽtionẽ
13 ullã habet,uirtus enim,& intẽtio alterius mouẽtis eſt;& licet ſagittæ motũ cernas, nullũ tñ ipſius propriũ motũ aſſignare poteris,ſed eũ tãtũ uides hìc motũ,qui à mouẽte proficiſcitur. Pari ergo ratione(ut ad rẽ noſtrã hoc exẽplũ accõmodemus) in brutis animãtibus, alijsq; rebus naturalibus rationalẽ quidẽ motũ uidebis,quatenus illa à mouẽte lege diuina diriguntur,nullã tñ in ipſis rationẽ mouẽtẽ cõſpicies, Nã uel ſi corporalẽ motũ in ſe ipſis habeãt,motũ tñ rationalẽ nullũ habent,nullaq; prorſus ijs ratio eſt,cur hoc modo potius quã illo moueri uelint, pręter illã diuinã cuius quidẽ munus in ijs cernit; Sed illa tñ nõ niſi in Deo ſummo,& opt. tanq̃ in primo mouẽte reperit. Huc accedit ꝙ q̃ rationẽ nullã ꝓpriã habẽt,qua ſpõte ſe ipſa dirigãt,nullã pariter electionẽ habere poſſunt,Siquidẽ electio eſt,quoties nõ unũ aliquid, ſed plura ꝓponũtur quæ in cõſultationẽ ueniãt,ita ut electionẽ ꝑcedat cõſultatio,queadmodũ docet Ariſtoteles lib.3. Ethic. cap.2.& 3.Iteq; diuus Thomas in prima ſecũdę q̃ſt.13.ar.2. At quę ratione carẽt,nũq̃ cõſultãt,nullaq; rerũ obiectarũ uarietate diſtrahũtur,ſed illud ſemper determinatè appetũt
14 ad quod naturę inſtinctu ferũtur.Quare ſi nullã habẽt electionẽ, nullã pariter legẽ habebũt,cũ legis uim omnẽ in deligẽdo poſitã eſſe ſupra fuerit demonſtratũ. Sic.n.Cicero.
“ Vt Græci (inquit) ęquitatis, ſic nos delectus uim in lege ponimus.

Video hìc multos fore qui quamuis de plantis,& arboribus,alijſque rebus naturalibus id quod à nobis traditum eſt, admiſſuri ſint, tamẽ in eo quod de brutis animantibus, idem quod de plantis affirmauimus,fortaſſe reclamabunt, Vlpianoq; potius & Iuſtiniano aſſentient,qui ius naturale brutis etiam animantibus non grauatè tribuunt l. 1. 15

ff.de

ff. de iuſt. & iur. & inſtit. de iur. natur. gent. & ciuil. Cum prȩſertim hȩc opinio non ſola illorum authoritate nitatur, ſed etiam ſatis aperta ratione probari poſſe uideatur. Nam (quicquid proximè à nobis concluſum ſit) non uidetur negari poſſe, quin bruta quoque animalia habeant electionem, quȩ nihil aliud eſt, quàm rerum aliquarum ap-
16 petitus propter finem, ut definit Ariſtot.lib.3. de morib. cap. 7. Et qui hoc negauerit apertiſſimȩ experientiȩ aduerſari uidebitur. Quoties quæſo uidebimus capellam dum illa in prato herbas depaſcitur, unam atque alteram herbam explorare, ac demum ex iis
17 unam reijcere, & alteram aſſumere? Quoties uenaticum canem aliquandiu incertum deliberare, qua potiſſimum uia feram ammiſſam inſequi uelit, & poſteaquàm non hac parte illum effugiſſe naribus explorauit, tum quaſi ſyllogiſmo diuiſiuo uſum ad aliam partem curſum intendere? Nemo eſt etiam qui non admiratione aliqua afficiatur, quo-
18 ties apium, & aranearum miram ſagacitatem conſiderat, atque aliarum id genus animantium, quȩ certè non poſſent opus quæque ſuum tàm concinè, aptèq; fabricare, niſi & in paranda materia, & in totius operis figura componenda aliquam deligendi facultatem haberent. Adde quod ſi brutorum naturam penitus inſpexerimus, in pleriſq; eorum non occulta virtutum ueſtigia reperiemus, unde prudentes ſerpentes, caſtas tur tures, fortes equos, fideles, & mites canes, eoſdemq; & aſſeclas, & urbanos meritò dicemus. Hȩc uerò naturȩ ſemina ita plerunq; in illis habitu perficiuntur, ut de quibuſdam ea conſpiciamus, quæ uix ab homine expectari poſſent. Maximaq; illud certè ani maduerſione dignum eſt, quòd uidemus ferociſſima animalia minuti pueri, uel imbecillis mulierculæ imperio, ita parere, ut ſȩpe iuſſa eas res deferant, ad quas tamen ſenſu, & cupiditate maximè feruntur. Quæ cùm omnia ad hanc ſententiā confirmandam momenti plurimum habent, nimirum brutis animantibus naturalem legem ineſſe, tùm multò magis cogemur hoc fateri, ſi illis aſſentiemus, qui naturales nonnullas obli gationes, quas ſola naturali lege conſtringi exploratiſſimum eſt, feris etiam, ac belluis
19 accommodant. Facit hoc in primis Accurſius in l.ſed ſi lege.§.conſuluit.ff. de pet. her. in uerbo obligauerunt, quo loci exiſtimat ad omnem creaturam pertinere illam obliga tionem, ut benefacientibus benefaciamus, ijſq; ἀντίδωρα (ut Græci inquiunt) tribuamus. Quam ſententiam (ut refert Marcellus Beringutius in Rub.ff.de uerb.oblig.) ſum ma ui defendere contendit Ioannes Cola de Vicariis, qui uir ſuis temporibus maxima nominis celebritate fuit, & hunc ipſum, quem nunc ego teneo in gymnaſio Salernitano locum, ita obtinuit, ut ad eum certatim ex omnibus huius regni partibus tanquàm ad cōmune oraculū cōcurreretur. Plurimum verò huic opinioni ſuffragatur, id quod
20 ex Appione refert Gellius lib.5.cap.14.de quodam Leone, qui Romæ in Circo maximo, uniuerſo populo Romano ampliſſimæ uenationis pugnam ſpectante, cum uidiſſet Androdum ſeruum Dacum, à quo olim in quadā ſpecu Africȩ, in qua tùm Androdus metu domini diliteſcebat, ſtirpem pedi hærentem, qua maximè cruciabatur, ſibi reuulſam eſſe recordaretur, propter huius beneficij recordationē, ad eū ſtatim noſcitabundus acceſſit, ac quaſi gratularetur, quòd eū incolumem uideret, more adulantum canum eius crura, & manus blandè cœpit demulcere, Quo factum eſt, ut cum ſeruus qui anteà propè metu examinatus aliquandiu conſtiterat, tandem & ipſe Leonem recognouiſſet, tum læti ſeſe ambo inuicem complecterentur, atque incredibili omnium cum admiratione ueteris beneuolentiæ ſignificationem non obſcuram præberent. Admirationem porrò illam plurimum auxit, quòd Androdus poſtea commemorauit, eundem Leonem,



Digitized by Google

ex quo tempore pedis dolore ipſius ope fuerat liberatus, eius beneficij memorem ſemper poſtea, dum is metu domini in illa ſpecu delituit, ex ferinis quas lacerabat carnibus copioſè ſibi uictum ſuppeditaſſe. Qua ex re nonnulli probare contendunt obligationẽ illam, quòd ijs teneamur benefacere, qui bene de nobis meriti ſunt, brutas quoque animantes attingere. Quemadmodum illud quoque naturalis legis principium eas attingere uidetur, quod uim, atque iniuriam licitè propulſemus, ut aduertit Marcellus Beringutius in d.Rub.ff.de uerb.oblig.dum reprehendit Socinum, qui ſoli potentiæ rationali illud tribuit. Cum uerò inter prima legis naturalis principia id recenſeri perſpectiſſimum ſit, ut per Florentinum in l. ut uim.ff. de iuſt.& iu. non minus ex hoc, quàm ex ſupradictis omnibus rationibus uidemur urgeri, ut etiam feris, & belluis naturalem legem fateamur ineſſe, quibus eadem, quæ nobis permittuntur, permiſſa eſſe uideamus; Legis enim uirtus eſt non tantùm imperare, aut prohibere, ſed etiam permittere l. legis uirtus.ff. de legibus. Veruntamen nos non hæc tanti facienda ducimus, ut propterea recedendum exiſtimemus à prima opinione, in qua fuerunt Ariſto teles lib. 5. Ethic. cap. 7. & Paulus in l.pen.ff.de iuſt.& iur.neque enim triplicem ibi iu 21
ris diuiſionem tradunt, quemadmodum Vlpianus & Iuſtinianus, ſed tantùm ius naturale à ciuili diſtinguunt, atque ipſum ius naturale ita explicant, ut illud ſolis hominibus conuenire apertiſſimè demonſtrent. Probatur neceſſariò hæc ſententia (dicant alij quicquid uelint) argumento illo ſuperius adducto, quod ut in plantis, alijsq; rebus na turalibus, ita etiam in animantibus ſenſu prędit is optime concludit, Nam ſi lex (ut iam demonſtrauimus) ratio, & regula quædam eſt, brutę uerò animantes, cum diuina tantùm ratione regantur, propriam ipſę rationem non habent, quæ diſtincta ſit à ratione diuina, id quod pleniſſimè ſupra explicatum fuit, ſequitur certè nec brutas ipſas animã tes legem aliquam habere, quę ab æterna ſeu diuina lege ſeiungi poſſit; Sed ex noſtrati bus pleriq;, qui ruſticè philoſophantur, in eo nimirum decipiuntur, quòd à brutis quoque nonnulla interdum fieri uident, quę ſolertiam quãdam, & ſagacitatem præ ſe ferant, quæ nos omnia rationis munera eſſe non inficiamur, Sed non animaduertunt ipſi id quod ſupra à nobis declaratum eſt, non eodem modo, quo ineſt hominibus, feris quoque, & belluis rationem ineſſe. Rationem feris, ac belluis ineſſe fatemur, quatenus diuina ratione reguntur, propriam tamen eas rationem, & à diuina ratione diſtinctam habere non concedimus, qua ſe ipſas regere poſſint. Quare præter hanc ęternam 22
legem, quę in Deo eſt, aliam propriam illis legem eſſe negamus. At uerò (dices) hæc ſolertiæ munera, atque hæc rationis ueſtigia non in Deo, qui à nobis non uidetur, ſed in ipſis brutis cernuntur. Reſpondeo non ſatis hoc argumenti eſſe, ut idcircò rectè inferas uerè hanc rationem ipſorum naturę tanquam proprio domicilio inſidere, nam & in ſagitta, quæ ad certum ſcopum emiſſa eſt, rectius & motum cernis, & intentionem cognoſcis, quàm ſi in hominẽ, qui eam emiſerit, oculos conuertas, nec propterea tamen mouendi uirtutem, aut intẽtionem ipſi potius ſagittæ, quàm homini tribues. Sic ergo & in brutis animantibus quicquid rationis elucet, id non in ipſis eſt, ſed in Deo ſummo, & opt. à quo ita reguntur, ut ad fines quæque ſuos naturę inſtinctu ferantur. Et quoniam hoc ipſo inſtinctu ad ea ſępe feruntur, ac quaſi inſtituuntur, quæ in nobis laudari ſolent, quin & nobis ipſis, qui eius inſtinctus pſidio deſtituimur, adeò dif 23
ficilia ſunt, ut nõ niſi maxima induſtria, lõgoq; habitu comparari poſſint, Propterea fit ut in brutis ſæpenumero ſolertiæ, prudentiæ, caſtitatis, aliarumq; uirtutum quædam ap

pareant

pareant quaſi ſimulachra, quæ tamen ueræ uirtutes dici non poſſunt, Quia quæ neque
24 conſilio, neque delectu ullo fiunt, nullam laudem merentur, & tamen laus uirtutis propria eſt, ut multis in locis tradit Ariſtoteles. Vnde nemo ſagittam laudabit, quod uel ſcopum rectè tetigerit, uel uelociter peruolauerit, cum non ipſi ſagittæ, ſed homini potius, à quo ſagitta emiſſa eſt, tota hæc laus debeatur. Atque hinc tollitur illud quod de electione obiiciebatur, eratq; potiſſimum contrariæ opinionis fundamentum; nam ſi belluarum nulla ratio eſt, quæ ijs propria ſit, atq; à diuina ratione diſtincta, nullam earum conſultationem eſſe concedendum eſt, ſi nulla conſultatio, ergo nulla pariter earum electio erit, ita enim & Ariſto. argumẽtatur lib. 3. de morib. cap. 2. Verè homines de-
25 liberare, & eligere dicuntur, quos conſtat non ſenſitiuum modò, ſed etiam intellectiuũ appetitum habere. Intellectiuus enim appetitus eſt eiuſmodi, ut ſiue illum per ſe conſideres, ſiue dum ipſo in actu, & exercitio uerſatur, nunquam certum aliquod reſpiciat obiectum, & ad bonum quidem, ſed illud tamen commune, & indeterminatum feratur. Conſultationi uerò, atque electioni tunc locum eſſe diximus, cum plura ita cuipiã propoſita ſunt, ut hoc, uel illud liberè amplecti poſſit. Non idem de appetitu ſenſitiuo affirmari poteſt, quo ſolo cætera animantia prædita ſunt, Namque is (ut rectè adnotat Caietanus ad primam ſecundæ quæſt. 13. art. 2.) ſi per ſe conſideretur, ad ſpeciale ſemper obiectum dirigitur, puta odores, ſapores, atque id genus alia, ſi uerò conſideretur in ipſo actu & exercitio, tunc ad obiectum ſingulare ordinatur, ut ibidem diuus Thomas clarè explicat. Quare belluam uidebis, prout hoc, uel illud melius eſſe agnoſcit, ita confeſtim abſque conſultatione, ac deliberatione ulla ad id potiſſimum accurrere. Et quãuis ouis, ut ſupra obiiciebatur, cum herbam depaſcitur, hæſitare interdum, ac deliberare uideatur, cognitionis tamen, non deliberationis mora illa, & hæſitatio eſt. Contingit enim interdum, ut ſenſus communis quid iucundius, meliusq; ſit non ita ſtatim percipiat, aut agnoſcat; ſed cum primum id agnouit, nulla tunc mora eſt, quin ad illud repente appetitus ſenſitiuus naturæ inſtinctu feratur. Illud fortaſſe magis quempiã mouerit, ut brutorum electionem fateatur eſſe aliquam, quòd (ut & ſupra opponeba-
26 tur) uidemus ſæpe canes, aliasq; nonnullas animantes uſu, & exercitatione ita inſtitui, ac quaſi erudiri, ut honeſta potius quàm iucunda deligant, & non tàm ſenſibus, quàm domini Imperio obtemperent. Verùm hoc quoque eadem ratione facilè diluitur; non enim illud ideò fit, quia conſultationem, atque electionem, quam natura non habent, habitu comparare poſſint, ſed ſoli naturæ inſtinctui totum hoc tribuendum eſt, qui tamen inſtinctus poſtea habitu non parùm iuuatur. Quo fit, ut ea quæ ſenſus alioquin allicere potuiſſent, aut uerberum metu deſerant, aut etiam dominorum iuſſu ob quandam in eos propenſionem, quam pleriſq; animantibus, canibusq; præſertim natura ipſa innatam eſſe haud obſcurè perſpicimus. Hoc uerò habitu conſultationem, & electionem, quæ prius nulla brutis erat, comparari non potuiſſe, eo argumento facilè conuincitur, quo utitur Caietanus in loco præallegato, quoniam ars, licet ad naturalis actus rationem, & modum momenti plurimum habeat, eius tamen ipſius ſubſtantiam nec inducere, nec mutare poteſt, Ex quo ſequitur arte electionẽ nec mutari, nec induci, aut acquiri potuiſſe, quia cum dicimus electionem, non agendi modum, & rationem, ſed ſubſtantiam ipſam, ipſumq; actum naturalem ſignificamus. Alterum illud pro hac ſententia argumentum afferebatur, nimirum ſolius legis munus eſſe, quod aliquid permittatur, uel præcipiatur, arg. l. legis uirtus. ff. de legib. Brutis uerò animantibus permitti nonnulla,

nonnulla,ac nonnulla etiam imperari; permittitur enim, ut uim ui repellere,ac propul-
ſare poſſint, imperatur ut benefacientibus benefaciant, Quocirca uidentur teneri ea
obligatione, quam vulgò antidoracem dicunt, ut ex Leonis, & Androdi ſerui mutua
agnitione demonſtratum fuit, & tamen exploratiſſimum eſt,ubi lex non ſit,ibi obliga-
tionem conſiſtere non poſſe. Vt planius intelligatur hanc argumentationem nullius
momenti eſſe, conſtanter illud retinendum eſt, quod paulò ante tetigimus, ſępenume-
ro brutis ſolo inſtinctu naturæ ea dictari, quæ apud nos in conſultationem, ac delibera
tionem ueniunt, Et quoniam hæc poſſunt eſſe nobis uel permiſſa,uel imperata,nō eſt
quod miremur, ſi quæ nobis permittuntur, uel imperantur, eadem quoque non diſſi-
mili ratione ferarum,ac belluarum naturæ conſentanea ſunt, Siquidem belluæ quoque
ad eadem illa natura informantur, atque inſtituuntur, ſed tamen permiſſionis,uel impe
rij, ſeu pręceptionis uocabula non rectè in belluis uſurpamus, neque ea quæ diximus
pręſcripto rationis tribui poſſunt, quam brutę animantes nullam habent. Quapropter
naturæ illud principiū, uim ui repelli poſſe (vt de hoc primùm loquamur) non eo mo 27
do accipitur à iureconſultis, quo poſſit & cæteris animalibus conuenire. Siquidem in
brutis nihil aliud conſiderari poteſt,niſi factum. illud uiolentiæ propulſandæ, quod à
naturę inſtinctu proficiſcitur. At iuriſconſulti cum hoc principium uſurpant,non il-
lud ſolum factum inſpiciunt, ſed quod iuris in eo eſt; conſiderant enim hoc quatenus
ex legis permiſſione fit, ideòq; iuſtitię & honeſtati conuenit.Quod ipſum apertè oſten
dit Florentinus in illa l. ut uim. ff. de iuſt. & iu. ubi poſt illa uerba ut uim, atque in-
« iuriā propulſemus, ita ſubijcit. Nam iure hoc euenit, ut quod quiſque ob tutelam cor
poris ſui fecerit,iure feciſſe uideatur. Hoc idem oſtendit Diocletianus in l.1. C. unde
ubi hoc factum propulſandę uiolentię per ſe non conſiderat, neque ut ex ſolo natu-
rali inſtinctu proficiſcitur, ſed ut iuſtitię,& honeſtati conſentaneum eſt. Neque aliter
« uidetur Cicero accepiſſe cum in oratione pro Roſcio Amer. ita inquit. Eſt hęc iudices
« non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, uerùm ex natura
« ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti,non inſtituti, ſed
« imbuti ſumus, ut ſi uita noſtra ſi in aliquas inſidias, ſi in uim, in tela aut latrorum,
aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendę ſalutis. Itaque hone
ſtatem in hoc, & iuſtitiam, non ſolum naturę inſtinctum conſideramus, atq; hoc mo
do nihil planè ad belluas hoc pręceptum pertinebit; neque enim iuſtitię, aut honeſta- 28
tis laudem illis ullam tribuimus. De iuſtitia dubitari non poteſt, quia belluæ quicquid
faciunt, ſua cauſa faciunt, iuſtitia autem ſola omnium uirtutum in ſe ipſa non uertitur,
ſed complectitur eos quibuſcum uiuit, & omne ſuum munus alijs pręſtat. Quod uerò
etiam honeſtas ſolius hominis,& non cæterarum animantium ſit, eleganter inter alios
oſtendit Cicero lib.1. offic. quo loci cum nobis honeſti quaſi ortum tradit, Vt quem- 29
admodum uis naturæ,rationiſq;,qua ſoli homines præditi ſunt,eorum quę aſpectu ſen
tiuntur pulchritudinem,uenuſtatem,conuenientiam partium ſentit, ita hanc ſimilitu-
dinem eadem hæc natura, ratioq; ab oculis ad animum transferens multò etiam magis
pulchritudinem,conſtantiam, ordinem in conſilijs conſiderandum putet, moneatq;
nequid indecorè, aut libidinoſè fiat. Quibus ex rebus honeſtum conflatur & efficitur.
Atque hinc perpetuum ſumimus documentum,quoties quæritur iuſtum nè aut hone-
ſtum aliquid ſit,ſolius ſemper hominis,& non cæterarum animantium rationem habe-
ri.Meritò igitur Bartholomęus Socinus hoc ipſum principium,ut uim ui propulſemus,

ſoli

Digitized by Google

ſoli potētiæ tribuit rationali, quāuis Marcellus Beringutius hoc in loco illū reprehēdat.

30 Quæ hactenus cōcluſimus de propulſandæ iniuriæ permiſſione, eadē planè cēſeo affirmāda & de præcepto illo, ut benefacientibus benefaciamus, quia uel ſi maximè hūc inſtinctum in aliquibus animalibus reperiremus, non tamen eum tanquàm pręceptum, aut tanquàm obligationem conſiderare poſſemus. Siquidem non aliò ſpectant naturalis legis præcepta,& obligationes, quàm ut honeſtatem &iuſtitiam tueantur, iuſtitiam uerò,& honeſtatem ſolis hominibus conuenire, ac cęteris animantibus planè incognitas eſſe iam demonſtratum fuit, At ego certè ne inſtinctum quidem eiuſmodi brutis animantibus ineſſe facilè conceſſero, nihiloq; magis leonibus quam cæteris, ut beneficiorum acceptorum ſe memores, & gratos prębeant, quod in præſentia demonſtrari eo minus neceſſe eſt, quòd multo magis hac in re nobis ipſis quam ijs qui contrarium ſentiunt ſenſus experientiaq; ſuffragatur. Neque enim ſi gentilium hiſtorijs proditum eſt Leonem illum Aphricanum Androdo ſeruo uirum probum,& gratum ſe præſtitiſſe, cōcludendum eſt propterea Leonum naturæ datum hoc fuiſſe, nam & boues apud Romanos non ſemel locutos eſſe Liuius tradit, & olim equam in Xerſis exercitu leporem peperiſſe Herodotus,& Valerius authores ſunt, neque ea tamen bouum, atque equarū naturæ tribuimus. Prodigia eiuſmodi ſæpe multa, atque etiam naturæ monſtra interdùm nonnulla conſpiciuntur, neque hoc in alijs tantùm animalibus, ſed etiam in hominibus ipſis cernitur nonnunquàm, inter quos reperiuntur interdum qui uel ingenio plus ualeant, quàm aut ętas, aut humana conditio ferre uideatur, uel ijs corporis, ſenſuumq; uiribus donati ſint, quæ naturales excedant facultates, qualem nobis hominem illum nomine Lynceum Plinius deſcribit, quem tanta luminum acie præditum fuiſſe tradit, ut à Lylibeo Siciliæ portu Carthaginenſium egredientes claſſes intueret.

## ARGVM.

POſſit ne Vlpianus,& Iuſtinianus aliqua ratione defendi, qui legem naturalem feris etiam,& belluis contra id quod ſupra concluſum eſt, cōcedere uidentur.

1 Verè ne ſenſerit Vlp. belluarum ius, & legem eſſe.

2 An abſolutè id accipi debeat, quod dictum eſt ſenſitiuæ facultatis inſtinctus non eſſe legem.

3 Ex naturæ quoque ſenſitiuæ inclinationibus poſſunt deſumi principia, ex quibus iuriſſcientia conflatur.

4 Quamuis Gratianus belluis ius non tribuat, tamen inter ea, quæ ſunt iuris naturalis ſenſitiuę quoque potentiæ inſtinctus recenſet.

5 Cum de iure naturali loquitur Paulus in l. penult. ff. de iuſt. & iur. quo pacto illud accipiat.

6 Poſt triennium pueros exponere Romuli legibus erat permiſſum.

7 Declaratur l. 1. ff. de iuſt. & iure.

8 Feris quoque,& belluis naturalis iuris peritiam ineſſe, quo pacto intelligendùm ſit.

9 Verborū translatione ipſi quoque iuriſconſulti utuntur.

10 Verbum cenſeri quomodò accipiatur.

## CAP. VI.

EX ijs omnibus quę proximè diximus, intrepidè concludi poteſt, legem naturalem ſolis hominibus, ac non cæteris animantibus conuenire, Verùm huic ſententiæ ſola Vlpiani,& Iuſtiniani authoritas aduerſatur, quę ut nullo modo uidetur declinari

clinari poſſe, ita nec temerè contemni debere. Atqui certè ſi eos ita ſentire contendas, ut primo aſpectu eorum uerba oſtendere uidentur, brutarum etiam animantium ius & legem eſſe, nos eorum patrocinium prorſus deſerimus, Etenim cogeremur hoc mo 1
do feris etiam, & belluis obligationum regulas accommodare, quod ipſum (ut ſupra de monſtrauimus) planè abſurdum eſt. Sed tamen hanc defenſionem ita ſuſcipi poſſe arbitramur, ut eos non id ſenſiſſe dicamus, imò uerò à ſententia noſtra, quam proximè firmauimus nulla ex parte abhorrere, quod ut planum faciamus, unum prius nobis conſtituendum eſt, ex quo facilè illud deindè demonſtrabitur. Animaduertere igitur nos oportet hoc quod hactenus diximus, nimirum naturales inſtinctus, ueluti maris, & fœminæ coniunctionem, & eorum quæ procreata ſunt educationem ad legem naturalem, 2
iuriſq; præcepta nihil pertinere, ita accipiendum eſſe, ut eatenus tantùm id negemus, quatenus eiuſmodi inſtinctus in brutis animantibus ſunt, Quod ſi in hominibus conſiderentur, tunc fatemur eoſdem hos inſtinctus & in legis naturalis præceptis expendẽdis, & in tota hac iuris arte conſtituenda momenti plurimum habere. Nam quæ ratio ſupra in brutis conſiderata fuit, cum dictum eſt nullo modo illis conuenire iuſtitiam, & honeſtatem, quam ut proprium ſcopum iuris pręcepta ſibi proponunt, ea ratio in hominibus non modò non idem concludit, ſed contrarium potius apertè demonſtrat, Quandoquidem homines licet ad hæc eadem natura propenſi ſint, habent tamen præterea rationis uſum, quo iſtas inclinationes regere, ac moderari poſſunt, atque id efficere, ut honeſtati, & iuſtitię quammaximè illę reſpondeant. Quare quæ à ſenſibus, atque ab hac communi natura ſibi dictantur, ea neque recipiunt omnia, neq; etiam omnia reſpuunt, ſed in conſultationem deducunt ſola liciti, & honeſti ea in re norma utentes; Quod ſi turpitudinis, atque iniuſtitiæ nihil in ijs ratio perſpiciat, ea concedit, atque permittit, imò non tantùm permittit, ſed etiam imperat interdum ea ipſa de cauſa, quòd ab hac pariter cõmuni natura nobis præcipiantur; Vnde fit ut naturales iſtę inclinationes iam incipiant eſſe regulæ, propoſitiones, & principia, ex quibus iuris ſcientia conflatur, atque perficitur, Quamuis in feris, & belluis ſecus ſit, quæ honeſta à contrarijs minimè internoſcunt. Nam ut colores qui uerè in re aliqua inſunt, in tenebris diſcerni nõ 3
poſſunt, oborta uerò luce ſtatim apparent, ita naturalibus hiſce inclinationibus uerè quidem iuſti, & iniuſti, honeſtiq; & inhoneſti differentię inſunt, ſed hæ differentiæ belluas ipſas in quibus nulla eſt ratio, planè latent; ubi uerò rationis accedit lumen, ut in hominibus fit, tunc illæ penitus elucent. Quare Iſidorus, & Gratianus quamuis ius bel- 4
luis nullum tribuant, ſentiunt tamen ad ius naturale inter homines perficiendum hos ipſos inſtinctus maximè pertinere, dum ſtatuunt ius naturale eſſe, quod eſt cõmune omnium nationum, & inſtinctu naturę, non conſtitutione habetur aliqua, ut eſt uiri, & fœminæ coniunctio, & puerorum educatio, c. ius naturale 1. diſtin. Vlpianus etiam in l. 1. ff. de iuſt. & iur. in ultimis uerbis non modo ſuam, ſed & aliorum ſententiam hanc fuiſſe nobis indicat, nam cum in iuris diuiſione has ipſas inclinationes complectatur, in eo tantùm elaborat, ut reddat rationem, cur hos cõmunis naturę inſtinctus ab a-
« lijs iuris regulis ſeiungat, atque ex ipſis ius diuerſum conſtituat, Qua in re apertè oſtendit à nemine fuiſſe dubitatum, quin & tales inſtinctus ad ius conſtituendum pertineret, Nam niſi hoc apud omnes exploratum fuiſſet, ipſe certè non tantùm cur ſeiunxiſſet, rationem debuiſſet reddere, ſed cur omnino ea recepiſſet, quæ ab alijs in tradenda iuris diuiſione reijci ſolerent. Quocirca minimè dubitandum eſſe crediderim, quin & Ariſtoteles,

5 ſtoteles, & Paulus in l. pen.ff. de iuſt. & iure cum ius ſolis tribuunt hominibus, atque illud in naturale, & ciuile diuidunt, eam habuerint mentem, ut ſub primo illo capite iuris naturalis, maris, & fœminę coniunctionem complecti uoluerint, item liberorum educationem, & iniuriæ propulſationem, & ſi qua alia nobis cum belluis communia ſunt. Quoties enim rationes expenduntur, cur uel prohibitum, uel permiſſum, aut imperatum aliquid ſit, hæc ipſa quoque reperiemus momenti plurimum habere. Nam ſi quis te roget, quę te lex liberos proprios alere iubeat, eoſdemq; deſtituere, aut eijcere prohibeat, non certè reſpondebis ea te ſola naturæ ui ad id obſtringi, quæ rationalis dicitur, atque hominum propria eſt, ſed naturæ potius communi id tribues, quæ omnibus animãtibus tacito quodam inſtinctu ea ipſa præcepit, & arctius hoc uinculum inter liberos, & parentes, quàm inter alios eſſe uoluit; quanuis eundem hunc inſtinctũ, propterea quòd honeſtati nõ modò nõ aduerſabatur, ſed maximè
6 potius conueniebat, naturalis quoque ratio approbauerit. Atque hoc puto ego fuiſſe in cauſa, cur olim Romuli legibus poſt triennium pueros exponi non fuerit interdictum, & alijs etiam Romanis legibus aliquando impunè filij interfici potuerint, cum tamen alij non potuerint, Etenim homines ſapientiſſimi neceſſarium eſſe non putarunt illud lege prohibere, quod naturali inſtinctu ſatis uetitum eſſet. Ac multas porrò leges habemus, ut quæ de ſucceſſoribus latæ ſunt, de tutelis, de legitima iure naturæ debita, quæ omnes huic ipſi liberorum educandorum inſtinctui quaſi firmiſſimo fundamento innituntur; Quibus ex rebus facilè intelligitur inclinationes haſce naturales, uel ſi in brutis animantibus nullam legem conſtituant, in hominibus tamen ad legis naturalis præcepta, & ad iuriſſcientiam conſtituendam maximè pertinere. Quod cum ita ſe habeat, ſatis iam ex hoc intelligimus, qua ratione Vlp. defendi poſſit; Quem ſi ideò reprehendis, quod inter legis naturalis principia naturæ quoque communis inſtinctus ſit complexus, ut maris, & fœminę coniunctionem, & liberorum educationem, iniuria illum reprehendis, cum imò ex his ipſis naturalis legis regulæ, ac propoſitiones ſumantur complures, ex quibus conflatur iuris ſcientia, noſtrumq; hoc ſtudium conſtituitur. Ipſe uerò ibi hoc potiſſimum in animo habuit, ut quę huius noſtri ſtudij partes eſſent, nobis oſtenderet, d. l. 1. §. huius ſtudij. Idem & de Iuſtiniano affirmandum eſt, qui cum in §. ult. inſtit. de iuſt. & iur. ex Vlpiano ad uerbum omnia deſcripſerit, ſicuti eiuſdem criminis reus eſt, ita eiuſdem defenſionis ſuffragio iuuabitur. Quod ſi Vlpianum ea ratione accuſas, quòd ſenſerit hoſce inſtin-
7 ctus non tantùm ius conſtituere, ſed inter brutas quoque animantes conſtituere, uerè is quidem, ſi ita ſentiret, hoc nomine damnandus eſſet, ſed ipſe certè non in eum modum loquitur, ut de brutis quoque hoc ſenſiſſe exiſtimari poſſit; Imò uerò in tota illa lege ijs utitur uerbis, ex quibus facilè intelligas non ad cęteras animantes, ſed ad ſolos homines eam quam ibi tradit iuris diſtinctionem retuliſſe. Initio enim ius, quod poſtea diuidit, ita deſcribit, ut dicat eſſe „ artem ęqui, & boni, ac propterea eos qui artem iuris profitentur æquum ab iniquo ſecernere. Iam hucuſque intelligimus non de belluis, ſed de ſolis hominibus loqui Vlpianum, & propoſitam iuris tractationem ad ſolos homines referre. Nam æquitatem, bonitatem, iuſtitiam, de quibus ibi loquitur, in feris, & belluis ineſſe non rectè dicimus, vnde Tullius. Non ulla in re (inquit) „

F longius

longius abſumus à natura ferarum, in quibus ineſſe fortitudinem ſępe dicimus, ut
in equis, in leonibus iuſtitiam, bonitatem, ęquitatem non dicimus, ſunt enim rationis,
& orationis expertes. Poſtea ius diuidit publicum,& priuatum, ac publicum ſtatuit
eſſe, quod in ſacris, in ſacerdotibus, & in magiſtratibus conſiſtit, quæ omnia cum à
brutis animantibus alieniſſima ſint, ſatis ex hoc intelligitur, iuriſconſultum non modò
ijs publicum ius non tribuiſſe, ſed ne ſuſpicatum quidem hoc fuiſſe. His porrò omni-
bus conſequens eſſe uidetur, ut cum is poſtea iuris priuati diuiſionem ſubijciat, dicatq;
ius priuatum tripartitum eſſe, hoc eſt collectum ex naturalibus pręceptis, gentium, & ci-
uilibus, eodem modo illud accipiat, quo & ſupra generatim ius definiuit, & poſteà il-
lud ſpeciatim diuidere cœpit, ne unum diuiſionis membrum ab altero diſſentiat; quod
ſi admittamus, ut neceſſariò admittendum eſt, non poſſumus deinde negare, quin uo-
luerit Vlp. totum ius naturale ad ſolos homines referre. At huic defenſioni plurimùm
“ aduerſari uidentur uerba illa, quæ poſtea ſequuntur. Videmus etenim (inquit) cętera
“ quoque animalia, feras etiam iſtius iuris peritia cenſeri. Quę uerba uel ſi aliqua ex par
te hoc quod diximus uideantur confirmare ob dictionem illam quoque, quæ cum im-
plicatiua ſit, uidetur oſtendere de ſolis hominibus ſupra ſermonem haberi, ac non de cæ
teris animalibus, quæ poſtea implicantur. Tamen eo ipſo quod Vlp. expreſſim cætera
implicat animalia, apertè nobis indicat ſuam hanc ſententiam eſſe, ut ijs quoque ius
naturale tribuendum exiſtimet. Verùm hæc ipſa uerba ſatis rectè (iudicio meo) duplici
ratione poſſunt euitari (nihil enim omittendum eſt, ex quo Vlp. ſaltem probabiliter de
fendi poſſit) Primò quia ſi uerum eſt naturales hoſce inſtinctus, qui ad maris, & fœmi-
næ coniunctionem attinent, ius aliquando eſſe poſſe, ut demonſtratum eſt, Ac ſi ue-
rum etiam eſt hos ipſos inſtinctus ad feras, & belluas pertinere, potuit certè non abſurdè
dicere Vlp. hoc ius belluis conuenire, non quia hoc quod in hominibus ius eſt, in ip-
ſis pariter belluis ius dici poſſit, ſed quia hoc totum, quicquid eſt, in ipſis quoque bel-
luis reperitur. Eiuſmodi porrò loquendi formulis ſępiſſimè utimur, ut cum dicimus
uenenum nonnullis animantibus cibum eſſe, In quo tametſi ueneni uocabulum uſur-
pamus, non tamen intelligimus eodem modo id illis eſſe uenenum, ut nobis eſt, ſed
quod nobis uenenum eſt, illud ipſis cibum eſſe ſignificamus, Atque ita etiam accipien
dum puto, quod idem dixit ius naturale eſſe, quod natura omnia animalia docuit, ut
in hoc ille rem ipſam potius, ac naturales ipſos inſtinctus, quàm iuris nomen ſpectaue-
rit. Poſſumus etiam alio modo reſpondere ad illa Vlpiani uerba, videmus enim &c. vt
dicamus ius ibi ſumi μεταφορικῶς, docuimus enim ſupra iuris nomen, ut & pacem, litem,
concordiam, & alia id genus uocabula cuiuſdam ſimilitudinis ratione non modò ad
belluas, ſed etiam ad res prorſus inanimatas referri ſolere. Spectaſſe uerò Vlpianum 9
hanc ſimilitudinem, & per uerborum tranſlationem ita locutum fuiſſe, oſtendit uer-
bum docere, item uerbum, peritia, quæ duo uerba brutis animantibus non pro-
priè conueniunt; Poteſtq; etiam ad hoc perpendi uerbum illud cenſeri, nam ne-
que ipſum alio modo quàm per tranſlationem uſurpari potuit, cum cenſeri ea pro- 10
priè dicantur quæ in aliquem ordinem, ac numerum quaſi adſcribuntur, unde
rectè Theophilus uertit ὁρῶμεν γὰρ οὐ μόνον ἀνθρώπους, ἀλλὰ καὶ τὰ λοιπὰ ζῶα ἐν τοῖς τιμῶσι τοῦτον τὸν νόμον
ἀναγεγραμμένα. Quamuis Budęus exponat cenſeri, hoc eſt admirationi eſſe, ſiue (ut cla-
rius id exprimatur) huius iuris peritia onari, ac celebrari, prout uidetur Papi-
pianus hoc uerbum accepiſſe in l. ult. ff. de ſuis & legit.

Hęc

Hæc ad Vlpiani, Iuſtinianiq; patrocinium attuliſſe ſat erit, quos etſi maximè arbitramur hac ratione defendi poſſe, tamen cum plenè ſupra explicauerimus quid hac ipſa in re uerius eſſe putemus, nihil eſt quod de aliorum ſententia magnopere ſolliciti ſimus; cum palam ſit ipſos quoque iuriſconſultos eiuſmodi in rebus nihilominus quàm alios quoſcunque errare potuiſſe.

## ARGVM.

QVomodo ex lege naturali leges humanæ profluxerint, & quæ fuerint cauſæ cur homines naturali lege non contenti, leges humanas inſtituerent.

1 Practici intellectus theoremata à uariis ſparſim iuriſconſultis relata.
2 Ex naturæ fontibus oriuntur leges humanæ.
3 Practici, & ſpeculatiui intellectus ſimilitudo, quatenus uterque ex primis, & notioribus alias inſuper concluſiones deducit, & nu. 5.
4 Differentia inter ſpeculatiuas ſcientias, & noſtram hanc practicam facultatem.
5 Quantum ad id quod hìc agitur prædictæ facultates conueniunt.
6 Lex humana deſcribitur primò, ac mox accuratius definitur.
7 Vbi de iuſtitia, & honeſtate diſceptatio occurrat, ibi naturæ præſidio nunquàm deſtituimur.
8 Prima cauſa cur quamuis legem naturalem haberemus, leges tamen humanæ neceſſariæ fuerint iudicatę.
9 Legum noſtrarum exemplis demonſtratur quod ſentit Ariſtoteles, leges humanas eſſe menſuram iuſti naturalis.
10 Quibus ex cauſis poſſit hodie filius exhæredari.
11 Altera affertur cauſa ob quam leges humanæ conditæ fuerint.
12 Eſt cum præcepta naturalia uideantur inter ſe diſſidere, uel ſi uerè non ita ſit.
13 L. bona fides. ff. de poſ.
14 Vſucapionum occaſio, & utilitas.
15 Tertia & ultima cauſa cui legum humanarum origo adſcribenda eſt.
16 Cur à ſolis hominibus uioletur naturæ præſcriptum, quod à cæteris omnibus rebus & animatis, & inanimatis inuiolatè cuſtoditur.
17 In hominis natura ineſt quaſi bellum internum.
18 Ad frenandam hominum malitiam quantum Philoſophia præſtet adiumenti.
19 Optimum quidem Philoſophiæ præſidiũ, ſed per ſe haud ſatis efficax eſt.
20 Leges humanę duplici egent nempè magiſtratuum, & bellorum adminiculo.
21 Bellorum neceſſitas.
22 Mortalium primi quomodo pugnarent.
23 Bella certis legibus indicenda, ac gerenda ſunt.
24 Legum humanarum auxilio indiget lex naturalis.
25 Contra etiam lex naturalis ipſis legibus humanis quaſi mutuũ præſtat officiũ.
26 Ex quocunque præcepto legis ciuilis naturalem ſemper oriri obligationem Bart. exiſtimauit.

## CAP. VII.

INter eas omnes, quas ſupra cõmemorauimus, legis ſpecies duas tãtũ diximus eſſe, quę penitus nobis cognoſcendæ ſint, & quæ ſolę hãc obligationũ materiã, imò & totã iuris ciuilis ſciẽtiã attingant, nimirũ naturalẽ, & humanã; ac de lege naturali hucuſq; ea docuimus, quæ ſcitu magis neceſſaria eſſe iudicauimus. Nũc proximũ eſt, ut & de lege humana idem pręſtemus. De hac enim ſuperius id tantùm demonſtrauimus, qua ratione illa ab alijs legũ ſpeciebus diſtingui poſſit. Quoniã igit diximus ſanctiones humanas omnes à ſola naturali lege deriuari, nõ ſecus ac pluras ſępe aquarũ riuuli ab uno, eodẽq; fonte ſcaturire ſoleant, ut quæ de ipſis dicturi ſumus, cõmodius percipiatur, conſtanter



Digitized by Google

hic quoque retinendum eſt, quod de lege naturali ſupra concluſum fuit, eſſe illam ſcilicet rationem, quę ob diuinæ rationis communicationem, quid rectum, & honeſtum ſit nobis oſtendit, atque ad id nos uelut tacito monitu aſſiduè hortatur. Reuocandum
1 inſuper in memoriam eſt, nos huius naturalis legis ope uniuerſales tantùm quaſdam regulas cognoſcere, ueluti Deo opt. Max. cultum prętandum, patrię, & maioribus parendum, fidem ſeruandam, ijs qui de nobis beuemeriti ſunt gratiam referendam, pręterea ut uim ui repellere poſſimus, eſſe omnibus concedendum, quę ſunt omnia practici intellectus noſtri theoremata, atque principia, eaq; communia, & indemonſtrabilia, & hæc uarijs paſſim in legibus uſurpantur, ut in l. ueluti cum l. ſequenti .ff. de iuſt. & iure.§.iuris præcepta inſt. de iure natur. gent. & ciuili l.1.ff.de pact.l.1.ff.de cōſt. pec.l.ſtichum.§.naturalis.ff. de ſolut. l. cum amplius. §. is natura debet. ff. de reg.iur. l. ſi teſtamento.§.ſeruo.ff.de fideiuſſ.l.ſed & ſi lege.§.conſuluit.ff.de petit.hęredit. Quę omnia Vlpianus,& Iuſtinianus ad tria tantū prima præcepta uidētur redigere uoluiſſe,
2 ut in l. iuſtitia.ff. de iuſt.& iu.&.§.iuris inſti.de iur. nat.gent.&.ciu. Iā uerò cōmunibus his principijs homines nō cōtenti,ulterius progreſſi ſunt, & ex ijs alia,atq; alia ſubinde deriuarunt,multaq; ſpeciatim cōſtituerunt,quę neq; ita paſſim omnibus cognita ſunt, neque etiam eodem in ſtatu ſemper permanent, ſed ſępenumerò corrigi,rurſusq; reſtitui, multisq; modis mutari, ac uariari ſolent. Quam rem totam planius explicat diuus Thomas in prima ſecundæ quęſt.91. art.3. dum ſpeculatiuę rationis ſimilitudinem no-
3 bis proponit. Satis conſtat rationi ſpeculatiuę communes quaſdam ineſſe notiones, ex quibus deinde ſapientes homines alias deduxerunt concluſiones, uariaſq; ſcientias excogitarunt. Quare ſicuti ex illis principijs intelligibilibus uariæ ſcientiæ deprompte ſunt, ita pariter ex legis naturalis præceptis,quę ſunt uniuerſalia,& indemonſtrabilia,humanę leges fluxerunt. Qua in re tamen aduertendum eſt, nos non inficiari, quin hęc
4 noſtra iuriſcientia, practicaq; cognitio à ſpeculatiuis ſcientijs maximè diſtet, quas perſpicuum eſt non modò diuerſum finem ſpectare, ſed diuerſis quoque modis uti, quibus ad eum finem perueniant, Etenim ſpeculationem ipſam, ac ſolam rerum cognitionem ſibi proponunt, minimeq; illam ( id quod practica ſcientia facit ) humanis actionibus indiuiduis, ac particularibus accommodant. Ideoq; nec particularibus ullis, ut hæc noſtra, ſed ſolis uniuerſalibus utuntur propoſitionibus, utpote quæ ſolam rerum naturam, & eſſentiam inquirunt, quam non in rebus particularibus, atque indiuiduis, ſed in ſpeciebus tantùm, atque uniuerſalibus rerum formis conſiſtere non ignoramus.
5 Hæc differentia ita aperta eſt, ut de illa dubitare nemo poſſit. At nos in præſentia dum ſpeculatiuas ſcientias cum practica comparamus, hanc ſimilitudinem conſideramus in eo tantùm, quod proximè dictum eſt. Quemadmodum enim ſpeculatiuus intellectus, unde ſcientiæ illę prodeunt, habet communes quaſdam notiones, ut totum eſſe maius ſua parte, Si ab equalibus æqualia demas, æqualia remanere, Paria uni tertio inter ſe quoque paria eſſe; Sic etiam intellectus practicus, unde noſtra oritur iuris ſcientia, communia quędam nobis ſuggerit principia, eaq; itidem indemonſtrabilia, quę proximè cōmemorauimus. Rurſus quemadmodum ex illis cōmunibus notionibus uariæ promuntur uariarum ſcientiarum concluſiones, ita ex his noſtris principijs uaria præcepta, uariasq; leges ubique homines deſumpſere. Ac denique quemadmodum ibi ita fit, ut quamuis notiones illæ natura ipſa omnibus planè cognitæ ſint, atque perſpectę, quas tamen ex ijs ſapientes homines deriuarunt concluſiones, non ita prorſus omnes intelligant,

non

non ſecus etiam hìc euenit, ut quamuis illa prima iuris noſtri elementa omnes planè
homines ſola natura hauſerint, & arripuerint, tamen quæ inde leges deducuntur ua-
rijſq; in locis conſtituuntur, eas non propterea cæteri mortales cognoſcant aut ample-
ctantur. De his loquitur Papinianus in l.1.ff. de legib. cum legem definiens, ita inquit.
6 Lex eſt commune præceptum uirorum prudentium conſultum, delictorum quæ
ſponte uel ignorantia contrahuntur coercitio communis Reipub. ſponſio. Verè ta-
men hæc deſcriptio potius quędam, quàm definitio appellanda eſt, quare accuratius lè
gem humanam definit diuus Thomas in prima ſecundæ quæſt. 91. art. 1. aitq; illam nã
hil aliud eſſe quàm dictamen practicæ rationis in Principe, dum cõmunitatem aliquã
perfectam, hoc eſt ciuitatem gubernat. Rectiſſimè is mihi hanc definitionem tradidiſ
ſe uidetur; nam ratio eſt lex naturalis in eo quod principia tantùm uniuerſalia nobis
ſuggerit, ſi uerò ad ciuitatis gubernationem conferatur, inde orietur lex humana. Si-
quidem non poteſt ratio Principis ciuitatis curam ſuſcipere, niſi ex illis primis fonti-
bus alia magis particularia præcepta deriuet, ac deducat, quæ humanum, ciuileq; ius
conſtituant. Quod tñ in ijs tantùm rebus accipiendum eſt quę Princeps, quiuè eam
poteſtatem habet, generaliter obſeruari uoluerit, Conſtat enim non omnia, quę in ciui
tatis gubernatione decernuntur legis uim obtinere. §. ſed & quod principi inſt. de iur.
natur. gent. & ciuili. Non me latet alias humanę legis diffinitiones paſſim afferri, quæ
promiſcuè tùm legi, tùm iuri applicantur, quod ea ratione fit, quia paſſim etiam iuriſcõ
ſulti ob maximã, quam ſimul habent, affinitatem hos duos terminos confundunt, quã
uis inter ſe illi non nihil differant, ut infra à nobis aperietur, cũ ijs abſolutis, quæ ad le-
gem ſpectant, de iure dicere incipiemus. Interea uerò non abſurdè uidebimur facturi ſi
promiſcuè (quod diximus & ipſos facere iuriſconſultos) utroque uocabulo paſſim uta-
mur. Habemus iam quid ſit lex humana. Conſtat uerò illa ex ijs omnibus partibus,
quas fusè explicat Iuſtinianus in §. conſtat cum multis ſequentibus inſt. de iure nat.
gent. & ciuil. Sed uidendum eſt, quę cauſa fuerit, cur cum legem naturalem habere-
mus mentibus noſtris inſculptam, qua nunquàm deſtituimur, neceſſarium tamen eſſe
exiſtimatum fuerit præter hanc alias leges excogitare. Quid enim aliud eſt hoc quàm
accuſare naturam, quòd cum cæteris omnibus uel minimis in rebus nulla ex parte defi-
cere ſoleat, hac ipſa tamen in re defecerit, quę tanti momenti erat ac non perfectè ea
omnia nobis præceperit, quæ ad uitã rectè, & honeſtè degendã, eſſent neceſſaria? Non
eſt certè quòd naturã in hoc, ut neque alijs in rebus, accuſare poſſimus, cũ imò ſolius
naturæ præſidio, etiam leges humanę omnes excogitatę fuerint, neque quicquàm
prorſus ſit (ubi modò iuſtitiæ, & honeſtatis regulæ ſint expendendæ) in quo uiri boni,
7 atque prudentes ijs ipſis, quæ ſupra recenſuimus, naturæ principijs adiuti, quid fugien
dum, quiduè ſequendum ſit, non & rectè deliberare, & decernere facilè poſſint. Cur
uerò prętęr hæc uniuerſalia pręcepta, alia inſuper plenius, ac magis ſpeciatim legibus hu
manis pręcipere fuerit neceſſarium, tres mihi cauſæ fuiſſe uidentur. Prima cauſa eſt,
8 quia quamuis uniuerſalia naturæ præcepta omnibus hominibus, & locis, & temporibus
conueniant, non tamen ſemper, & ubique, & ſingulis eodem modo, eademq; menſura
conueniunt. Quare hominum legibus, & inſtitutis propterea opus fuit, quę iuſti na-
turalis eſſent tanquàm menſura, ut ait Ariſtoteles lib. 5. de morib. cap. 7. & pro locorũ
temporum, ac perſonarum uarietate ipſum hoc naturale iuſtum uariè metirentur.
Quemadmodum enim alijs in rebus fieri uidemus, ut quamuis uini (gratia exempli)
triticiq

triticiq; genus & uendentibus,& ementibus idem ſit, non tamen ijs æquales ſint men-
ſurę, ſed apud eos qui emunt maiores ,apud eos uerò qui uendunt minores eſſe ſo-
leant, ut ibidem Ariſtoteles inquit, Sic iuſtum ipſum naturale, licet ſit ſemper unum,&
idem, atque à ſe ipſo minimè differat,uarias tamen regulas, & quaſi menſuras habet,
quibus uariè illud homines applicando quodammodo metiuntur. Exemplis porrò il-
luſtrior tota hęc res fiet. Pietatem erga parentem uiolari ratio non permittit,quod qui
fecerit paterna dignus ſucceſſio ne hac ipſa lege naturali uideri non poteſt. Quoniam
uerò hac in re certum quendam modũ, certamq; menſurã ineſſe neceſſe eſt, ideò quo-
ties nos hanc menſuram conſideramus, ac quærimus anne patrem filius ita offen
derit, ut læſiſſe pietatem exiſtimandus ſit, ac propterea à ſucceſſione excludi debeat, in
eo legis ciuilis diſpoſitionem ſolam ſpectamus;cum eam rem metiri,atque decernere le-
giſlatoris munus ſit. Ita uerò hoc uidemus meritum eſſe Iuſtinianum, ut cum antea
longè pluribus ex cauſis filij ingrati, atque impij haberentur, rectéq; eo nomine exhæ 10
redari poſſent, ex quatuordecim ipſe tantùm cauſis id fieri permiſerit, quas cauſas cõ-
numerat in §. Aliud quoque capitulum autent. ut cum de appel.cognoſc. Scimus præ
terea à patre ( dum is uita fruitur ) filios educari debere, id enim præcipit lex natura-
lis, quæ ipſo etiam patre mortuo eius ſubſtantiam filijs deberi ſtatuit.§.cum autem. au-
tent. de hæred. & falc. l. ſcripto. ff. unde liberi. l. cum ratio. ff. de bo. damnat. Sed
quia dubitari poterat totanè ſubſtantia, an pro parte, & pro qua parte deberetur,Ideò
lex ciuilis, quæ has partes conſtitueret, ac metiretur, neceſſaria fuit, ut toto tit. autent.
de triente,& ſemiſſe. Aliud inſuper hoc exemplũ afferri poteſt, Si fidẽ ego tuam ſequu
tus ſum,eam mihi ſeruari lex naturalis iubet.l.cum amplius.§. is natura debet.ff.de reg.
iur. Quando uerò fidem mihi tuam ita pręſtitiſſe exiſtimandus ſis, ut ego illam ſequu-
tus uidear, hoc ſtatuit lex ciuilis, ipſaq; ſola huius rei quaſi menſuram pręb et, ut demõ
ſtrabitur in Rubr.ff.de uer.obl.pleniſſimè enim hac de re ibi à nobis agendũ eſt.Prima
ergo inueniendę legis humanæ cauſa fuit, ut illa iuſtum naturale, quod uariè apud ua
rios applicari poterat, certis ponderibus, certiſq; regulis expenderet, ac metiretur.

Secundam huius rei cauſam fuiſſe ſtatuo,ne pręceptorũ naturalium diſſenſio,quę di 11
ſcordare inter ſe nonnunq̃ uidebantur, nos ipſos forſan ancipites redderet,neuè iuſti,&
honeſti faciem nobis aliquando occultaret. Etenim naturalia hæc præcepta eiuſmodi
ſunt, ut ſi per ſe illa conſideres, tum quidem ſemper mirificè ſimul conſentiant, ſi ue-
rò ad uarias,indiuiduaſq; factorum ſpecies accommodes, interdum pro locorum,ac tẽ
porum uarietate pugnare ſimul uideantur, uel ſaltem aliqua ex parte inter ſe diſſidere. 12
Patrem meum grauiſſimè læſiſti, quem mihi patrem eſſe forſan ignorabas, me ipſum
uerò maximo aliquo beneficio decoraſti; ut ego huius beneficij gratiam tibi referam,
naturæ præceptum illud exigit, quo admonemur benefacientibus benefacere. Pietas
tamen huic rei maximè reclamat, ſi me hoc inuito patre, aut non ſine ipſius iniuria fa
ctum intelligam. Neque id tantùm euenit cum de honeſto,ſed etiam cum de iuſto di
ſceptatio eſt, Eiuſmodi exemplum proponit nobis Triphoninus in l.bona fides.ff.dep. 13
Latro ſpolia, quę mihi abſtulerat, depoſuit apud Seium inſcium de malitia depo-
nentis; utrum latroni an mihi reſtituere Seius debeat? Vt mihi reſtituat illud urget, q̃
natura cuique id quod ſuum eſt, tribui iubet: latroni uerò hac in re depoſiti fides ſuf
fragatur, quę tàm inuiolatè ſeruari ſe uult, ut nullas audiat excuſationes, nullaſq; com-
penſationes admittat. l. ult. C. de compenſ. Quare hic quoque apertiori legis hu-
manę-

Digitized by Google

manæ determinatione opus fuit. Eadem ſæpè perplexitas & illis occurrebat, quibus dirimendarum quæſtionum facultas data erat. Fiebat enim, ut dum legis naturalis præceptum aliquod ab iniuria defenderent, aliud planè deſtituerent, ac ſceleſtis hominibus quaſi uiolandum exhiberent, licet præcepta illa minimè inter ſe contraria eſſent, idq;
14 hoc exemplo rectè demonſtratur. Res alienas quidam ſuas eſſe credentes certo titulo diu poſſederant; ut eas dominis reſtituere cogerentur, naturale illud præceptum exigebat, quòd nemo debet cum aliena iactura locupletari. l. nam hoc natura. ff. de condict. indeb. Verùm cum id ſæpius fieret, eueniebat, ut rerum dominia apud omnes ciues eſſent incerta, multæq; eo nomine contentiones, ac lites orirentur, unde maximè publica quies lædebatur, cuius ut præcipuam ſemper curam geramus, naturali lege admonemur, pietateq; illa, qua patriæ quiſque ſuæ naturæ uinculo obſtringimur. Præſto igitur hìc quoque fuit lex ciuilis, quæ hanc ſuſtulit perplexitatem, atque uſucapionum opportunum remedium attulit, quas uſucapiones conſtat non alia de cauſa, quàm ex hac
15 ipſa inuentas eſſe. l. 1. ff. de uſuc. l. ult. ff. pro ſuo, & inſt. de uſucap. in princ. Tertia & ultima cauſa, omniumq; potiſſima, cur præter legem naturalem ſanctionum quoque humanarum nos ope indigeremus, fuit hominum malitia, qui non modò cum iuſti naturalis menſuram ignorabant, aut cum præcepta naturalia inter ſe uidebantur diſſidere, ſed etiam cum iuſti, & honeſti facies maximè elucebat, ab eo tamen ipſo per ſummum ſcelus recedebant, atque omni ſe flagitiorum genere inquinabant, quotidianis enim furtis, cædibus, rapinis communes utilitates impediebant, publicæq; tranquillitatis rationem omnem conturbabant. Quare non tantùm mœnijs contra uim externam, ſed etiã legibus contra ciuium improbitatem ciuitates, atque oppida munire opus fuit, ut rectè Horatius in 3. Saty.

Oppida cœperunt munire, & condere leges, "
Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter, "
Iura inuenta metu iniuſti fateare neceſſe eſt, "
Tempora ſi, faſtoſq; uelis euoluere rerum.

Si quę recta, & honeſta ſunt, ſponte homines ſemper amplecterentur, ac ſicut cætera animantia, aliæq; res naturales omnes finem ſibi à natura propoſitum ſponte ſequerentur, ſola per ſe lex naturalis ad uitam rectè, & honeſtè traducendam, & ad publicam utilitatem conſeruandam forſan ſatis eſſe potuiſſet. Verùm longè aliter euenire uidemus, ut naturę præſcriptum, quod à brutis,
16 ab arboribus, & plantis, alijſq; rebus omnibus inuiolatè ſemper cuſtoditur, à ſolis tamen hominibus quotidie uioletur, non ea quidem de cauſa, quia hęc, quæ diximus, omnia naturę nobilitate hominibus antecellant (imò enim hominum naturam longè pręſtantiorem eſſe conſtat) ſed quia (ut ſupra diximus) bruta animalia, aliæq; res naturales neque libertatem, aut electionem habent ullam, neque eorum natura quicquàm continet quod pugnans, & contrarium ſit, Nam neq; in plantis pars corporalis ab illa animę parte diſſidet, quam dicimus uegetatiuam, neque in brutis pars uegetatiua ſenſibus reclamat; quare nihil ipſis impedimento eſt, quominus finem ſemper aſſequantur ſibi propoſitum, cum naturę neceſſitate quadam ad illum ferantur, neque re ulla ab il-
17 lo ipſo auocentur. At in hominis natura cum nulla planè inſit neceſſitas, ſed liberum ſit uoluntatis iudicium ineſt etiam continuè quaſi bellum internum, dum pars animæ ſenſitiua parti rationali aduerſatur. Et certè cum pars illa terreſtris, & humana ſit, hęc uerò diuina, nihil mirum eſt, ſi diſſident ambæ inter ſe, proptereaquòd illa ad humanũ

ſemper

Digitized by Google

ſemper nos perducit, hæc uerò ad recta, & honeſta, & ad cœlum ipſum, vnde primam duxit originem, aſſiduè contendit; Quod ſi hęc illi interdum ſubiiciatur, ut in nonnullis hominibus fieri uidemus, ab eiuſcemodi hominum improbitate,nihil uſq; tutũ erit, nihil tàm ſanctum, quod uiolare ipſi non audeant, Etenim ut rectè Horatius.

Nil mortalibus arduum eſt,
Cœlum ipſum petimus ſtultitia, neque
Per noſtrum patimur ſcelus,
Iracunda Iouem ponere fulmina.

In hac hominum nequitia, & improbitate nullo unquàm tempore puto defuiſſe Philoſophos, & prudentes homines,qui de moribus pręcepta traderent, ut, quantum in ipſis eſſet,animos excolerent, lapſamq; in multis rationem erigerent,ac deprauatos hominum mores à uitijs,& flagitijs ad uirtutem, atque honeſtatem reuocarent; Sicq; moralis philoſophię quędam quaſi incunabula uel primis illis temporibus extitiſſe credibile eſt, quàmuis nondum eſſent, ut poſtea fuerunt, qui hęc accuratius tractarent,ac Moralis, Politicę,atq; Æconomicę nomina diſtinguerent. Neque uerò poſſumus inficiari, quin cum uel faſtu intumeſcimus,uel alia quacunque cupiditate miſerè obſidemur,ſemper in primis moralia pręcepta ad animos noſtros deliniendos,atque illa quaſi ęgritudine recreandos momenti aliquid habeant, quod probè explicat idem Horatius. 18

Feruet auaritia miſeraq; cupidine pectus,
Sunt uerba & uoces, quibus hunc lenire dolorem
Poſſis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes, ſunt certa piacula, quę te
Ter purè lecto poterunt recreare libello,
Inuidus, iracundus, iners, uinoſus, amator,
Nemo adeò ferus eſt, qui non miteſcere poſſit,
Si modo culturæ patientem accommodet aurem.

Sed hoc totum, quicquid eſt, remedij, quod à ſolis Philoſophis ſperari poteſt, ad publicam quietem,& tranquillitatem ſatis non eſſe quotidie experimur. Quam multos enim uidemus, qui rectè pręcipientibus planè ſurdas aures præbent, ipſoſq; etiam ultrò deludunt, ac plenè contemnunt? Quapropter aſperius aliquantò remedium neceſſarium fuit, aliudq; aliquid excogitare oportuit, quod non tantùm moneret (id quod à Philoſophis fit) ſed iubendo,uetando,puniendo etiam inuitos,ac reclamantes in officio retineret. Idipſum uerò hac ſola ratione fieri potuit, ut ſinguli populi, ac ciuitates pręter legem naturalem,cui planè omnes alligamur, quibuſdam etiam legibus humanis ſe ſubijcerent. Fuerunt ergo leges humanæ,quæ huic cõmuni periculo,quod in uniuerſum genus humanum intendebatur,uerum remedium attulerunt. Quæ tamen ipſæ duplici egent adminiculo, neque enim firmitatis aliquid habere poſſent, niſi hinc prudentium magiſtratuum, indeq; fortiſſimorum militum corona munirentur. Totum igitur hoc remedium,in quo ſimul hæc omnia concurrunt,triplici fundamento ſubnixum eſt, nam partim in legum humanarum pręceptis, partim in magiſtratuum cura, & authoritate, partim denique in bellorum pręſidio,militumq; fortitudine poſitum eſt; Quę tria inuicem ita ſe habent, ut ex iis nullum ſatis per ſe ſit, ſed eorum unumquodq; mutua alterius ope indigeat. Siquidem (quod ad leges humanas attinet) parum illæ nobis prodeſſent, niſi illis magiſtratus quaſi aſſiderent, qui illas ſeruari curaren- 19 20

Digitized by Google

rent, atque ab improborum hominum iniuriis defenderent. Hùc accedit, quòd cum leges ſurdæ, & inexorabiles ſint, cumq; accidat plerunque, ut eſſe debeat ueniæ locus, propterea etiam neceſſe fuit, aliquos eſſe moderatores, & tanquàm miniſtros, ac diſpenſatores, à quibus bonum, æquumq; liceret impetrare: Quapropter eodem ipſo tempore, quo leges ciuiles condi cœperunt, etiam magiſtratus creati fuere. §. ſingulorum inſt. de rer. diuiſ. in ultimis uerbis. Magiſttatus uerò per ſe ſoli non magnam nobis afferrent ſecuritatem, niſi & ipſis leges terrori eſſent; parum enim tutum eſſet illorum ſubijci poteſtati, ſi nullis illi legibus alligarentur, ſed liberè pro ani-
21 mi ſui libidine de rebus noſtris ſtatuere poſſent. De bellis idem dicendum eſt, nam ſine legibus, ac magiſtratibus bella non ſufficere tàm clarum eſt, ut à nobis demonſtrari non oporteat: Eſſe uerò bella neceſſaria res ipſa facilè docere poteſt, ſiquidem quoties euenit, ut ſcelesti, gratioſiq; homines præ nimia potentia, atque opibus inſolentes legum, & magiſtratuum authoritatem contemnant, resq; noſtras (ut eſt multorum audacia) uiolenter inuadant, ac uel legitimos Reges eiicere, uel Rerumpub. libertatem occupare contendant, tunc quia nec legum, nec magiſtratuum ope ad noſtra tutò, & quietè obtinenda quicquam iuuamur, nihil reliquum eſt, niſi ut ad uim, ad ferrum, ad arma deueniamus. Itaque hoc in cauſa fuit, ut quo tempore mortales & leges condiderunt, & magiſtratus crea-
22 runt, etiam bella recipienda, ac publica authoritate milites armandos exiſtimarint; quamuis & ante leges ciuiles bella hominibus non fuerint incognita. l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iur. Nam uel primo initio generis humani, unguibus, & pugnis pugnare ſoliti fuerunt, deinde paulatim progredientibus temporibus ea adinuenerunt, quæ ad bellorum uſum magis eſſent accommodata, quod & Horat. his uerſibus oſtendit.

Cum prorepſerunt primis animalia terris
Mutum, & turpe pecus glandem, & cubilia propter
Vnguibus, & pugnis, dein fuſtibus, atque ita porrò
Pugnabant armis, quæ mox fabricauerat uſus,
Donec uerba, quibus uoces, ſenſusq; notarent,
Nominaq; inuenere, dehinc obſiſtere bello,
Oppida cœperunt munire &c.

Atque hic latere nos non oportet totum hoc & legum, & magiſtratuum, & bellorum præſidium rectè ſolis legibus poſſe tribui, cum legibus ipſis planè cætera contineantur: Nam & magiſtratibus leges præſcribunt, quod illorum munus, & officium ſit, ut latè lib. 1. ff orum compilatores tradiderunt. Item & bella certis riti-
23 bus publicè indici, & geri iuſſerunt, quibus non ſeruatis neque bella, neque hoſtes, quibus cum pugnaretur, appellari uoluerunt, ideoq; nec captiuorum ſeruitutem induci; ex quo fit, ut tunc poſtliminio locus non ſit, ut docet Vlp. in l. hoſtes. ff. de capt. & poſt. reuer. Concludamus ergo omnium potiſſimam legum ab homi-
24 nibus condendarum cauſam illam fuiſſe, ut leges humanę præſidio eſſent naturali legi, quæ alioquin ſceleſtorum hominum iniurijs nimis patuiſſet. Fruſtra dictaſſet ratio, atque aſſiduo monitu illud fruſtra inculcaſſet, neminem non modò occidendum, ſed ne lędendum quidem, niſi lex Cornelia de ſiccariis, lex Aquilia de damno culpa dato, & quæ de iniuriis tùm Romanorum, tùm aliorum etiam Popu-



Digitized by Google

lorum leges multò antea ſanxerunt, pœnarum terroribus, damniſque propoſitis, audacium, flagitioſorumque hominum animos à cædium, iniuriarumque cogitatione deterruiſſent. Ac ne fruſtrà exemplis recenſendis tempus conteram, quæ propemodum innumerabilia afferri poſſent, ſatis per ſe unuſquiſque (ad quamcunque iuris ciuilis partem animum conuertat) animaduertere poterit legum ciuilium laborem omnem, omneque ſtudium conſumi in conſeruatione naturæ, neque aliud quicquàm eas moliri, aut agere, quàm ut naturæ ius omni ex parte integrum, inuiolatumque conſeruetur. Qua ex re facilè intelligimus, quàm arctum inter legem naturalem, humanasque ſanctiones ſocietatis quaſi uinculum ſit; Quod quidem uinculum tantò arctius etiam ex eo alligatur, quòd natura mutuum quodammodo humanis legibus præſtat officium. Sola eſt enim lex naturalis, quæ ciuilibus præceptis uim, roburque omne, ac quaſi ſpiritum præbet; quod ni faceret, præcepta iuris ciuilis omnia iacerent tanquàm demortua, & quaſi nullo ſubnixa fundamento penitus conciderent. Neque enim leges ciuiles, quæ ad tutelarum, ac uectigalium munera, atque eiuſmodi alia patriæ pręſtanda, tum præterea quæ ad iudicia, ad magiſtratus, ad iuriſdictiones attinent, non planè corruerent, ſi unum illud naturę fundamentum tolleres, patriæ, & maioribus parendum eſſe, imò uerò hoc uno ſublato nullę planè alię leges ciuiles conſiſtere poſſent. Quod cum uideret Bart. in l. Iulianus nu. 27. ff. de condict. indeb. propterea concludebat ex pręcepto ſolius legis ciuilis naturalem ſemper oriri obligationem, cum pręſtò ſemper adſit illud naturæ præceptum, ut patriæ, & maioribus pareamus. l. ueluti. ff. de iuſt. & iur. quod tamen non ita planè affirmandum erit, ſi accipiamus obligationem eo modo, quo accipi in hac materia obligationum & ſolet, & debet. Quoties enim quærimus an ex aliqua conuentione, aut aliqua facti ſpecie oriatur naturalis obligatio, ſemper expendimus quantum in illo ipſo facto naturalis æquitatis inſit, ac non eam tantùm, quæ legi ciuili ineſt, naturalem obligationem conſideramus, quamuis ipſi quoque legi ciuili natura parere teneamur. Quod ſi naturalem hanc obligationem ſpectaremus, quam ſecum affert ſemper præceptum iuris ciuilis, ac non eam potius, quæ ex ipſa facti ſpecie immediatè proficiſcitur, cogeremur fateri etiam in literarum obligatione, item in iuramento, quod poſtulante aduerſario præſtitum eſt, nec non & in ſententia, quæ iudicati uim obtineat, naturalem obligationem non minus ineſſe, ac cum uerè alterius fidem ſequuti ſumus. Quapropter ciuilis obligatio ſine naturali nunquàm reperiretur, quod tamen nequaquàm concedendum eſſe, ex iis intelligetur, quæ dicemus in Rub. ff. de uerb. oblig. quo in loco illa fermè omnia, quæ in tota materia obligationum inſigniora ſunt, accuratè explicuimus.

25

26

## ARGVM.

NVm leges humanæ ea tantùm præcipiant, quæ particularem (ut uocat Ariſtoteles) iuſtitiam attingunt, an uerò etiam quæ ad alias uirtutes ſpectant. Tum quid profiteri debeant iuriſconſulti, qui leges humanas interpretantur.

Non

Digitized by Google

1 Non ad ſolam iuſtitiam, ſed etiam ad alias planè omnes uirtutes natura inſtituimur.
2 Leges humanas non ea ſola præcipere, quæ ad iuſtitiam particularem ſpectāt, exemplis aliquot demonſtratur.
3 Rectè ne ſentiant qui Iuſtiniani legibus exceptis à cęterarum rerum omnium doctrina iuriſperitum excludunt.
4 Duodecim uirtutes morales, quas connumerat Ariſt. rectiſsimè ad tres tantum rediguntur.
5 Prudentia, uel ſi moralis uirtus non ſit, tamen ijs in rebus omnibus, quæ ad mores ſpectant, eſt apprimè neceſſaria.
6 Qui ſint habitus intellectiui, & quomodo inter ſe differant.
7 Quod nam ſit prudentiæ munus.
8 Quæ quibuſque Reip. partibus uirtutes magis conueniant.
9 Iuſtitia particularis quotuplex.
10 Iuſtitia uniuerſalis quæ. & qua ratione ſic ſeorſum fuerit conſiderata.
11 Eatenus tantùm uirtutes conſiderant leges humanę, quatenus alterum reſpiciunt.
12 Non tantum particularis, ſed etiam uniuerſalis iuſtitia ad alterum refertur.
13 Eo modo, quo Politici, uirtutes conſiderant etiam iuriſperiti.
14 Moralis, & Politici an idem ſubiectum ſit.
15 Quibus populis leges Plato dederit, & quibus dare recuſauerit.
16 Proſperitati comes audacia, & confidentia.

## CAP. VIII.

IAm uerò ſi leges humanæ, ut rectè oſtendunt quę à nobis hucuſque tradita ſunt, id pręcipuè ſemper agunt, ut iuſtum naturale non modò interpretentur, atque interpretando quaſi metiantur, ſed etiam à ſceleſtorum hominum iniuria defendant, conſequens certè eſt ex ijs omnibus, quæ legi naturali propoſita ſunt, nihil ab humanis, ciuilibuſq; legibus alienum dici poſſe, ac nihil planè eſſe natura iuſtum, uel honeſtum, quod non illi omnes & tenere, & profiteri debeant, quibus ciuilium legum uel condendarum, uel interpretandarum onus incumbat.
1 Quoniam uerò lex naturalis quid iuſtum, & honeſtum ſit omnibus in rebus præſcribit, ac non tantùm docet quo pacto ius ſuum cuiq; tribuamus, ſed etiam quo pacto temperantes, ac fortes eſſe poſſimus, cæteraſq; itidem uirtutes omnes ſeruare, ex hoc intelligitur legum humanarum conditores uirtutes ſibi omnes conſiderandas proponere, ac non ad illam ſolam uirtutem nos inſtruere, quæ ius ſuum cuique tribuit, & quàm magis peculiari uocabulo iuſtitiam dicimus. Negari quidem non poteſt, quin illa iuriſconſultorum quodammodo magis propria ſit, ac ſæpius etiam conſiderari ſoleat, ijs in rebus præſertim, quæ ad pacta, conuentiones, contractuſq; attinent, utpotè quæ ex omnibus uirtutibus una in rebus contrahendis, rerumq; contractarum fide uerſatur, ſolumq; illud cauet (ſiue in commutando, ſiue in diſtribuendo poſita ſit) ne plus quiſquàm accipiat, quàm accipere eum par ſit, ut docet Ariſtoteles lib. 5. de morib. cap. 1. Verùmtamen ſi leges omnes generatim, atque in uniuerſum ſpectabimus, uidebimus non hunc ſolum ſcopum ſibi illas proponere, ſed ea dictare, ac ſuggerere nobis omnia, quæ
2 etiam ad alias quaſcunque uirtutes pertineant, noſq; prorſus ad rectam, & honeſtam uiuendi rationem inſtituere ualeant. Fac aliquem ex acie timidè aufugientem locum deſeruiſſe, aut fortè clipeum abieciſſe; nullum hìc quidem cernimus iniuſtitiæ crimen, ut rectè aduertit Ariſtoteles in loco proximè adducto, & tamen non ignoramus hoc quoque crimen humanis legibus uindicari.



Digitized by Google

Solebant enim apud Romanos ex eiuſmodi delictis milites exauthorari. l. 2. §. ignominiam.ff. de his, qui not.infam.l.milites.§. miſſionum.ff. de re milit. Adde quod cum adulterium quis cõmiſit, ſi lucri gratia potiſſimum id fecerit, iniuſtitiæ quidem dandũ hoc eſt, ſed ſi nihil acceperit, quin potius ( ut fit plerunque) aliquid erogauerit,intemperantem hunc magis, quàm iniuſtum habendum eſſe rectè Ariſtoteles tradit,& tamen lex Iulia neque etiam hoc caſu adulterium impunitum relinquit,ſed omnes planè alienarum nuptiarum temeratores gladio punit. §. item lex Iulia inſt. de publ. iudic. Quapropter crediderim ego illos errare, quos ſæpe audiui à cæterarum uirtutum cognitio- 3
ne,aliaq; omni planè doctrina iuriſconſultum excludere. Putant enim excepta hac una iuſtitia quam particularem Ariſtoteles nominat,nihil aliud de moribus,de uitæ inſtituto, de rerumpub. adminiſtrandarum ratione nos profiteri, nihil quęrere oportere; ſatisq; illud eſſe ſi ex Iuſtiniani legibus addiſcamus, quo pacto ius cuiq;ſuũ tribui oporteat, quare ad ſolos Iuſtiniani libros euoluendos, tanquàm ad ergaſtulum quoddam nos detrudunt. Nequaquàm tamen hoc ita eſt, uerè enim nos totum philoſophiæ illius campum excurrimus, quę ad mores inſtituendos, actioneſque noſtras omnes componendas attinet, ut non ſolum ex ijs, quæ diximus, facilè poſſumus intelligere, ſed perſpicuè à Vlpiano docemur in l.1.in princ.ff. de iuſt. & iur. Quare ex duodecim illis,quas connumerat Ariſtoteles uirtutibus moralibus nullam planè à nobis alie- 4
nam exiſtimamus. Quod quidem ita eſſe clarius perſpiciemus,ſi illas cum Cicerone ad pauciores redegerimus, id quod cõmodiſſimè fieri poteſt. Ad tres tantùm illas redigit Cicero lib. 1. offic. Nempè ad temperantiam,quæ in dictorum ac factorum modo conſiſtit,ad fortitudinem, quæ in animi robore poſita eſt,& denique ad hanc quam ſpeciali nomine iuſtitiam dicimus, quę in tribuendo ius ſuum unicuique, & tuenda hominum ſocietate uerſatur. His tribus moralibus uirtutibus addimus deinde prudentiam, quæ 5
tametſi moralis non eſt,cum inter alias uirtutes intellectiuas,nimirum intellectum,ſapiẽtiam, ſcientiam, & artem, prudentia quoque numeretur,ut eſt apud Ariſtotelem lib. 6. de morib. tamen ex his quinque ſolam prudentiam nobis meritò uendicamus, quandoquidem ab hac una rectè agendi præcepta ſumimus, atque huius ope, quæ iuſta, & honeſta ſunt, à contrarijs ſecernimus. Prudentiæ enim non id propoſitum eſt, ut prin 6
cipia uniuerſalia intueatur, id quod facit intellectus, Rurſus nec res diuinas ſpeculatur quod ſoli ſapientiæ tribuendum eſt, Neque ut ſcientia cognoſcit ex cauſis primis,atque immediatis, quæ non poſſint aliter ſeſe habere, Nec denique ut ars regulis ullis perficitur uniuerſalibus,ſed ſingula tantùm atque indiuidua ſcrutatur,in conſilijs,factisq; mo- 7
dum, & ordinem ſtatuit, rerum progreſſiones animaduertit, pręteritis præſentia comparat, indeq; rectius de futuris decernit; ſicq; ex ſola rerum experientia conflatur, atq; perficitur. Quocirca hoc prudentiæ lumen uſqueadeò ad noſtram hanc practicam diſciplinam neceſſarium eſt, ut niſi omnibus rebus in agendis nobis pręluceat,non iuſtũ ab iniuſto,non honeſtum ab inhoneſto, non denique à uitijs uirtutes ipſas internoſcere ualeamus. Erunt igitur quatuor uirtutes nobis propoſitæ,nimirum prudentia, temperantia, fortitudo, ac iuſtitia, quæ cæteras omnes complectuntur, & ad quas pręcipuè qui leges condunt, oculos intendere debent. Etenim in ciuitate rectè legibus con 8
ſtituta non ſolos ciues, ſed & magiſtratus & milites eſſe oportet, at in magiſtratibus prudentia eſt neceſſaria, in militibus fortitudo, à reliquis ciuibus temperantiam maximè exigimus,ac moderationem. Quapropter dubitari non poteſt, quin cum his omnibus

nibus leges dare,ac perfectũ totius ciuitatis ſtatum componere inſtituimus,neceſſarium
ſit in primis, ut prudentiam, fortitudinem, ac temperantiam nobis ante oculos pro-
ponamus. Inſuper uerò quoniam ij, quos diximus omnes & magiſtratus,& milites, &
ciues pro ſingulorum dignitate, & meritis afficiendi ſunt, cauendumq; etiam eſt,
ne in cõmutationibus, & cõmercijs quiſquam decipi poſſit, ad hoc præſto eſt iuſtitia,
9 quę propterea rectè ab Ariſtotele in duas partes diuiditur, cõmutatiuam, ac diſtributi-
uam; Atque icçircò illa quoque omnibus ſemper in rebus ſpectanda nobis eſt, utpotè
quę per alias uirtutes omnes diffuſa implicat eas inter ſe fortiſſimo uinculo ęquitatis,&
concordiæ, facitq; ut illæ ſibi omnes quàmmaximè conſentiant. Satis iam demonſtra
tum fuiſſe arbitror omnes uirtutes legum conditoribus debere eſſe propoſitas, ac pro-
pterea nobis quoque, qui legum interpretationem profitemur, cognitas eſſe oporte-
10 re. Quodipſum Ariſtoteles non modò affirmauit, ſed propter hanc ipſam cauſam uni
uerſalis iuſtitiæ nomine omnes uirtutes comprehendi uoluit. Etenim præter iuſtitiam
particularem, quam in eo poſitam eſſe dicit, ne quis plus,quàm par ſit,accipiat, iuſq;
ſuum cuiq; tribuat,ſtatuit & aliam, quæ omnes uirtutes complectitur,iuſtitiamq; uni-
uerſalem nominat. Eam uerò ſic ſeorſum ſtatui, atque à particulari iuſtitia ſeiungi de-
bere eo probat argumento, quia non poteſt is non iuſtitię laudem mereri, qui quæ
legibus imperantur,obſeruat.Quod cum ita ſit, conſequens eſt iuſtitiam dari aliquam,
quæ omnes uirtutes contineat,propterea quòd minimè dubitandum exiſtimat,quin ea
omnia, quę ad quaſcunque uirtutes attinent, humanis legibus præcipiantur. Vnum
porrò hìc prætereundum non eſt, in quo ſolo lex humana, quæ alijs omnibus in rebus
legis naturalis ueſtigia ſequitur, prout hucuſque à nobis demonſtratum eſt,illã nõ pror
ſus imitatur. Nam lex humana omnia quidem illa ſibi proponit,quę uirtutum omniũ
ſunt,quemadmodum lex naturalis, ſed diſſimili tamen ratione. Conſiderat illa lex na-
11 turalis abſolutè,etiam quatenus ad ſingulorum mores componendos ſpectant, neque
quempiam alium reſpiciunt, leges uerò humanę eo ipſo tantùm conſiderant, quate-
nus ad alterũ referũtur.Qua ex re fit,ut nõ tantùm particularis iuſtitia, ſed etiã uniuerſa
12 lis, utpotè quæ in harum legum obſeruatione poſita eſt, omne ſuum munus alteri tri-
buat,& nunquàm non ad alterum referatur,ut docet Ariſtoteles lib.5. de morib. cap.1.
Referunt enim legiſlatores quęcunque decernunt ad cõmunem utilitatem, uel omniũ
uel optimatum,uel principum,ut uaria ſunt ciuitatum inſtituta,quę uel cõmuni omniũ
libertate fruuntur,uel unius Regis, aut paucorum imperio ſubiiciuntur. Neque enim
præcipient leges nos affabiles eſſe, item nec liberales,aut in ſumptibus,& cibis parcos,
quatenus hę uirtutes ad ſingulos tantùm ornandos ſpectant,ſed ita demũ ſi forſan hęc,
quę diximus aliquando alium reſpiciant. Forſan enim interdum legislatores illum pu-
niendum exiſtimabunt,qui propter illiberalitatem alicui præſidium in tempore non at-
tulerit, uel epularũ ſumptibus ob publicã utilitatẽ modũ imponent, ſicq; publicæ utili
tatis gratia continentiã imperabunt,quo nomine antiqui Romani maximè cõmendan
tur, apud quos ſummi, & ditiſſimi uiri ( ut eſt apud Valerium,& Plinium) in propatu-
lo cœnare ſolebant,ut ipſorum continentia uniuerſo populo magis pateret. Eam ob rẽ
13 uerè concludi poteſt iuriſperitos, licet moralem ipſi quoque diſciplinam profiteãtur,
non tamen ut morales, ſed ut politicos & iuſtitiam,& uirtutes alias omnes conſidera-
re,quandoquidem moralis facultatis,atque politicę eſt quidẽ unum,idemq; ſubiectum
nimirum ut hominem conſiderent quatenus uirtutibus,& fœlicitati ſubiicitur. Verùm-
tamen

Digitized by Google

tamen hoc diuerſa ratione ab utraque fit, nam moralis quæcunque tradit pręcepta ad illum ipſum refert, quem inſtituit, politica uerò ad cõmune bonum omnia redigit, 14
quod etiam legislatores, ac iuriſperitos facere minimè dubitandum eſt. Ex hoc etiam colligitur politicæ facultatis non ignaros eſſe oportere, qui legum ſe conditores eſſe profiteantur. Quod cum intelligerent Magneſij, & Siculi, à Platone harum rerum omnium peritiſſimo ſibi leges ſcribi curarunt. Idemq; ab eo poſtularunt etiam Thebani 15
ac Cyrenaici, quibus tamen Plato morem gerere ea ratione recuſauit, quòd diceret ob nimiam,qua tum fruebantur,proſperitatem,cui ſe comitem ſemper audacia, & confidentia præbere ſolet, haud facilè eſſe eiuſmodi leges inuenire, quę apud ipſos firmę,ac 16
ſtabiles futuræ ſperarentur. Atqui certè ſi concedimus (ut neceſſariò concedendum eſt) eum qui leges condat, moralem, ac politicũ eſſe oportere, idem cogemur & de iuriſconſultis affirmare, qui leges conditas interpretantur. Quomodo enim hoc interpretandi munus præſtarent, aut quomodo ijs in rebus, quæ fortè non omni ex parte legibus expreſſa eſſent ( cuiuſmodi paſſim multa reperiuntur) ueroſimilem legislatoris mentem aſſequerentur, ſi ea ignorarent, quę ad mores, ad uitæ inſtitutum,& ad Reip. gubernandæ rationem ſpectant, & quæ ipſum legislatorem in condendis legibus præ oculis habuiſſe inficiari non poſſumus?

## ARGVM.

EX ijs, quæ de legum humanarum fine,ac de iuriſconſultorũ inſtituto tradita ſunt, iuriſprudentiæ nobilitatẽ, ac præſtantiã liquidò elucere; Neque illa quicquàm aduerſari quę contra multi afferunt, dum conantur oſtendere leges ciuiles, & totam iuriſprudentiam à ſola hominum opinione pendere.

1 Qua ex re maximè artis alicuius, ſeu facultatis præſtantia cognoſcatur.
2 Architectonica quæ ſit, & cur artium omnium dicatur Regina.
3 An ulla in re à politica facultate differat iuriſprudentia.
4 Qui uerè iuriſconſultus dici poſſit, eundem & moralem & politicum eſſe neceſſe eſt.
5 Ius ab opinione pendere quibus rationibus nonnulli oſtendant.
6 Variorum populorum leges non modò uariæ inter ſe, ſed & planè contrariæ.
7 Inſigne Claudij exemplum, qui quod licere ſibi uoluit, pridie omnibus lege permiſit.
8 Multi ſunt in Philoſophia rudes, qui tamen iuriſprudentiæ laude excellunt.
9 Quid potiſſimum legum conditores profiteantur.
10 Quàm ſæpè iuriſconſulti ab ipſa natura legum rationes deſumant.
11 Cur tanta humanarum legum uarietas ſit,ex Platone cauſa affertur.
12 Eiuſdem uarietatis altera ratio, ex eodem Platone.
13 Quæ res maximè rectum iudicium impediant.
14 Nonnullæ ſunt leges ex ſolo iuriſconſultorũ artificio potius introductę,quàm ex naturali vlla ratione deſumptæ.
15 Legitima omnia ſunt quodãmodo iuſta ſecundum Ariſtotelem.
16 Et morales, & Politici eſſe poſſunt etiam qui Ariſtotelis libros nunquàm perlegerint.
17 Talis eſſe debet iuriſconſultus, qui rectè Remp. poſſit adminiſtrare,atque omnibus in rebus æquum ab iniquo ſecernere.
18 Cur dixerit Vlp. iuriſprudentiam eſſe rerum tàm diuinarum, quàm humanarum peritiam.
19 Cur ſolius particularis iuſtitiæ,ac nõ aliarum virtutum diffinitionem nobis & Vlp. & Iuſtin. propoſuerint.

Verba

Digitized by Google

20 Verba illa, ius ſuum unicuique tribuens, à iuſtitia uniuerſali non prorſus abhorrent.
21 Prima uerba Vlp. in iuſtitię diſnitione quomodo accipienda.
22 Dictio perpetuum uariè uſurpatur.
23 Quomodo Tullius accipiat quod dicit conſtantem,& perpetuam in Remp. uoluntatem

## CAP. IX.

EO paulatim res deducta eſt, ut ex iis,quæ diximus,iuriſpeudentiæ nobilitatem, ac præſtantiam facilè perſpiciamus; Verè enim iuriſprudentiam eſſe demonſtrauimus, quæ ad Rerump. ſedeat gubernacula, neque ea ſolum teneat, que ad uitæ inſtitutum, & ad ſingulorum mores attinent, ſed & ea omnia planè cognoſcat, quæ ad publicam utilitatem ſpectant, ac politicę facultatis ſunt, quin & totam ipſam Politicam ( quicquid contra alii ſentiant) in ſe contineat, & complectatur. Quod cum ita ſe habeat, uidetur mihi ex hoc ſolo noſtræ huius iuriſprudentiæ ſplendor ita elucere, ut nulla re alia magis illuſtrari poſſit. Compertiſſimum eſt enim omnes artes, ac diſciplinas, quæ ad actiones humanas pertinent, hoc ordine ſeſe habere, ut ſemper quæ dignitate inferior eſt, alterius præſtantioris fini ſubiiciatur, donec tandem ad eã deueniatur, cu-
1 ius finis ſupremus ſit, atque idcircò principem inter cœteras omnes locum obtineat. Quoniam ars illa ( ut exemplo clarior res fiat) quæ equos frenari docet, ad equitandi uſum comparata eſt, ideò equitandi diſciplinam, cui illa quaſi famulatur nobiliorẽ eſſe neceſſe eſt. Rurſus quoniam neque hæc fine ſuo contenta eſt,ſed bellorum commoditatibus inſeruit, meritò illi diſciplinæ, quæ rectam militandi rationem demonſtrat, nobilitate concedit. Demum uerò quoniam neque militaris diſciplina per ſe nobis ſatis prodeſſet, niſi Reipub. defenſionem ſuſciperet, & politicę facultati, quæ totius ciuitatis, ac Reip. curam ſuſcipit, ſupremumq; finem ſibi proponit, obſequium hoc præſtaret, propterea politicam hanc facultatem ſplendore, ac dignitate non militari tantùm diſciplinæ, ſed aliis planè omnibus antecellere neceſſe eſt. Hæc igitur eſt artium
2 omnium quaſi Regina, quam non ſemel Ariſtoteles architectonicam appellauit, quòd non ſecus,ac ſoleant architecti,ſua cuiq; munera partitur, rebuſq; omnibus,quæ ad rectum totius ciuitatis ſtatum quaſi extruendum attinent, certam rationem, ac certum modum pręſcribit: Hæc uirtutes omnes commonſtrat; Hæc ciuium mores componit & moderatur: Hæc denique prouidet omnia, nihilq;,quod ad ciuium omnium fœlicitatem pertineat, à ſe alienum eſſe arbitratur. Atqui certè ipſam quoque iuriſprudentiam (ſi aut Iuſtiniani leges, aut alias quaſcunque diligenter euoluamus) hoc planè idem & profiteri,& præſtare comperiemus. Quo fit, ut nulla ex re alia à Politica facul-
3 tate iuriſprudentiã diſtinguere poſſimus,niſi quia iuriſprudentia præter hæc omnia certarum inſuper aliquarum legum cognitionem ſemper profitetur, quod nec Politico, nec morali Philoſopho eſt neceſſarium. Itaque licet non omnes morales ſint politici, neque omnes politici iuriſconſulti, iuriſconſultum tamen eundem & politicum, & moralem eſſe oportere exiſtimamus. Quod diximus non omnes morales politicos eſſe,apertiſſimum eſt,cum ſæpe eueniat,ut qui uirtutibus omnibus inſtructus eſt, ignoret tamen qua ratione illas ad communem conferat utilitatem, id quod politico eſt neceſſarium: Nec minus etiam apertum illud eſt,quod diximus non omnes politicos eſſe iuriſconſultos; etenim ſi quis uel perfectam uirtutum omnium cognitionem adeptus ſit,

ſit, ac planè etiam norit, qua ratione illas ad communem utilitatem accommodet, is tamen niſi uel Solonis,puta, uel Lycurgi, uel Iuſtiniani leges, aut alias quaſcunque teneat,quas uel ipſe,uel alius quiſpiam condiderit,recteq; ualeat illas interpretari, non uerè,ac propriè,ipſoq; actu iuriſconſultus,iudicio meo,dici poterit. Contra uerò cum iuriſconſultum aliquem proponis, qui uel Iuſtiniani, uel alias quaſcunque leges, quibus 4
publicę fœlicitatis ratio inſtituatur, iam probè teneat, recteq; illas interpretari, extendere, coarctare, atque ubi uſus eueniat, ea quæ à legislatore fortè prætermiſſa ſint, ſupplere ualeat, idem hic proculdubiò cognoſcet, quo pacto uirtutum uſus ad publicam utilitatem conferatur; atqui idipſum cognoſcere non poſſet, niſi uirtutes quoque per ſe ipſas,prout cuiuſque animum inſtituunt, & exornant, planè teneret: Quare cum hoc moralis facultas præſtet, illud uerò politica, propterea fateri debes, eum quem das iuriſconſultum eſſe, & moralē pariter, & politicum eſſe oportere. At hîc multos forè uideo, qui non tantùm addubitent, ſed hoc planè falſum eſſe contendant, ſiquidem falſum & illud uidetur, quod ſupra affirmauimus, & à quo uno pendent hæc omnia, nimirum leges ciuiles iuſto naturali planè conuenire; Ex quo fit, ut quamuis ea omnia, quæ rationi, atque honeſtati quoquomodo conueniunt, ad legem naturalem ſpectent, non propterea tamen ad leges humanas pertinere uideantur. Quod uerò 5
leges ciuiles,& humanæ nullis certis naturæ fundamentis ſubnixæ ſint, ſed ab hominū potius opinione pendeant, eodem modo demonſtrari poſſe uidetur, quo Thraſymachus,Protagoras, Ariſto, aliiq; nonnulli demonſtrare conati ſunt nec naturæ ius ullum extare.Siquidem quæ natura ipſa conſiſtunt,ubiq; locorū eadē eſſe cernuntur,eadēq; ab oībus iudicantur; Neque enim ulli populi ſunt (ut in Minoe inquit Plato) apud quos non ea quæ uehemētius trahunt, grauiora, contraria uerò leuiora habeantur. Non magis apud Græcos, quàm apud Indos ignis urit, neque minus nobis,quàm Hyſpanis bene olentiū odor ſuauis, aut Symphoniæ iucundus auditus. At de legibus nequaquàm 6
hoc affirmari poteſt,cum illæ uariis in locis non modò uariæ,ſed & planè cōtrariæ ſint, fiatq; ſæpenumero, ut quæ ab aliis penitus improbantur,ab aliis tanquam iuſtiſſima, & honeſtiſſima recipiantur. Quid eſt quod noſtris legibus tantoperè improbetur, quàm poſſe cum conſanguineis, uel affinibus conſiſtere matrimonium? Et tamen legimus Perſas, Medos,& Parthos id maximè ſolemne,ac iuſtū connubium habuiſſe,quod cum maximè coniunctis,matribus,ſororibus,aliiſque conſanguineis eſſet contractum. Legimus etiam Arabas vnam omnibus conſanguineis uxorem eſſe voluiſſe, eoſq; ſolos,qui inde nati eſſent,legitimos duxiſſe, cæteros adulterinos exiſtimaſſe.Apud Scythas ſcribit Iuſtinus nullum delictum furto grauius fuiſſe, qualeſcunque illæ res fuiſſent furto ſubtractæ; Et tamen Lacedęmoniis eduliorum furta permittebantur. Leges ubique ſeditioſos homines deteſtantur,& tamē lege Solonis tenebatur, qui in ſeditione populari neutrarum partium extitiſſet, ita ut ſeditionibus quaſi aſſenſum præſtare cogeretur. Addamus & illud,quod ali filios; & educari hæ,quibus nunc vtimur,Romanæ leges in primis pręcipiūt,at veteribus Romanorum legibus filii poſt triennium exponi,& quocunque etiam tempore impuni occidi potuerunt. Nec diſſimile fuit Carthaginenſium inſtitutū,qui filios proprios in Deorum ſacrificiis tanquam uictimas iugulare non modò licitum, ſed pium, & ſanctum eſſe iudicarunt: Hæc & alia eiuſmodi exempla, quæ poſſent afferri,eam ſententiam ſuadere uidentur,in ſolo legislatorum arbitrio leges humanas poſitas eſſe, & ab ipſis uariè pro ſingulorum libidine excogitari, atque confingi



Digitized by Google

ſingi ſolere. Qua de re illud à ueritate non prorſus alenum uidetur, quod ex ip-
ſius Thraſymachi ſententia Plato refert, nimirum ius nihil aliud eſſe, quàm quod
utile eſt ei, qui plus poteſt. Præſcribunt enim (aiebat) legibus ſuis Principes,
quod ſibi commodum putant, atque id, quia lege ſancitum eſt, ius habetur;
Quandoquidem ut paſtores non gregis, ſed ſuæ, dominorumq; utilitati proſpiciunt,
ſic omnes qui rerum potiuntur Principes ſibi tantùm, ſuisq; commoditatibus, inſerui
un t quæ quoniam variari poſſunt propterea ipſas quoque leges uariari ſępe contingit:
Id quodoptimè etiam Claudij Romani Imperatoris exemplum demonſtrat,qui( ut eſt
pud Suetonium) Agrippinę Germanici fratris ſui filiæ illecebris in amorem pelle-
ctus ueniam prius talium coniugiorum paſſim omnibus dedit, quę ante id tem-
7 pus inceſta habebantur, ac deinde uix uno interpoſito die cum illa ipſa nuptias
contraxit. Quod ſi naturæ fundamentis leges ciuiles niterentur, ac legi naturali
conuenirent, non certè tàm uarijs, imò & planè contrarijs legibus homines ute-
rentur; quemadmodum uidemus non uariari legem naturalem. §. ſed naturalia
inſt. de iur. natur. gent. & ciuili. Religio legis naturalis eſt, ideò nulla gens tàm
fera (ut in Tuſculanis inquit Tullius) nec tam immanſueta, quę etiam ſi ignoret
qualem Deum haberi deceat, tamen non & habendum, & colendum ſciat. Nul-
la gens eſt, quę patriæ, ac parentibus pietatem deberi neget, & quę non fidem
ſeruandam,& ijs, qui de nobis benemeriti ſunt, gratiam referendam eſſe fateatur. Ex
hoc etiam tolli uidetur, quod diximus eadem planè iuriſconſultis, quæ & philo-
ſophis eſſe profitenda, Quàm multos enim uidemus iuriſconſultos, qui hæc quæ
8 de moribus, ac de ratione uitę à Philoſophis traduntur, nunquàm didicerunt, ac
ne tractari quidem ſolere unquàm audierunt? & tamen ſatis aſſequuti eſſe exiſti-
mantur, ſi tanquàm illius tantùm iuſtitię cuſtodes, quæ ius ſuum unicuique tri-
buit ex Iuſtiniani legibus didicerint, qua ratione fori, ac iudiciorum controuer-
ſias dirimere poſſint. Atque hoc ſolo uidetur eſſe contentus Iuſtinianus, qui in
principio tituli inſt. de iuſt. & iu. illam tantum iuſtitiam nobis proponit, quæ
ius ſuum cuique tribuit, quod idem facit Vlp. in l. iuſtitia. ff. de iuſt. & iur. Quo
circa uidentur ſentire hac una iuſtitia excepta cæteras uirtutes iuriſconſultis non eſ-
ſe neceſſariò cognoſcendas. Hæc potiſſimum ſunt, quę paſſim contra iuriſcon-
ſultos afferri ſolent, quæ licet primo aſpectu coloris aliquid habere uideantur, fa-
cili tamen negocio dilui poſſunt. Verè enim negari non poteſt (quod & ſentit
Ariſtoteles lib. 5. Ethic. cap. 1.) quin legum conditores id pręſertim agant, uel
9 ſaltem profiteantur, vt quas condunt leges honeſtati ac rationi naturali quam
maximè conſentiant. Quodipſum noſtri Imperatores, ac iuriſconſulti multis in
10 locis oſtendunt, dum ab ipſa natura uariarum legum rationes deſumunt, ut in
l. cum ratio. ff. de bonis damnat. l. ſcripto. ff. unde liberi. l. nam hoc natu-
ra. ff. de condit. indeb. l. iure naturę. ff. de reg. iur. l. maximum uitium. C.
de lib. præter. §. ulti. iuſt. de Attilian. tut. Nec cuiquàm obſcurum eſt
prætores in ſuis edictis id maximè operam dediſſe, ut naturalem ratio-
nem, & æquitatem tuerentur. l. j. ff. de pact. l. j. ff. de conſt. pec. &
alibi ſæpiſſimè. Quomodo autem hoc facere & prætores, & iuriſcon-
ſulti, & Imperatores potuiſſent, ſi quid ratio ſingulis in rebus ſequen-



Digitized by Google

dum, aut ſugiendum præſcriberet, ignoraſſent, aut uirtutes alias præter iuſtitiam à ſe alienas eſſe duxiſſent? Ad illud uerò quod de tot uarijs, & planè monſtruoſis legibus adducebatur, reſpondet Plato in Minoe, non propterea tolli, quin ſingulis factorum ſpeciebus, quæ humanis legibus comprehenduntur, 11
uerum illud iuſtum, & honeſtum ſemper reperiatur, quod legi naturali conſentaneum ſit, & nullorum opinione mutari poſſit: quandoquidem uidemus etiam Medicos ſæpè uariare, neque omnibus hominibus, aut in quacunque paſſim ægritudine, ſeu qualibet anni regione eadem præbere medicamenta. Videmus agricolam non cuilibet ſolo eadem ſemina, eademve ratione committere. Videmus denique coquum in condendis obſonijs non eandem ſemper normam tenere. Nec tamen propterea quiſquàm affirmauerit iſtorum omnium regulas ab opinione potius pendere, quàm natura ipſa, & certa ratione conſtare. Quarum rerum exemplo rectè concludemus leges quoque ipſas pro temporum uarietate uariari poſſe, idque non modo abſonum non eſſe, ſed rationi maximè conuenire, ut docet Romanus Pontifex in c. non debet extra de conſang. & affinit. cum imò ſępe pro cauſis, & perſonis uariè ſtatuendum ſit, ut inquit Scęuola in l. ulti. ſupra tit. proxi. Verùm ſi facti ſpeciem aliquam proponamus, certis quaſi cancellis reſtrictam, & coanguſtatam, ita ut nullo locorum, uel perſonarum, aut temporum diſcrimine uariari poſſit, in ea ſemper iuſtum natura ſua conſtans, & ſtabile reperiri neceſſe eſt, quod & Scythæ, & Ægyptij, & quicunque alij, qui modò rectè iudicent, iuſtum eſſe fateantur, quodq; non falſa cuiusq; ęſtimatione immutari ualeat. Eſt quidem hoc per ſe ueriſſimum, quod tradit Plato, & ijs quæ ipſe ibi docet maximè conuenit, ſed non prorſus illud diluit, quod nobis obijciebatur. Etenim quęnam locorum, aut temporum tanta diuerſitas efficere potuit, ut apud Agathyrſos potius, quàm apud alios communes uxores habere permiſſum fuerit, ut apud Maſſagetas, uel ſi proprias ſinguli haberent uxores, impunè tamen vnuſquiſque alienis abuti potuerit, ut apud perſas qui cum matribus rem habere rectum, & honeſtum iudicabant, ſpuere tamen quod per ſe honeſtiſſimum & eſt, & ab omnibus habetur, indecorum & turpe fuerit iudicatum, ut denique furari apud Lacedæmonas, apud Athenienſes ſeditionibus intereſſe, apud Romanos, & Carthagi- nenſes proprios natos exponere, itemq; immolare tanquàm iuſtum recipi, atque approbari debuerit? Alia igitur inſuper huius rei ratio aſſignanda eſt, quam ab ipſo Platone ibidem docemur, vt dicamus uel ſi in ſingulis factorum ſpeciebus iu- 12
ſtum illud, & ęquabile ſemper inſit, quod natura firmum, conſtans, & inconcuſſum eſt, ita tamen fieri interdum, ut legislatores non illud aſſequantur: Eiusq; rei cauſam eſſe uel ingenij leuitatem (qua ratione etiam Medici qui parum ingenio, aut doctrina ualent à ueris medendi regulis ſæpenumero aberrant) uel etiam ua- 13
rias animi affectiones, quæ rectam iudicandi rationem quammaximè impediunt. Verùm id ingenij culpa frequentius euenire credibile eſt, quandoquidem non omnes homines ea ingenij acie, & ſagacitate ſunt, ut omnibus in rebus ueritatis ſcopum attingere ualeant. Quo fit ut eadem de re uariæ ſæpenumero ſententiæ ſint, non ſecus atque ea quę noſtris ſenſibus ſubijciuntur, quanuis eadem per ſe ſint, uariæ tamen ab alijs, atque alijs iudicantur, Cum in hominibus alij

Digitized by Google

alij ſint, qui clarius cernunt, qui ſagacius odorantur, alij uerò in quibus, & ho-
rum, & aliorum ſenſuum iudicium facilè decipitur, quod in ijs pręſertim eue-
nit, qui alicuius rei planè imperiti ſunt. Quare ut in cantu, & picturis multa of-
fendunt doctos, quę fugiunt imperitos, ſic qui plus doctrina poſſunt, rectius
omnia iudicant, qui uerò ea deſtituuntur, maximos in errores ſępe incidunt. At
non rarò illud etiam accidit, ut mens humana (quemadmodum dicebamus) ira, aut
odio, alijſuè animi cupiditatibus obſeſſa ob eam quaſi ægritudinem uerum à falſo in-
ternoſcere non poſſit, ut ille qui febri laborat, ciborum nec uarietatem diſtingue
re, nec ſuauitatem deguſtare poteſt. Non eſt ergo ꝙ leges illas tàm uarias, ac tàm pro
pemodum monſtruoſas miremur, quas paulò ante commemorauimus. Faciebant
enim hęc, quæ proximè diximus, impedimenta, ut quemadmodum nos remum in
aqua inflexum iudicamus, ſic nonnulli interdum populi, & reges quæ recta erant,
& honeſta, tanquàm torta, & inflexa reijcerent, quæ uerò omni aduerſabantur iu-
ſtitiæ, & honeſtati, ea ut iuſtiſſima, & honeſtiſſima haud grauatè legibus ſuis am-
plecterentur: In eiuſmodi tantùm legibus illud ualeat, quod dicitur in l. proſpexit.
ff. qui, & à quib. durum eſt, ſed ita lex ſcripta eſt: Valeatq; in his præſertim quod
Iulianus affirmare non dubitauit, non omnium quæ à maioribus inſtituta ſunt ra-
tionem reddi poſſe. l. non omnium. ff. de legib. Quanquàm fateor in Iuſtiniani
14 quoque legibus nonnulla reperiri ex nimio iuriſconſultorum artificio, ne dicam ſu-
perſtitione introducta, in quibus rationem aliquam naturali legi conſentaneam in-
uenire non admodum facilè eſt, ut eſt illud quod quis pro parte teſtatus, ac pro
parte inteſtatus decedere non poſſit. l. ius noſtrum. ff. de reg. iur. tametſi huic re-
gulæ omnia inniti uidentur, quæ de iure accreſcendi conſtituta ſunt. l. ſi duobus.
ff. de milit. teſtament. & §. non autem. inſt. de hęred. inſtituen. Vt eſt etiam quod
paganus duo teſtamenta relinquere non poſſit, quæ ambo firma, ac ualida ſint. l.
quærebatur. ff. de milit. teſtam. §. poſteriore inſt. quibus modis teſtam. infirm. Quæ
quidem traditiones uel ſi naturæ non reclamant, non tamen ſat commodè uiden-
tur ab ipſius naturę fontibus poſſe detiuari. At in legum ciuilium interpretatione
non temerè ad hoc præſidiũ confugiendũ eſt, Imò enim in eo præſertim nobis eſt ela-
borandum, ut quæcunque ſiue Imperatoris conſtitutio, ſiue iuriſconſulti ſententia,
ſiue alia quælibet legis deciſio proponatur, eius ſemper rationem aliquam naturali
iuſto conſentaneam aſſignemus, cũ minimè dubitandũ ſit, quin ij qui legũ inſtituen-
darum munus ſuſcipiunt, ſtudioſè ſemper naturale iuſtum inquirant, aut ſaltem id
ſe facere ante omnia profiteantur. Atque id cauſæ fuit, cur dixerit Ariſtoteles om-
15 nia legitima quodammodo iuſta eſſe, ideòq; in ſola legum obſeruatione iuſtitiæ
uniuerſalis totum munus expleri, quemadmodum & ſupra retulimus. Hinc rectè
defenduntur, quę de iuriſprudentiæ nobilitate, ac præſtantia ſuperius diximus.
Nam ſi iuriſconſulti munus eſt, ut leges ciuiles quibus totius Reipubl. gubernan-
dæ ratio continetur, uarijs euentibus ita accommodet, ut ſemper illas ad natu-
ralem rationem, & honeſtatem referat: quiſnam quęſo hoc tantum audeat profi-
teri, qui ſibi prius in animum induxerit, ea quæ de moribus, ac de Rerumpubl. ad
miniſtrandarum ratione à philoſophis præcipiuntur, nihil penitus ad ſe pertine-
re? At multi (inquies) paſſim reperiuntur, qui omnia hæc ignorant, & iuriſcon-
ſulti tamen ſunt; Eos ego iuriſconſultos eſſe non inficiabor, cum pręſertim ui-

deamus Ariſtotelē non illis tantùm,qui rectè cythara modulantur, ſed etiam illis qui ſo no quantumuis inſuaui auribus noſtris odioſè obſtrepunt, cytharedi tamen nomen tribuere. Atqui certè,quoniam non me latet complures & noſtra ætate eſſe, & ſuperioribus ætatibus extitiſſe à philoſophię ſtudijs alieniſſimos homines, qui tamen in hoc iuriſprudentię ſtudio plurimum profecerunt, ueramque,& ſolidam eruditionis laudem ſibi pepererunt, nunquàm ego conceſſero ea ipſos ignoraſſe, quæ ex Politica, Moralique Philoſohia diximus eſſe à iuriſconſultis depromenda; ſed ſunt, qui natura pluri- 16
mum ualent, & quantum cęteri,qui minus ingenio poſſunt,doctrina,atque eruditione aſſequi ſolent,tantundē ipſi ſolo naturæ habitu aſſequuntur,Quapropter vel ſi Ariſtotelis libros nunquàm legerint, eadem tamen,quæ docet Ariſtoteles, interrogati ſæpè reſpondebunt, eaſdemq; planè rationes, atq; interdum etiam meliores fortaſſe aſſignabunt. Quod non tantùm in iuriſconſultis, ſed in rudibus planè, ac ruſticis hominibus cernitur, qui ſolo naturæ præſidio adiuti & philoſophantur, & ſyllogizant,& eadem illa quæ rethores tradunt, pręcepta dicendi ſępiſſimè ſeruant. Nec mirum, cum ex ipſius naturæ fontibus hæc omnia profluxerint, ſi plus in ijs natura ſine doctrina quàm ſine doctrina ualeat natura, Quanquā inficiari non poſſumus, quin cum ad naturam eximiam acceſſerit doctrinæ confirmatio, multò clarius, & illuſtrius hæc naturæ munera appareant. Quocirca quoties mihi aliquem proponis, qui quod iuriſconſultimunus eſt, rectè obeat, atque in legum interpretatione ea ſemper reſpondeat, & decernat, quæ rationi, & honeſtati conſentanea ſint, dum id faciet,ego illum dixero ſi minus ex diſciplina ulla, at ſaltem ex ſolo naturę habitu probè tenere non tantùm quę iuſtum, ſed etiam quæ fortem, ac temperantem deceant, atque alia planè omnia,quæ ad totius ciuitatis ſtatum,rectamq; Reipubl. adminiſtrandæ rationem pertineant. Nec ſecus certè Iuſtinianus ſentit,dum in prooemio inſt.§. ult. Reip. adminiſtrationem iu- 17
riſconſultis pollicetur. Sentit etiam hoc idem Vlp. in l.1.ff. de iuſt.& iur.ubi talem uult eſſe iuriſconſultum, qui æquum ab iniquo, licitum ab illicito diſcernere poſſit, quod certè is non præſtabit, qui non uirtutes omnes planè cognouerit, cum etiam ea quę cęteris uirtutibus præter iuſtitiam aduerſantur,iniqua ſint, & per leges minimè liceàt.
« Inquit ergo Vlp. Iuſtitiam nanque colimus, & ęqui, & boni notitiam profitemur,
« æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab iniquo diſcernentes, bonos non ſolum me-
« tu pœnarum,uerum etiam pręmiorum quoque exhortatione afficere cupiētes,ueram,
« ni fallor,Philoſophiam,non ſimulatam adfectantes. Ac denique idipſum non obſcu
rè nobis inſinuant & Vlpianus,& Iuſtinianus dum deſcribunt iuriſprudentiam;ſiquidē 18
habenas planè laxant, rerumq; omnium tàm diuinarum quàm humanarum notitiam complectuntur.l.iuſtitia.ff.de iuſt.& iur. & inſt. de iuſt. & iure in princ. Durum tamen uidetur,quòd ibidem iuſtitiam illam tantùm definiunt,ac iuriſcōſulto conſiderandam proponunt, quę ius ſuum unicuiq; tribuit, quaſi apertè ſentire uideantur,cæteras uirtu- 19
tes nihil ad iuriſconſultū pertinere. At non propterea id ſentire exiſtimandi ſunt, neq; enim illud tantùm iuris pręceptum proponunt,ius ſuum cuique tribuere, ſed addunt alia duo, nimirum honeſtè uiuere, & neminem lędere, cum tamen is, qui inhoneſtè uiuit, aut aliquem lædit,non ſemper huic ipſi iuſtitiæ aduerſetur, quam præcipuo nomine iuſtitiam uocamus, veluti ſi quis nulla lucri ſpe, ſed fœdiſſimo libidinis impetu alienas nuptias adulterio polluerit, quod & ſupra ex Ariſtotelis ſententia à nobis traditum eſt. Eam ob rem ipſe eò feror coniectura ut putem Alciati ſententiam non prorſus

ſus

Digitized by Google

ſus à ueritate alienam eſſe, qui lib. 1. Parerg. cap. 31. exiſtimauit his uerbis Vlpia.& Iuſtinianum iuſtitiam uniuerſalem definire uoluiſſe;ait enim hanc diffinitionem cum ea planè ſenſu conuenire,quam tradunt peripatetici,dum inquiunt,iuſtitiam eſſe habitum electionis compotem, in ijs circa quę uir bonus utilitatis,legumq; ſeruandarum cauſa uerſatur,quam diffinitionem iuſtitiæ uniuerſalis potius,quàm particularis eſſe minimè
20 ambigendum eſt. Nec uerò illa uerba,ius ſuum unicuique tribuens,à iuſtitia uniuerſali prorſus abhorrent,quę quanuis omnes complectatur uirtutes,non tñ per ſe illas conſiderat,ſed tantùm quatenus alteū reſpiciunt. Virtutes uerò omnes quatenus alteū reſpiciāt ius ſuū cuiq; tribuere dici poſſunt. Quare ſi miles locū deſerat,quanuis ea in re nō iniuſtū, ſed potius timidū ſe præbeat, nequaq̃ tñ is principi, ac patrię id quod debebat pręſtitiſſe exiſtimādus eſt. Quāquàm etiā uerè dicere poſſumus Vlp.& Tribunianū hęc iuſtitię particularis,& uniuerſalis diſcrimina ibi parū diſtinctè,atq; accuratè cōſideraſſe. Vtcunq; uerò ſit,uidentur mihi hęc poſtrema eius definitionis uerba plus habere diffi-
21 cultatis quàm illa prima,cum dicit Vlp.iuſtitiam eſſe conſtantem,ac perpetuam uoluntatem; in quorum uerborum explicatione maximas turbas plerique excitant, & fruſtra quidem,iudicio meo, Cum omnibus perſpicuum eſſe poſſit,uoluiſſe Vlp.illis uerbis habitum ſignificare,quem conſtat de omnibus uirtutibus tanquàm genus prędicari,Quē Ariſtoteles nulla in re alia à diſpoſitione ſeiungit,niſi quia conſtantius hęret, neq; ita facilè ex animis noſtris deleri poteſt, quare quod conſtantem uoluntatem dixit, hoc mi-
22 rificè cōuenit. Cōuenit etiā quod dixit, perpetuam,nā hæc dictio, ſiquidem per ſe uſurpetur,habet uarias ſignificationes,Vt cum Ouidius perpetuum carmen dicit,hoc eſt habens connexum, & communem orationis filium, inquit enim. Ad mea perpetuū deducite tempora carmen. In qua ſignificatione hoc uerbum uſurpauit etiā Paulus cū lacum continuum dixit perpetuum l. uia.§.j.ff. de ſeruit. ruſtic. præd. dicunt etiam iuriſconſulti perpetuum pronunciatum,hoc eſt generale l. cum hęreditas .ff. ad Se. Trebell.Sed cum hęc uerba ſimul iungimus,dicimuſq; conſtantem,ac perpetuam uoluntatem, nihil aliud ſignificamus, quam uoluntatem minimè lubricam, & ancipitem, ſed
23 iam planè habitu obfirmatam,ſic enim & Tullius accipit,cum perpetuam & conſtantē in rempub. uoluntatem ſępe dicit. Atque hæc à nobis quaſi prætereuntibus dicta ſint: nam ſatis nobis erat oſtendiſſe poſtrema huius diffinitionis uerba ijs nō aduerſari, quę de legum humanarum fine, de iuriſconſultorum inſtituto,ac de iuriſprudentiæ nobilitate ſuperius affirmauimus.

## ARGVM.

QVomodo noſtri tempora diſtinguant, dum ſocietatis humanæ ortum,incrementa, ac progreſſiones referunt,& quid de manu Regia,quam ſecundo tempori tribuunt, frequentius concludant.

1 Primo ſeculo, quæ hominum conditio,ac qui rerum ſtatus fuiſſe credatur.
2 Vbi in hominibus & uitæ innocentiam dares, & bonorum omnium communionem, ibi leges humanæ non eſſent neceſſariæ.
3 Manus Regia an ſtatim initio generis humani eſſe cœperit.
4 Caroli Ruini hac de re opinio.
5 Non res planè omnes, ſed immobiles tantùm primo ſeculo fuiſſe communes putant Caſtrenſ. & Iaſ.

Contra

Digitized by Google

6 Contraria aliorum ſententia.

7 Non rectè infertur,ut quarum rerum uſus olim erat,earundem dominium,uel poſſeſſio eſſet.

8 Poteſt depoſiti fides conſiderari etiã ubi poſſeſſiones, & dominia non fuerint diſtincta.

9 Quando uerum fuerit,quod dicitur ex occupatione rerum dominia acquiri olim conſueuiſſe.

10 Secunda ætas, cum primùm ad ſcelera cœperunt mortales declinare.

11 Qua de cauſa dicãtur conueniſſe in unũ, qui diſperſi antea ſyluis uagabantur.

12 Quæ fuerint hac ſecunda ætate ab hominibus inuenta.

13 Reges creati, & quales, & quæ illis poteſtas fuerit tradita.

14 Quid importent clauſulæ illæ cõmiſſionibus adiectæ,procedas manu regia, uel procedas ſine ſtrepitu, & figura iudicij.

15 Tertia ætate cõditæ leges, & qua ratione.

16 Manus regiæ ueſtigia ſecundum doct.etiã hodiè nonnullis in rebus apparent.

17 Putant Butr. & alij nonnulli officio iudicis compellendum eum qui pacto nudo aliquid promiſit.

## CAP. X.

EXplicuimus hucuſq; ea omnia, quę legum eſſentiam propius attingere uiſa ſunt, quomodo leges humanę ex lege naturali prodeant: quibus de cauſis fuerint neceſſarię; & quem potiſſimum ſibi finem proponant. Nunc autem operæpretiũ facturi uidemur, ſi quę prima illarum ortus tempora fuerint,perquiramus(id quod & Bald. Nouellus, & Soci. & plerique alij hoc in loco faciunt) ita enim rectiſſimè quę ad hanc rem ſpectant omnia intelligemus,ſi poſteaquàm legum cauſas, & finem cognouimus, totius etiã ciuilis diſciplinæ prima quaſi incunabula, tum & progreſſum,& incrementa nobis ante oculos propoſuerimus. Perquiremus ergo num principio generis humani,uel ſaltem quo tempore primum homines in unum locum congregari cœperũt certæ etiã aliquę leges eſſe cœperint, an uerò fuerit aliqñ tẽpus,cùm nullis legibus adhuc conſtitutis à ſolis Regibus omnia penderent:Vnde illam manum regiam extitiſſe tradunt, quam noſtri interpretes cùm multis alijs in locis uſurpant, tùm præſertim in Rub. de uerb. oblig. ubi uarias de hac manu Regia excitant quęſtiones. Quanquam nos in præſentia has quæſtiones non diſputabimus, ſed illud tantùm explicabimus anne fuiſſe, & qualem fuiſſe manum Regiam exiſtimandum ſit; Quod uerò fuſè in prædicta Rub. à multis tractatur, pro quibus obligationibus manus Regia præſtaretur, id nos ad ſuum locum reſeruabimus. Noſtri interpretes communiori conſenſu hanc rem totam, quæ ad legum,humanęq; ſocietatis ortum, & progreſſum attinet, ita fermè explicant, ut dicant ante illud tempus quo leges ciuiles conditæ fuerunt, alia duo tempora conſiderari debere. Primum ſtatuunt fuiſſe cum mortales nulla adhuc mala li- 1
bidine ſine probro, & ſcelere uitam degebant, & quæ rationi,atque honeſtati conſentanea eſſent,ſponte concupiebant. Hoc ipſo tempore (ut fertur) ciuilis diſciplinæ,& artium omnium expertes fuſi per agros,diſperſiq; homines uagabantur,Nihil proprium quiſquam poſſidebat, quandoquidem & uxores, & liberi, & omnia planè illa, quę fortunæ bona appellamus,non ſecus atque aer, imbres,& maria erant cõmunia, paſſimq; omnibus latiſſimè patebant. Nemo nuptias uiderat legitimas,non certos quiſquam inſpexerat liberos; incerti erant parẽtes,incertę cognationes, & affinitates: poteratq; ſemper unuſquiſque ſuſpicari hunc, & illum,quicunque ſibi obuius fieret,pro cuiuſq; ætate uel patrem ſibi, uel filium,uel fratrem eſſe,aliouè aliquo neceſſitudinis arctiſsimo uin-



Digitized by Google

culo coniunctum. Quare qui ſenes erant, iuniores omnes tanquam filios charos habebant, contraque illos tanquam parentes iuniores colebant, æquales omnes quaſi fratres habebantur; ita fiebat, ut mutua ubique pietas, charitas, ac beneuolentia omnium
2 inter ſe animos firmiſſimo uinculo deuinciret. Faciebat uerò illorum hominum probitas, uitęq; innocentia, tùm & bonorum omnium communio, ut non ullis humanis legibus indigerent, Etenim quę tum legum partes eſſe poterant? An ne crimina uendicarent? At primi illi (ut diximus) contra iuſtum nihil cupiebant, tantum abeſt, ut ullis ſe flagitijs inquinarent: An ne pręciperent quid ſequendum, aut fugiendun eſſet? At illi iuſta, & honeſta ſponte appetebant. An ne denique controuerſias dirimerent, aut certis regulis ea inſtituerent, quæ ad perſonarum iura, ad nuptias, ad contractus, ad ultimas uoluntates, ad actionum, iudiciorumq; formulas pertinerent? At nihil horum neceſſarium erat, quia cum bona eſſent communia, nondū ulli contractus, vllæue permutationes fiebant; Propter promiſcuos etiam concubitus nulla adhuc legitimorum, uel illegitimorum erat diſtinctio, ſed eadem omnes natalium iura obtinebant. §. licet autent. quibus mod. natur. effic. ſui. Quemadmodum etiam omnes una, & eadem fruebantur libertate l. manumiſſiones. ff. de iuſt. & iu. Eam ob rem ergo ſicuti legibus nullis indigebant, ita neque opus erat, ut magiſtratibus ullis, aut Regibus ſubijcerentur. Qua ex re cō
3 cluditur ea, quæ de manu Regia traduntur, ad hoc primum tempus minimè pertinere, quia quanuis tunc quoque extarent prima illa naturæ pręcepta, quæ ope manus Regię poſtea ſeruari cœperunt, tamen ſponte (ut dictum eſt) tunc temporis ſeruabantur. His de cauſis Bald. Nouellus, & plerique alij hanc primam ętatem auream appellant, neque id putant à ueritate abhorrere quod de aurea illa, ac fœliciſſima Saturni ętate Poetę inter fabulas complexi ſunt, de qua ſic Ouid.

Aurea primo ſata eſt ætas, quæ uindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem, rectumq; colebat
Pœna, metuſq; aberant, nec uincla minacia collo
Ære ligabantur, nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui, ſed erant ſine iudice tuti. Et paulo poſt.
Nondum pręcipites cingebant oppida foſſę
Non tuba directi, non ęris cornua flexi
Non galeæ, non enſis, erat, ſine milites uſu
Mollia ſecuræ peragebant ocia gentes.

Sunt qui hìc dubitent, an uerum hoc ſit quod proximè affirmauimus, manum
4 Regiam ad hoc primum tempus non pertinere, ſiquidem Carolus Ruinus uidetur ſentire tunc quoque manum Regiam ſi minus nomine, at re ipſa tamen, & effectu extitiſſe: Idq; hac ratione, quia manus Regiæ is effectus, eaque uis uidetur eſſe, ut propria authoritate aliquid exequamur, ita ſentit Bart. in l. frater à fratre col. 5. ff. de condict. indeb. dum putat hodiè quoque manus Regię ueſtigia in eo apparere, quòd à filio pater, atque à ſeruo dominus propria authoritate res ferè omnes auferre poſſunt, Quod cum ita ſit, uidetur concludi poſſe prima quoque illa ætate manū Regiam fuiſſe, quia cum magiſtratus tunc non adeſſent, unicuique permiſſum eſſe debuerat propria authoritate, quod ſibi debebatur occupare ar. l. ſi alius. §. belliſſime. ff. quod ui, aut clam. & declarat Alex. in l. 1. §. nunciatio. ff. de no. op. nunciat. Quod quidem facere nihil aliud eſſe noſtri ſentiunt, quàm manum Regiam exercere, ut proximè dictū

fuit

Digitized by Google

ſuit, Id ipſum tamen Ruinus ita demum concludi poſſe ait, ſi admittamus manum regiam ea de cauſa inductam fuiſſe (ut quidam ſentiebant) quia magiſtratus tunc temporis deeſſent, quod tamen ipſe minimè concedit. Vtcũq; uerò res ſeſe habeat, certè huic Ruini traditioni illud aduerſatur, quod de primorũ illorum hominum probitate nuper tradidimus. Pugnant enim hæc duo, quòd tum ſponte mortales iuſtitiam, & honeſtatem colerent, & quòd ſeſe inuicem ita offenderent, ut qui offenſus erat propria authoritate ſibi ius dicere cogeretur. Itaque pendet huius rei explicatio ab ijs, quę infra ſumus dicturi, cum horum omnium ueritatem expendemus, quę tum de aurea ętate, tum etiam de manu regia traduntur. De eo etiam hìc dubitari ſolet, num quod dictum fuit, primo hoc tempore res omnibus communes fuiſſe, id ita generatim atque uniuerſè in omnibus planè rebus recipiendum ſit, an uerò in rebus tantum immobilibus. 5
Caſtrenſis in l. 1. §. ius naturale, & in l. ex hoc iure nu. 6. ff. de iuſt. & iur. cui uidetur ſe ſubſcribere Iaſ. in l. ſi id quod. in ultimis uerbis. ff. de condict. indeb. exiſtimat ſolas res immobiles fuiſſe communes; Idq; probat ex c. ius naturale j. diſtinct. dum Gratianus ibi naturali iuri communem rerum omnium poſſeſſionem tribuit: poſſeſſionem uerò rerum immobilium tantum eſſe Caſtrenſis admittit ( qua de re pleniſſimè non diximus in l. j. ff. de acquir. poſſ.) Non deſunt tamen qui contra ſentiant, & rerum planè omnium non tantum immobilium, ſed & mobilium communionem fuiſſe affirment, 6
ut Marcellus Berengutius in Rub. ff. de ver. oblig. ea uſus ratione, quia aurea ętate (ut ipſe inquit) id maximè decuit, ut omnia cõmunicarentur, cum Deus opt. max. terram, & mare, & cœlũ ipſum, ſolemq; & ſtellas, & quæcunque hac mundi machina continentur communi tum gaudio poſſidenda tradidiſſet, ut c. j. viij. diſtinct. Quare ſi leporem, puta, uel piſcem cœpiſſes, ſic rationem dictaſſe putat, ut non tanq̃ proprium haberes, ſed in commune conferres. Quodipſum tamen reijciendum eſt, quia ſi natura rerum omnium communionem ita dictaſſet, ut propterea qui piſcem fortè cœpiſſet, uel leporem, non niſi reclamante natura proprium illum habere potuiſſet, non potuiſſent deinde poſterioribus ætatibus rerum dominia ab hominibus diſtingui, cum quę naturalia ſunt ab hominibus minimè tolli, aut mutari poſſint. §. ſed naturalia quidem. inſt. de iur. nat. gent. & ciu., niſi uerò illud etiam affirmare non dubitamus, non eandem quæ nunc ſit, olim naturam fuiſſe. Nec ſanè quicquam iuuatur hęc ſententia ex illo c. 1. 8. diſtinct. nam ibi D. Auguſt. cuius uerba à Gratiano referuntur, non de iure naturali, ſed de diuino loquitur, quod diuinis ſcripturis continetur; quæ uerò in fine illius capitis de iure naturali dicuntur, ſeorſum accipienda ſunt, neque ad ſuperiora referri debent, ut ex ipſorum uerborum contextu facilè unuſquiſque animaduertere poterit. At neque iccircò Caſtrenſi, & Iaſoni aſſentiendum eſſe crediderim, qui rerum nobilium dominia prius diſtincta fuiſſe arbitrãtur, quàm res immobiles cõmunes eſſe deſinerent. Nam uel ſi res multę eſſent, ut ſedilia, atque tuguria, & mobiles pręſertim, ut quę ad eſum, ad potum, ac ueſtitum erant 7
neceſſaria, quibus tum homines eodem modo uſos eſſe credibile eſt, quo nunc proprijs nos utimur, tamen proprij, & alieni nulla tunc diſtinctio erat, neque earum rerum propriè erat dominium, quemadmodum nunc à nobis dominium accipitur. Siquidem ex communi omnium conſenſu dominiorum diſtinctio nondum facta fuerat, & approbata; Quanuis enim de prędictis rebus liberam diſponendi facultatem habuerint, non id tamen ea ratione fiebat, quia res illæ cuiquã propriæ, atque in alicuius dominio eſſent,

Digitized by Google

eſſent, ſed quia omnia omnibus planè erant expoſita: Quare ſi quod meis uſibus, ali-
quando ſeruiſſet, poſtea tenere, aut habere deſijſſem, non illud certè, quemadmodum
hoctempore, proprium meum remanſiſſet, ſed ut mihi anteà ſeruiebat, ſic & alijs
8 in poſterum patuiſſet, Niſi forte apud alterum id ego depoſuiſſem, qui ſe mox reſtitutu
rum promiſiſſet, ſiquidem eo caſu, quòd ego propriè dominium non haberem, non
puto fuiſſe impedimento quo minus depoſiti fides conſtaret, & propterea forſan Gra
tianus in d. c. ius naturale j. diſtinct. iuri naturali depoſitæ rei reſtitutionem tribuit.
Quod ſi aurea hac (ut uocant) ætate dominia nondum diſtincta fuiſſe concedimus,
nec res quidem mobiles cuiquàm proprias fuiſſe concedere debemus: Neque huic ſen
9 tentię illud quicquàm aduerſatur quod ex poſſeſſione, & occupatione olim rerum do
minia acquirerentur. l. j. in princ. ff. de acq. poſſ. §. ferè. inſt. de rerum diuiſ. Accurſ. in
l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iur. quoniam non ea hoc fuiſſe ętate concedendum eſt, qua
omnia adhuc communia erant, cum ex ſedilium, aliarumq; rerum immobilium occu-
patione res ipſę quoque immobiles ſtatim proprię effectæ fuiſſent: Quare aut neganda
prorſus illius temporis cõmunio, aut omnibus in rebus admittenda eſt, quorum vtrum
potius recipiendum ſit, haud multò poſt aperiemus. Ac de primo tempore hæc ferè
ſunt, quę à noſtris tradita reperiuntur. Huic primo tempori illud proximè ſubſequu
10 tum eſt, cum homines ab antiqua illa probitate ad uitia, & ſcelera pronius cœperunt
declinare, ac pro pudore, & modeſtia, audacia, diuitiarumq; libido inuaſit. Hoc
tempore ſublata communione dominia diſtincta fuere, propterea quòd res proprias
auidè homines quęrere, ac diuitias ſibi comparare cœperunt. Ac initio quidem tan-
11 tum quiſque habebat. quantum manu, & uiribus per cædem, & uulnera eripere poſ-
ſet; poſtea tutius uiſum eſt, & ad cõmercia, multaſq; uitę cõmoditates opportunius,
ut ex agris, & ſyluis, ubi prius diſperſi uagabantur unum in locum congregarentur, ual
loq;, aut foſſa munirentur, quo magis ab externis iniurijs tuti eſſe poſſent, idq; credibi-
le eſt ſapientiorum quorundam opera, & facundia factum fuiſſe, qui cum probè co-
gnouiſſent, quanta animis hominum ad res maximas gerendas opportunitas eſſet, eos
à fera, agreſtiq; uita ad humanum cultum deduxere. Hoc uerò eſt quod de Orpheo,
& Amphione Poetæ fabulati ſunt, eos nimirũ lyræ, & carminum ſuauitate ſaxa & fe-
ras demulſiſſe, atque unum in locum ad ſe aduocare ſolitos fuiſſe, ut pulchrè Horatius.

Sylueſtres homines ſacer, interpreſq; Deorum
Cædibus & uictu fœdo deterruit Orpheus
Dictus ab hoc lenire tigres, rapidoſq; leones,
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo uellet, fuit hęc ſapientia quondam
12 Publica priuatis ſecernere ſacra prophanis. Tunc inuenta atq; introducta ſunt ea
omnia, quę cõnumerat Hermogenianus in l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iur. Dominia ſunt
diſtincta, agris termini poſiti, cõmercia inſtituta, permutationes primò, moxq; etiam em
ptiones, uẽditiones, locationes, cõductiones, alijq; cõtractus oẽs, paucis quibuſdã exce-
ptis, introducti. Atq; ut hæc omnia maiorem in cõmune afferrent utilitatẽ, ac ne ſcele
ſtorũ hominũ iniurijs paterẽt, omniũ maximè neceſſariũ eſſe iudicatũ eſt, ut Rex aliquis
13 deligeretur, ꝗ reliquis pręeſſet, omniũq; ſaluti, & ſecuritati inuigilaret, curaretq; ne ab ijs
ꝗ maiores opes haberẽt, inops multitudo opprimeret. Propterea uerò nõ oẽs paſſim, ac
temerè deligebãt, ſed eos quorũ de iuſtitia, prudẽtia, animiq; magnitudine magna eſſet



Digitized by Google

opinio multitudinis,quiq; ad res gerẽdas omniũ maximè eſſent idonei,& à populis ſuis
iniurias arcere,publicisq; in neceſſitatib⁹ ſtrenuè labores ſuſcipere poſſent. Cũ eiuſmodi
aliquẽ nacti erãt,nullis legibus ipſius poteſtatẽ coarctabãt,nullasq; illi actionũ formulas,
aut ullas iudiciorum ſolẽnitates ſeruandas proponebant, ſed ipſius manui', atque ar
bitrio ſeq;, ſuaq; omnia ſubijciebant; Id tamen unum ab illo exigebant, ut natura-
lem legem prę oculis haberet, iuriſq; & iniuriæ regulam, qua una ſatis ipſum admo-
neri poſſe intelligebant, ne cui uim, atque iniuriam inferri pateretur, contractuum fi
dem ſeruari curaret, uirtuti prẹmia, ſceleribus, & flagitijs pœnas imponeret. Ex hac
tam lata Regum poteſtate ſumunt noſtri interpretes uulgaris illius clauſulę interpreta-
tionem,qua ſæpè in cõmiſſionibus princeps utitur,cum alicui cauſam manu Regia de 14
cidendam cõmittit; ita enim hanc clauſulam accipiendam dicunt, ut de iure, & de
facto eam cauſam cõmittere uoluerit, ut Natta in clem. ſępe. de uerb. ſignifi. §. j. col.
19. ac tantundem dicunt hac clauſula contineri quantum in illa continetur, Procedas
ſine ſtrepitu, & figura iudicij. Lanfranc. in d. clem. ſæpe, in uerſ. & figura, & in
uerſ. libellus. Oldrad. in conſ. 115. Corn. in conſ. 54. col. 2. uerſ. illa enim uerba, &
in 2. uolu. Bart. in extrauag. ad reprimendum in uer. & figura: Cardinalis in
clem. diſpendioſam col. fin. quæſt. 44. de iudic. Maranta in 4. par. diſt. 9. nu. 11.
Hanc quam diximus regiam poteſtatem etiam initio ciuitatis Romanæ extitiſſe, te-
« ſtis eſt Pomponius in l. 2. in princ. ff. de orig. iur. Neceſſarium itaque (inquit)
« nobis uidetur ipſius iuris originem, atq; proceſſum demonſtrare, & quidem initio ci-
« uitatis noſtrę populus ſine certa lege, ſine certo iure primùm agere inſtituit, om-
« niaque manu Regis gubernabantur, Poſteà aucta ad aliquem modum ciuitate, &c.

Sic iam uidimus quo pacto manum regiam noſtri accipiant, de qua multis
paſſim in locis mentionem faciunt, ut Bart. & alij in l. frater à fratre, & in l. Iu-
lianus. ff. de condict. indeb. Salic. in l. ex hoc iure, ubi etiam Iaſ. ff. de iuſt. & iur.
Ant. But. in c. quæ in eccleſiarum de conſtit. Cagnol. in l. 2. ff. de orig. iur.

Tertium, & ultimum tempus id fuiſſe ſtatuunt, quo demum fuerunt conditę le-
ges ciuiles, quas cum alijs de cauſis, tum prẹſertim propter hominum nequitiam 15
inuentas eſſe nos ſupra docuimus. Quemadmodum uerò ipſa hominum nequitia ci
uilium inueniendarum cauſa fuit, ita etiam ſimul effecit, ut antiqua illa manus re-
gia apud alios quidem populos planè tolleretur, apud alios uerò legum ſaltem ipſa-
rum uinculis conſtringeretur; Eò enim hominum audacia, atque omnium pro-
pè communis morum corruptela peruaſerat, ut bene moratum, ac ſpectatę mode-
rationis regem inuenire difficillimum eſſet, cuius unius arbitrio omnium fortunæ ui-
ta, & ſalus tutò committi poſſent. Itaque paulatim ij Reges creari cœperant, quos
non ſpectata uirtus, ſed ambitio popularis ad eius maieſtatis faſtigium euexerat. Qui
cum rerum potiti erant, illis quorum opera, & auxilio id fuerant aſſequuti omnia de-
ferebant, alios uerò plerunq; odio proſequebantur; Ita fiebat ut modò in huius gra-
tiam, modo in illius odium iudicantes, omnia iuſtitiæ, & honeſtatis iura perfringe-
rent. Iam non amplius ſubditorum utilitati ſeſe exhibebant, ſed ſibi ipſis potius ſub-
ditos quærebant, ut dominandi libidinem explerent, quę tanta in multis fuit, ut ſæpe
legamus maritis uxores, filijs parentes, parentibus filios inſidiatos eſſe, fratres uerò
non tantum acerrimis odijs ſępiſſimè inter ſe concertaſſe, ſed mutuis etiam ſeſe uulne-
ribus interdum conſęciſſe, Quamobrem uerè Ouidius.

Viuitur

Digitized by Google

Viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt,
Imminet exitio uir coniugis, illa mariti,
Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ,
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Hac igitur de cauſa tutius eſſe iudicatum eſt, leges ciuiles condi, quæ cupiditate uacarent, ſurdęq; eſſent, & inexorabiles, atque eadem cum omnibus uoce loquerentur. Etenim (ut inquit Ariſtoteles) qui legem præeſſe uult, is uidetur uelle Deum imperare, qui iiſdem oculis omnes intuetur, qui uerò hominem, adiungit & belluam, nam belluæ ſimilis eſt hominum cupiditas, quæ uel optimos quoſque torquere ſolet. Quanuis uerò conditis legibus ciuilibus manus Regia ſublata ſit, uel ſaltem eo modo quo an
16 tiquitus erat, eſſe deſierit, dicunt tamen doct. eius ipſius ueſtigia adhuc nonnullis in rebus apparere, imò uim ipſam & effectum facilè cerni: quemadmodum in patre, & domino, qui in filios, & ſeruos manum Regiam exercent, ut docet Bart. in l. frater à fratre col.4. nu.12.ff.de condict. indeb. Videmus hoc etiam multò expreſſius in Principe qui ſit legibus ſolutus iuxta l. digna uox.ff. de legib. Quare concludunt Regem ipſum debere ſupplicantibus manus Regiæ auxilium impertiri, atque eos, qui uel nuda tantum conuentione obſtricti ſunt, ad fidem ſeruandam compellere, quod ſi id Princeps facere prętermittat, peccato eum non carere arbitrantur. Ita inter alios concludunt Alex. & Iaſ. in l. iuriſgentium. §. ſed cum nulla. ff. de pact. Soci. in l. legitima.C. de pact. Huius uerò traditionis primus author fuit Ant. Butr. in c. quæ in eccleſiarũ.de conſtit.quẽ ibi etiã ſequũtur Imol.& Fely. Cõcludit hoc idem ibi Butrien
17 ſis & de iudicis officio, quo pariter exiſtimat eos quoque compelli poſſe, qui nudo pacto promiſerunt: Et in hanc ſententiam frequentius à cęteris quoque itum eſt, quod & Cagnolus teſtatur in l. 2. quæſt. 89. nu. 228. C. de pact. inter empt.& uendit. An uerò hęc ſententia recipienda ſit dicemus in Rub. ff. de uerb. oblig. ubi hoc totum quod ad obligationes uel naturales, uel ciuiles, atque ad earum poteſtatem attinet, clariori, & fortaſſe etiam ueriori explicatione illuſtrabimus.

## A R G V M.

OMnia quę hucuſque ex cõmuniori interpretum ſententia, in hac temporum diſtinctione tradita fuere, non tantùm diuinis ſcripturis aduerſari, ſed etiam naturali rationi planè contraria uideri.

1 Primorum fratrum parricidium non rectè iis conuenit, quæ de aurea prima illa ætate uulgo traduntur.
2 Communi' poſſeſſioni, ac ferino primorũ hominum cultui diuinarum ſcripturarum fides reclamat.
3 Senſus cum ratione luctatio poſt primum hominis lapſum ſemper extitit.
4 Homo natura magis appetens ſocietatis quàm ullæ ex iis animantibus, quæ gregatim incedunt.
5 Propriarum rerum amor quantopere nobis ſit innatus.
6 Fuerunt qui filios in commune ſuſceptos exoris ſimilitudine inter ſe diuiderent.
7 Opinio illorum qui negant ullo unquàm tempore ſine legibus ciuilibus regna extitiſſe.
8 Magiſtratus, & iudicia ſunt partes ciuitatis.
9 Ex legibus reges creantur.
10 Quomodo ex legib' actiões cõpoſitæ ſint,

I 2 quomo-

quomodo à nonnullis accipiatur.

11 Actiones quo ad materiam,& finem,item quo ad formam incertam iuriſgentium eſſe exiſtimant Bal. & alij hic adducti.

12 An ex l.2.in princ.ff.de orig.iur.probetur 9 de manu frequentius noſtri tradunt.

13 Conſuetudo uerè dicitur eſſe ius ciuile.

14 An manus regia eſſet remedium eiuſmodi, ut in ipſius locum actiones poſſint dici fuiſſe poſtea ſubrogatæ.

15 Prius dominia ſunt inſtituta,& regna condita quàm magiſtratus creati ſecũdum Iuſtin.

16 Actiones à iure ciuili non tantum ad formam redactas, ſed planè inuentas eſſe, quomodò probetur.

17 Perpenduntur uerba.§. deinde.l. 2. ff. de orig. iur.

## CAP. XI.

HAbemus iam explicatam totam illam temporum diuiſionem, quam noſtri frequentius hac in re ſtatuunt. Quam tamen ſi quis paulo attentius inſpexerit, inanem fortaſſe,ac fatuam eſſe iudicabit, cum nulla uideatur ſat conſona ratio aſferri poſſe, cur primum & ſecundum tempus à tertio diſtingui debeant, ac pleraq; etiam falſa uideantur, quę de illis hucuſque tradita ſunt. Etenim quod attinet ad primum tempus, quæ de illo ſupra diximus, non modo diuinis ſcripturis contraria ſunt, ſed naturali ipſi rationi primo ſaltem aſpectu uſq;adeò reclamant, ut ne quidem ethnicis hominibus perſuaderi poſſe uideantur. Eſſe illa diuinis ſcripturis contraria primorum fratrum Chaim, & Abel ſolo exemplo optimè demonſtratur, quod nobis proponitur Geneſ. cap.4. Dictum ſuperius eſt eius primi ſeculi probitatem ſummam fuiſſe. 1
at Chaim ea fuit improbitate, ut ſanguine fraterno ſceleſtiſſimas manus inquinare nõ dubitauerit. Dictum eſt omnia tunc fuiſſe communia; at ibi legimus alterum fratrem Abel de gregis ſui primogenitis domino munera obtuliſſe: pugnant uerò hęc inter ſe, fuiſſe tunc omnia cõmunia,& ſuum illi, propriumq; aliquem gregem extitiſſe. Dictum 2
eſt denique primos illos homines diſciplinę ciuilis, artiumq; omnium expertes ſyluis uagari ſolitos: at ibidem legimus Chaim primò agricolam fuiſſe, deinde poſt fratris necem profugum ad plagam orientalem ædificaſſe ciuitatem, eamq; Henoch à filij ſui nomine nuncupaſſe. Verùm ne diuinarum tantùm ſcripturarum authoritate urgeamus,eadem illa naturali quoque ratione facilè dilui poſſe uidentur. Demonſtratũ à nobis ſuperius fuit non aliam eſſe cauſam, cur homines à recto rationis tramite declinent, niſi quia rationi ipſi ſenſus, & cupiditates aduerſantur, quæ animos noſtros ad uitia, & ad uoluptates plerunque detorquent; Compertiſſimum uerò eſt poſt primi hominis lapſum ſemper in hominibus hanc ſenſus cum ratione pugnam extitiſſe, 3
cui ſi cauſam malitię hominum (ut fieri neceſſarium eſt) aſſignamus, concedamus etiam oportet tunc quoque malos eſſe homines potuiſſe, Quin tantò priores, & atrociores illos fuiſſe exiſtimandum eſt, quantò rudiores adhuc ob agreſtem illam feritatem illorum animi erant, ac nullis pręceptis exculti, quæ ad leniendos animos,atque à flagitijs ad honeſtatem reuocandos momenti habere plurimum inficiari non poſſumus. Quare ſi eadem ægritudinis cauſa tunc aderat, medicinæ uerò remedium omne planè deerat, concedamus oportet eos, qui humani generis primi fuerunt, multò magis hoc ipſo animorum æſtu, atque hac cupiditatum quaſi ægritudine laboraſſe. Vnde melius ſenſiſſe Horatius uidetur qui (ut ſupra à nobis relatum eſt) primos illos homines unguibus, &pugnis illicò inter ſe pugnare cœpiſſe coniectat, atque hanc coniecturam Tullius amplexus eſt, qui tunc ſingulos homines tantum habuiſſe dicit,quantum

Digitized by Google

tum per cædem,& uulnera eripere, ac retinere poterant. Atque illud quoque parum uerosimile uidetur, quod traditum eſt homines tum ſyluis diſperſos ferarum more uagari conſueuiſſe, imò eos potius ad mutuam ſocietatem ſtatim accurriſſe credendum eſt, non ſolum quòd ex ea multa ſibi ad uitæ commoditates parata eſſe adiumenta intelligere facilè poſſent, ſed etiam quia (ut inquit Ariſtoteles lib. j. Politic. cap. 2.)
4 hominis naturam mirum in modum appetens ſocietatis eſt, ac multò etiã magis quàm uel apium, uel aliorum animantium, quæ abſque diſciplina ulla ſolo naturę inſtinctu gregatim ſemper incedunt. Quare nihil ſolitarium ullo unquàm tempore hominũ natura potuit non odiſſe. Quod ſi (ut eleganter Tullius ait in lib. de amicitia) poſſet quid tale contingere, ut nos Deus ex hac frequentia tolleret,& in ſolitudinem uſpiã collocaret, atque ibi ſuppeditans omnium rerum, quas natura deſiderat, abundantiam, & copiam aliorum hominum aſpectum, & commercium denegaret, nemo tam ferreus eſſet, qui eam uitam ferre poſſet, cuique non auferret fructum uoluptatum omnium ſolitudo, quo fit, ut parum credibile uideatur primos illos homines totius uitę ſolitudinem ſuſtinuiſſe. Si ergo primi illi homines (ut credibile eſt) cumprimùm in lucem editi fuere, ſimul etiam congregati ſunt, ſimulq; cõmercia aliqua habere cœperunt, rectè etiam ex hoc colligere poſſumus eos non communia omnia, ſed propria aliqua bona habuiſſe, ac ut quiſque aliquid poſſidere cœperat, ita ſtatim illud proprium habere cœpiſſe. ar. l. j. in princ. ff. de acquir. poſſeſ. Rectè enim Ariſt. lib. 2. Polit. cap. 2. dum Platonis ſententiam refellit, qui beatiorem Remp. fore credidit, in qua omnia eſſent cõmunia, nihil fermè eſſe dicit, quod natura noſtra uehementius ap-
5 petat, quàm ut proprium aliquid habeamus, cuius rei tantus nobis amor ingenitus eſt, ut quo magis proprium aliquid ſit, eò etiam ſit nobis charius, neque alia de cauſa ſibi quiſque ſit chariſſimus, niſi quia ſe ſibi quammaximè proprium eſſe intelligat. Qua ratione concludit ibi Ariſtoteles bonorum cõmunionem naturæ noſtræ uſqueadeò aduerſari, ut in hominum mores, & conſuetudinem haudquaq̃ induci poſſit. Atqui nihilo magis admittendum uidetur, quod dictum eſt, aurea illa (ut uocant) ætate cõmunes filios, atque incertos fuiſſe, cum nihilo minus ab ipſa natura hoc quoque abhorreat. Videmus enim prouidam, & ſagacem naturam, quę filios unumquenque ſuos agnoſcere, eorumq; præcipuam curam habere uoluit, ut plurimum id efficere, ut filij proprios parentes uel ore, uel geſtu, uel corporis habitudine referant, id quod ſatis
6 teſtatur inſigne admodum quorundam populorum inſtitutum, qui Lybiam incolunt ſuperiorem quos ſcribit Ariſtoteles id in uſu habuiſſe, ut quanuis uxores cõmunes haberent, proprios tamen haberent filios, quos in cõmune antea ſuſceptos poſtea ex quadam parentum ſimilitudine inter ſe diuiderent, prout hunc magis uel illum oris figura pueri referrent. Demum uerò, cum ueriſimilius hoc eſſe probatum fuerit, eos quoque, qui primis illis temporibus fuerunt, mortales proprias res aliquas habuiſſe, hac ratione uidetur concludendum uel leges ipſis aliquas, uel ſaltem Reges, aut magiſtratus fuiſſe, qui ortas illis ipſis de rebus controuerſias dirimerent. Sicq; iam demonſtrauimus ea omnia, quæ de primo tempore ſuperius tradita fuerunt, ab omni ratione uideri alieniſſima. Et de primo tempore hactenus. Quod uerò attinet ad ſecundum, ſunt qui exiſtiment neque etiã hoc à tertio tẽpore diſtingui debere, cũ vel ſi maximè cõcedamus vera eſſe illa quæ de primo tẽpore uulgo feruntur, falſum tamen eſſe uideatur, fuiſſe aliquando tẽpus, cum nullę leges, nulluſque actionum uſus eſſet, ac nullę iudiciorum ſeruarentur

Digitized by Google

ſeruarentur ſolemnitates; ſed manu regia omnia gubernarentur; Atque inter alios hãc ſententiam communem reijciunt Socinus iunior hic num. 15. item Voconius à 7
Vocuna lib. j. declar. iur. ciu. decl. 9. illo potiſſimum uſi argumento quòd dicant nulla lege ea probari, quę de manu Regia cęteri interpretes comminiſcuntur, ideoq; neq; à nobis tuto recipi poſſe ar. §. conſideremus. autent. de trient. & ſem. & l. illam .C. de collat. Quæ reprobatio uidetur hoc inſuper dilẽmate maximè iuuari poſſe: nam aut tempus illud ſpectamus, quo fuſi per agros, diſperſique homines feram, & agreſtem uitam degebant, et tunc Regem nullum fuiſſe nemo non fatetur, aut de poſteriori tempore loquimur, de quo verè interpretes loquuntur, nimirum poſteaq̃ homines unum in locũ conuenerunt, dominiaq; diſtinguere, ac regna condere cœperũt iuxta l. ex hoc iure .ff. de iuſt. & iur. & hoc ipſo tempore dicit Voconius ciuitates quoque fuiſſe conſtitutas, omnibuſque ſuis partibus, ac quaſi numeris abſolutas. Conſtat uerò inter cæteras ciuitatis partes magiſtratus quoque & iudicia cenſeri, ut docet Ariſtot. lib. 4. & 6. 8
politic. Ex quo ſequitur eos qui legitime aliquid ſe facturos promiſerant, corã magiſtratibus potuiſſe conueniri, ut ſecundum ciuitatis cuiuſque iura id quod promiſerant dare, facereuè cogerentur iuxta l. cumamplius. §. is natura debet. ff. de reg. iur. dum ibi dicitur eum natura debere, quem iure gentium dare oportet. Quod cum ita ſe habeat, ex hoc rurſus ſequitur manum regiam, hoc eſt illam tam latam, atque amplam regis poteſtatem, quę nullis legibus eſſet adſtricta, minimè neceſſariam fuiſſe; Imò enim tunc quoque reges, quos credibile eſt ex certis legibus inſtitui conſueuiſſe, ut de Lacedemoniorum regibus, alijſque permultis & legimus, & uidemus, credibile eſt etiam ſecundum 9
leges, ac ſecundum illius cui præerant ciuitatis morem gubernaſſe, alioquin tyranni potius quam reges dici debuiſſent. Concludendum ergo potius uidetur nullum unquam tempus extitiſſe quo ſola manu regia ſine obligatione, ac ſine actione ſaltem rudi lites, ac controuerſię inter priuatos homines dirimerentur. Quanuis enim actiones nondum compoſitę fuiſſent, ut tradit Pomponius in l. 2. §. deinde. ff. de orig. iur. ubi 10
dicit actiones ex legibus xii. tab. fuiſſe cõpoſitas, non tamen hinc rectè colligitur actiones antea non extitiſſe, imo potius contrarium uidetur recte ex eo inferri poſſe; neque enim potuiſſent componi actiones, quę prius non fuiſſent, cum componere ſit colligere in unum, & ad certum modum, certamque rationem redigere: in qua ſignificatione etiam Iuſtinianus dicit ſe leges ueteres compoſuiſſe. §. quibus 1. conſt. cod. & proęm. ffórum in princ. tum & proæm. Inſt. §. uero, & §. quas ex omnibus. Imo etiam ipſemet Pomponius eadem ſignificatione uſurpat uerbum componere in illa ipſa l. 2. cum dicit leges à regibus ſine ordine latas à Papyrio deinde compoſitas fuiſſe, atque in librũ redactas, qui propterea ius ciuile Papyrianum fuit appellatum, atque ita hoc uerbum interpretatur Bald. in l. ex hoc iure .ff. de Iuſti. & iur. qui propterea ſentit actiones quoad formam ſpecificam eſſe iuris ciuilis, quoad materiam uerò, & finem, item & formã 11
incertam eſſe iuris gentiũ Cui ſe ſubſcribunt Zaſius, & Cagnolus in l. 2. §. his legibus. ff. de orig. iur. ac ſimilem de exceptionibus quoque diſtinctionem tradunt Abbas, & Felyn. in Rub. extra de except. nec non & Angelus Areti. in rub. inſt. eo. tit. de except. Vnde corruunt omnia ad manum regiam ſpectantia, quæ huic ſecundo tempori doctoris tribuunt. Itaque nulla alia inter hoc ultimum, & illud ſecundum tempus differentia uidetur conſiderari poſſe, niſi quod actiones quæ poſtea diſtinctæ, & compoſitæ fuerunt, tunc rudes, & incompoſitæ coram regibus proponebantur. Neque enim deſunt

qui

qui uerius eſſe exiſtiment actionum originem ad ius gẽtium referendam eſſe, ut Zaſius, & Cagnolus in d. l. 2. .ff. de orig. iur. Quam ſententiam antiqui etiam nonnulli antea receperunt. ut Ray Foroliu. & Bal. in l. ex hoc iure.ff.de iuſt.& iur. & Ioan. Faber. inſt.de act.in princ. quamuis ibi Iaſ.ennixe contrariam ſententiam defendere conetur, quam tenent Accurſius,& Bart. in l.ex hoc iure .ff.de iuſt.& iu. ac cæteri deinde frequẽtius recipiunt. Quod ſi hanc Baldi potius ſententiam, quam communem ſequi uellemus, non difficili forſan negotio argumentum illud poſſemus declinare,quo potiſſi-
12 mum nititur communis ſententia, deſumptum ex verbis Pomponij in l. 2. in princ. ff. de orig. iur. dum ait fuiſſe aliquando tempus, cum ſine certa lege,ac ſine certo iure populus ageret, omniaq; manu regis gubernarentur; Nam ( ut pręfati interpretes animaduertunt) comperttiſſimum eſt ibi Pomponium de ſolo populo Romano loquutum eſſe, ac tantũ ſignificare nobis uoluiſſe quid primo illo vrbis initio ſeruaretur, nam cũ dicat initio ciuitatis noſtræ oſtendit ea,quæ ibi ipſe tradit, haudquaquam ad hoc tempus ſpectare, quo nullę adhuc leges conditæ fuerant,ſed ſolũ ius gentiũ extabat,ac per æquè apud omnes ſeruabatur. Nemo enim non ſtultiſſimus inficiabitur, ante vrbem cõditam fuiſſe apud alios populos ius ciuile, quod iudicia & actiones complecteretur, aliaque eiuſcemodi quæ legibus ciuilibus contineri ſolent, Eoque maximè quod palã eſt à iure ciuili Athenienſium, & Lacedemoniorum leges Romanas deſumptas eſſe l. 2. §. poſtea .ff. de orig. iur. & .§. ex non ſcripto.inſt. de iure nat. gent. & ciu. Quo fit, ut quæ ibi dicit Pomponius,non ad tempora iuriſgentium,neque ad hanc,de qua nos loquimur,manum regiam referri poſſint. At dices forſan,ibi quidem Pomponium de populo tantum Romano loqui,ſed tamen Populum Romanum tunc uſum fuiſſe iuregentium, cũ adhuc nullas ciuiles leges haberet, Quapropter ſi initio ciuitatis Romanæ ius gentium ſeruabatur, eoq; ipſo tempore extabat manus regia, qua omnia gubernabantur,conſequens eſſe uidetur, ut iuregentium manum regiam extitiſſe fateamur, hoc eſt latiſſimam illam poteſtatem regis, cuius arbitrio omnia committerentur. At reſponderi poteſt Pompon.ibi cum dicit,initio ciuitatis Romanę,hoc eſt ante leges curiatas, quæ(aucta demum in aliquem modum ciuitate a Romulo ad populum latę ſunt)populum ſine certa lege, ac ſine certo iure agere inſtituiſſe, Pomponium,inquam, cum hoc dicit, nihil minus cogitaſſe, quàm ut oſtenderet ſolum iusgentium tunc in uſu fuiſſe, quanuis hoc concedat Voconius loco præallegato;Idq; optime demonſtratur ex.§.exactis. dum ibi dicitur exactis Regibus omnes leges ab ipſis latas tribunitia lege exoluiſſe, itemq; populũ incerto magis iure, & cõſuetudine aliqua,quàm perlata lege per viginti annos uſum eſſe, quæ uerba declarant id quod initio illius legis traditur, ita accipiendum eſſe,ut dum ibi iuricõſ. dicit populum ſine certa lege, ac ſine certo iure primum agere inſtituiſſe, non propterea neget,quin aliqua conſuetudine, & aliquo iure ciuili, quamuis incerto uteretur. Neque enim recte diceret iterum populum conſuetudine
13 uti cœpiſſe, niſi antea quoque conſuetudine uſus eſſet. Perſpicuum uero eſt, conſuetudinem eſſe ius ciuile. l.de quibus. ff. de legibus, & §. ex non ſcripto.inſt. de iure nat. gent. & ciuil. Verùm ibi Pomponius ius illud prætermittendum putat, quod leges curiatas a Romulo latas anteceſſit, non quia nullum tunc eſſet ius ciuile, ſed quia erat incertum, & a Regis manu, & arbitrio prorſus pendebat. Vnde facile cernas ius ciuile tũc quoque aliquod fuiſſe, & quod de manu Regia ibi dicitur,non ad ius gentium,ſed ad Populi Romani ius tantum referri. Iam uero hoc fundamento ſublato, nihil plane

reliquum

Digitized by Google

reliquum eſſe uidetur, vnde ea quę de manu Regia doctores tradunt defendi poſſint, Ac multo etiam magis reijcienda uideri poterit hæc communis ſententia, ſi ita accipiatur, ut nonnulli interpretantur, qui dicunt doctores frequentius ſenſiſſe manum regiam eſſe ius ſeu remedium quoddam creditori competens ad petendum, exigédumq; 14
aliquid, cuius in locum actiones poſtea iure ciuili fuerunt ſubrogatæ. Quod ſi ita accipiatur, multò etiam magis abhorrere uidetur à ſenſu Pomponij in d.l.2.in princ. qui cũ dicat omnia regis manu hoc eſt poteſtate, & arbitrio (ut exponit Accurſius) fuiſſe gubernata, oſtendit ſe non de remedio, & iure illo loqui uoluiſſe, quo ad petendum exigẽdumq; aliquid creditores uterentur, ſed potius perſonam indicaſſe, quæ adeunda eſſet, quæq; iura iſta, & petitiones exequeretur. Nemini porrò obſcurum eſſe poteſt aliud eſſe Principem, ſeu iudicem, qui petitiones exequitur, aliud uerò remedium illud, ſeu ius petendi, quod in iudicio ab actore proponitur. Hucuſque ergo illorum ſententias expoſuimus, qui quantum ad manum regiam à communi opinione recedunt, quę licet primo aſpectu coloris aliquid habere uideantur, tñ nec rationi, nec Iuſtiniani, aut iuriconſultorum menti ſatis cõueniunt. Primò enim quod dictum eſt, cumprimùm homines congregari, ac dominia diſtinguere cœperunt, ſtatim magiſtratus, & iudicia eſ- 15
ſe cœpiſſe, aduerſatur Iuſtiniano in §. ſingulorum. inſt. de rerum diuiſ. ubi dicit uetuſtius eſſe illud ius, ex quo inita cõmercia, ac rerum dominia diſtincta ſunt, quæ tum bello tũ multis alijs modis acquirunt, poſterius uerò eſſe ait ius ciuile, quod tũc demũ eſſe cœpit, cũ & magiſtratus creati, & leges ciuiles ſcribi cœperũt, Sicq; optimè refellit illud dilẽma, quod ſupra ex Voconij ſentẽtia cõtra cõem ſentẽtiã afferebat. Dicebat pręterea inter hoc ultimũ, & ſecundũ tempus eſſentialem differentiam ideo ſtatui non poſſe, quia tunc quoque actiones quanuis rudes, & incompoſitę coram Rege proponebantur, At hoc falſum uidetur ea ratione, quia actiones iure ciuili non tantum ad formam redactas, ſed planè inuentas eſſe tradit Iuſtinianus in §. namq; verſ. quippe inſt. de actio. 16
« Quippe (inquit) proditę ſunt iure ciuili actiones, vt quis dominium ſuum uẽdicet.

Nec dubiũ eſt, quin de actionibus quoq; perſonalibus idem ſit affirmandũ, quanuis ęquitas unde illę proficiſcuntur iuriſgentiũ ſit: Nam & rerum dominia ex quibus prodeunt in rem actiones iure gentium extabant, & tamen Iuſtinianus ibi eas iure ciuili proditas eſſe perſpicuè tradit. Quoniam uerò hæc quæſtio utrum actio iuriſgentium an iuris ciuilis ſit, ad actionum potius materiam quàm ad hanc noſtram pertinet, ne nos nimis longè ab inſtituto noſtro digrediamur, non ea hìc deſcribemus quæ Gomeſius & alij in hanc quæſtionem latiſſimè congeſſerunt; Verum putamus ad ueritatem obtinendam ſatis nobis eſſe poſſe teſtimonium Pomponij in d.l. 2. §. deinde. ff. 17
de orig. iur. Eſt enim animaduertẽdum ibi Pomponium de ipſis actionibus ita loqui, ut apertè demonſtret actiones antea non fuiſſe, ſed à ſolis legibus 12. tabul. profluxiſſe: Siquidem primò ait ex legibus actiones fuiſſe compoſitas, non à legibus dicit, ſed ex legibus, quaſi demonſtrare uelit ex legibus ipſis fuiſſe deſumptas; Poſtea addit veteribus placuiſſe, vt actiones ſolemnes eſſent, ne populus illas ut uellet inſtitueret, quod certè ſuperfluum eſſet, ſi hanc ſolemnitatem tum complexus eſſet, cum dixit eas ex legibus 12. tabul. fuiſſe compoſitas, Cui inductioni maximè id etiam ſuffragatur, quod ipſe tradit paulò inferius in uerſ. poſtea. cum dicit fuiſſe Appium Claudium, qui actiones ad formam redegit aliquantò poſtea quàm compoſitæ fuerunt. Igitur Pomponius cum dixit compoſitas actiones, eo ipſo non formulam, & ſolemnitatem, ſed originem

Digitized by Google

ginem demonſtrare uoluiſſe. In qua ſignificatione etiam paulò antè hoc eodem uerbo uſus erat, cum dixerat ius ciuile à prudentibus eſſe compoſitum, & tamen ibi ius ciuile illud eſſe traditur, quod ex prudentium interpretatione inductum, & conſtitutum eſſet, ac non ad formam tantum redactum. Alio etiam modo uerba Pomponij perpendi poſſunt, quatenus ait eodem modo actiones, ſicut & ius ciuile à legibus 12. tabul. fluxiſſe, ſed conſtat ius ciuile ita fluxiſſe à legibus 12. tabul. ut uerè dici non poſſit antè ipſas leges aliqua ex parte extitiſſe, quare idem & de actionibus concludendum eſt, inquit uerò Pomponius. Et ita eodem tempore tria hęc iura nata ſunt, leges 12. tabul. ex his fluere cœpit ius ciuile, ex iiſdem legis actiones compoſitæ ſunt. Compoſitas debemus accipere hoc eſt initio conſtitutas, quemadmodum intellexit Pomponius cum paulò antè ius à prudentibus dixit fuiſſe compoſitum. Quod ſi iure ciuili actiones introductæ ſunt ſatis ex hoc intelligitur, eas iuregentium non fuiſſe, neque apud Reges, (quemadmodum dicebatur) proponi conſueuiſſe. Iam uerò quamuis illorum traditiones reiectæ ſint, qui communi ſententiæ aduerſantur, non propterea tamen ſatis defenſa eſt communis illa temporum diſtinctio, quam initio retulimus, imò enim uigent, adhuc multa, quę contra ipſam obiecta fuerunt. Quare cum hæc omnia ualde dubia ſint, quę tùm ad primam ætatem attinent, tùm etiam ad manum Regiam, quę ſecundæ ætati tribuitur, ita ut multos facilè incertos, ac perplexos reddere poſſent, conſultius nos facturos duximus, ſi aliquantò accuratius his de rebus ſententiam noſtram exponeremus.

## ARGVM.

QVod dictum eſt, principio generis humani nec leges ullas, nec magiſtratus, nec Reges extitiſſe, itemq; alia omnia, quę de primo illo, & aureo ſeculo Doctores ſentiunt, ueritati conſentanea eſſe, ac non (ut primo aſpectu uideri poterat) ex ſolis Poetarum fabulis deſumpta.

1 Quid ſpectarint tùm Philoſophi tùm etiam iuriſconſulti, dum ſocietatis humanæ exordia, ac progreſſiones conſiderarunt.

2 Mundum non fuiſſe æternum etiam Plato confeſſus eſt.

3 Rerum humanarum uarietas, & inconſtantia.

4 Propoſuit ſibi Plato conſideranda tempora, quæ poſt diluuium aliquod illicò fuerint ſubſequuta, ut ciuilis diſciplinæ ortum inueſtigaret.

5 Perijſſe aliquando artes, ac poſtea denuo inuentas eſſe probabili argumento demonſtratur.

6 Eſt ubi aureæ ætatis quaſi effigiem poſſimus intueri.

7 Qualem Cyclopum habitationē Hom. deſcripſerit.

8 Promiſcuos aliquando fuiſſe concubitus, uel ſi à ſacris paginis, non ta-

men à iuriſconſultorum ſententia eſt alienum.
9 Primorum hominum uictus, & ſuppellex.
10 Creduntur fuiſſe ſemper artes nonnullæ hominum naturę magis quaſi peculiares.
11 Apud quos populos fuerit rerum comunio ſeruata.
12 Præter ciuilem diſciplinam, aliæ duæ cauſæ ſunt quibus populorum moderatio, & probitas adſcribi poteſt.
13 Homines multò quàm alibi fuere ſceleſtiores Athenis, ubi tamē diſciplinarū omnium fuit domicilium.
14 Quanta ſimplicitate, & facilitate primi mortalium fuiſſe exiſtimentur.
15 Duo hæc pronomina, meum, & tuum, ad publicam quietem obturbandā quanti momenti ſint.
16 Quò pauciores primi homines erant, eò arctiori charitatis uinculo ſimul iungebantur.

## CAP. XII.

ILlud ante omnia conſtituendum cenſemus, hęc quæ ad humanæ ſocietatis, ciuiliſque diſciplinæ exordia, & progreſſiones attinent non eodem modo ab ijs accipi poſſe, qui iuriſconſultorum, uel philoſophorum coniecturas ſequuntur, atque ab illis accipienda ſunt, qui ſolam ipſam ueritatem diuinis ſcripturis expreſſam ſpectare uelint. Quandoquidem ſi nos Moyſis libros in manus aſſumamus, ueriſſimam, accurateque admodum traditam uniuerſæ hiſtorię ſeriem habebimus, Ac primò quidem totius terrarum orbis ortum, & prima quaſi incunabula, mox quæ paulatim ille habuerit incrementa, liquidò conſpiciemus. Verum illi quibus ex diuinis ſcripturis ueritatis lumen non affulſit, non tàm ueram primæ ipſius orbis terrarum originis fidem quæſierunt (cum imò ex ipſis plerique, ut qui Peripateticorum traditiones ſequuti ſunt, hoc quod conſpicimus mundi templum nullum unquàm initium habuiſſe, ſed perpetuò antea extitiſſe affirmarint), quàm naturę uim, humanarumque mentium facultates quaſdam conſiderarunt, atque illud coniectura aſſequi conati ſunt, quiſnam olim rerum ſtatus extitiſſet, ſi forte imperitorum, ac planè rudium hominum numerus aliquis fuiſſet (ut ob eam cauſam, quam poſtea dicemus, fuiſſe aliquando arbitrantur) qui nullam à maioribus ſuis uiuendi rationem, nullum cultum, nullas artes, nullaque ciuilis diſciplinæ pręcepta accepiſſent, quibuſque propterea, quantum in ipſis eſſet, & quantum naturæ præſidio adiuuarentur, rerum humanarum omnium ineunda ratio, ac totius uitæ modus inſtituendus fuiſſet: Idque hac rationę maximè nos conijcere poſſe arbitrati ſunt, ſi cauſas illas diligenter inquireremus, quibus conuentus hominum aliquos uerè fieri cœpiſſe literarum memoria proditum ſit, & uarias uarijs in locis ciuitates conditas, auctas, diminutas, & quacunque ratione mutatas fuiſſe, ac tùm ad uitia, tùm ad uirtutes incrementa ſumpſiſſe; Credibile enim eſſe ijſdem iſtis de cauſis rudes quoque illos, ac prope feros homines (quocunque tandem tempore illos extitiſſe proponamus) ad hunc humanum cultum, atque hanc, quam nunc habemus, ciuilem diſciplinam paulatim perueniſſe: Atque hæc in hunc modum accipi, & tractari debere egregiè docet nos

Plato

Digitized by Google

2 Plato 3. Dialogo de legib. Quanuis enim ipſe mundi ęternitatem, non affirmet,
in quo non parum à Philoſopho, ethnicoque homine obtinuiſſe uideri poſſu-
mus, minimè tamen ſperandum putat, ut ulla quiſquam inueſtigatione aſſe-
qui poſſit primum illud ſocietatis humanę exordium, aut progreſſiones, muta-
tiones, incrementa à quibus tàm longo ſeculorum interuallo nos abeſſe nō ignoremus.
Quę uerò his de rebus conijciunt philoſophi, eadem à iuriſconſultis recipiuntur, ac ſępe
etiam vſurpantur; ſiquidem eò pertinent, vt clarius nobis oſtendant, quæ ſit humanæ
naturæ uis, quantaq; hominum ingenijs opportunitas inſit ad totius ciuilis diſcipli-
næ rationem ineundam, quę omnia rectè cognouiſſe nobis apprimè neceſſarium eſt.
Verùm nos anteaquàm de primorum illorum, rudiumque hominum vita, & inſtitutis
aliquid dicamus, videbimus qua ratione contingere potuerit, vt homines aliquandò
planè rudes, atque artium omnium expertes fuerint, ac deinde reliqua ordine aperie-
3 mus. Quanta rerum humanarum uarietas, & inconſtantia ſit, apertiſſima expe-
rientia docemur; Etenim quemadmodum in altiori mundi parte mutationes fre-
quentes fiunt, ac perſæpè uariantur corpora cœleſtia aſpectibus, & locis, ita ut in-
terdum obliquo, interdum directo ſeſe trāmite intueantur, ac modò longiori, mo-
dò breuiori inter ſe diſtent interuallo: non ſecus in hac inferioris mundi parte,
quę forma modo & tempore, (vt dicebat Plato) cum ſuperiore illa conſentit, ali-
qui ſemper motus, rerumq; conuerſiones, ac uarietates maximæ contingunt. Hinc
morbi, peſtilentię, incendia, quę urbes totas uaſtare, & ad nihilum redigere in-
terdum ſolent: hinc etiam maxima illa aquarum diluuia, quibus non tantum vrbes,
ſed integrę Prouinciæ inundantur interdum, ac prorſus euertuntur, quale olim
Deucalionis temporibus in vniuerſa Græcia fuiſſe tradunt, tum cum lapidum ia-
ctu genus humanum fuiſſe reparatum antiquitas fabulata eſt. Toties verò contin-
gere hæc feruntur, quoties aſtra ſimul plura quibus illorum producendorum effe-
ctuum facultas ſit, locis aliquibus ita dominantur, vt cętera aſtra quorum natura con-
4 traria ſit, aut nullas, aut perparuas ijs tum in locis vires habeant. Faciamus ergo
(id quod & Plato hac ipſa in re ſibi ante oculos proponit) eiuſmodi infortunium
in Prouincia fortè aliqua contigiſſe, ita ut euerſæ fuerint ciuitates, atque habitato-
res ſimul ferè omnes perierint; Ex hac clade ſi pauci aliqui ſuperſtites eſſe potuiſ-
ſent, credibile eſt ſuperſtites potius fuiſſe agreſtes quoſdam homines in montium
cacuminibus degentes, ad quę non ita facilè aquarum eluuies peruenire potuerit.
Quo in loco hoc contigerit, ibi neceſſe eſt leges, mores, ciuilis diſciplinæ inſtituta
aboleta eſſe, arteſque itidem omnes intercidiſſe, tùm quæ ad nauigandi uſum
pertinent, tùm & alias omnes, ſiue ad ornatum ſpectent, ſiue ad uitæ com-
moditates referantur. Idipſum verò ſæpe contigiſſe eo argumento demonſtrat
5 Plato, quia multas artes quas antiquiſſimas eſſe ueroſimile eſt, ijs tamen tri-
buimus inuentoribus qui heri, aut nudiuſtertius uixiſſe dici poſſunt. Vt enim
mittamus cęteras, quæ à Dedalo, ab Orpheo, à Palamede, alijſque permul-
tis inuentæ fuiſſe creduntur. Quid eſt, quod Muſica antiquius videri debeat, aut
quod planè ubiq; omnium hominum naturæ, ingenijs, ac ſenſibus magis conueniat?
& tamen Marſyam, & Olympum non admodum antiquos homines ob muſicam inuē-
tam celebramus. Quare ueriſimilius eſt haſce artes omnes, eiuſmodi clade aliqua fuiſſe

 deperditas,

Digitized by Google

deperditas, ac variorum deinde hominum opera,& induſtria paulatim reſtitutas. Hic
iam primæ illius ætatis,quam auream vocant,expreſſam ( iudicio meo ) effigiem cerni 6
mus, ſiquidem paucos illos homines, quos in montium cacuminibus eius exitij cla-
dem euaſiſſe diximus, ijs rectè comparamus, quos initio generis humani extitiſſe do-
ctores tradunt. Illi enim & per ſe agreſtes erant, artiumq; omnium expertes, & ad
alios populos à quibus aliquid addiſcerent nauigare non poterant, tùm quia naui-
gandi artificio carebant, tùm etiam quia rudes, ac nullo adhuc uſu edoctos homines
(quemadmodum aduertit Plato) ea timiditate fuiſſe credibile eſt,vt ne quidem ex mon
tibus,in quibus degebant,deſcendere propemodum auderent, quòd aliorum montiũ
pendentes rupes ſpectantibus formidinem afferrent: quo fit, ut non minus illis totius
uitæ modus fuerit inſtituendus, ac ſi hæc tota orbis terrarum fabrica tunc nuper extru
cta fuiſſet. Hoc ita conſtituto nos in eam ſententiam facilè adducimur, vt tria illa veri
tati maximè conſentanea eſſe exiſtimemus, quæ huius primi temporis hominibus no-
ſtri tribuunt, nimirum quòd diſperſi per agros vagarentur, quòd res omnes cõmunes
haberent, & quod denique ſine probro,ac ſcelere uiuerent. Quibus ex rebus rectè con
cludi poſſe arbitramur,eos non modo legibus,ſed etiam magiſtratibus, & regibus tum
prorſus caruiſſe. Diſperſos eos habitaſſe Homeri teſtimonio probat Plato, eumq; pro-
pterea ſummopere laudat, quod in habitatione Cyclopum deſcribenda rudium ho- 7
minum inſtituta, atque ingenitam ipſis naturæ uim diuinitus expreſſerit, cum dixit Cy
clopas publicis rebus ſpretis priuatas tantum curaſſe, filijs & vxoribus iura dediſſe,
ac propterea diſperſas altis in montibus familias obſcuros antrorum receſſus habitaſ-
ſe, id quod etiã in auibus,alijſq; feris animantibus obſeruamus, inquit ergo Homerus.

Concilium ijs nullum eſt, ijs nulla forenſia prætor
Iura dat, obſcurum ſed in altis montibus antrum
Soli habitant, nihil hos aliena negocia tangunt
Vxori tantum & natis ius dicere docti.

Neque verò erat illorum vita, qualem
Tullius nobis deſcribit in lib. de amic. & quam dicit neminem non planè ferreũ
laturum eſſe, vt ſi cuipiam in ſolitudine aliqua collocato alterius hominis omnino
aſpiciendi facultas eſſet adempta: quandoquidem illi mutuo omnium inter ſe aſpe-
ctu maximè delectabantur, ac cum filijs, & vxoribus,iucundam, & ſuauem vitam dege
bant. Vxores tamen ipſis non magis peculiares fuiſſe exiſtimandum eſt, neq; magis
certos fuiſſe liberos,quàm brutis animantibus eſſe ſoleant:Nam qui nuptias nondum 8
viderant legitimas, neq; filios ſatis certos habere poterant,vt ſentit Iuſtinianus in autẽt.
quib. mod. nat. effic. ſui.§.natura.Ac fuſius, doct. explicant, vt Alberic. in l.j.§. ius na
tur.ff.de iuſt.& iur.Bar.in l.3.ff.de cõcub.Bal.Nouel.in tractatu de dote ĩ 3. parte nu.7.
At neq; illud à ueritate alienũ eſſe arbitramur,quod dictũ eſt primo illo, & aureo ſeculo
res omnes fuiſſe cõmunes; Idque nõ tantum quia conueniat teſtimonio Hermogenia-
ni in l.ex hoc iure.ff. de iuſt. et iu.vbi dũ dicit iuregẽtiũ diſtincta eſſe dominia,oſtẽdit ea
aliquando fuiſſe communia, item & Gratiani in cap. ius naturale. 1. diſtinct. qui re-
rum cõem aliquando fuiſſe poſſeſſionem expreſſim affirmat, ſed etiam quia naturali
rationi maximè conſentaneum eſt; Cum enim nullus tunc diuitiarum uſus eſſet, nihil
erat quòd res proprias tibi quiſquã compararet. Nec dum uerò aurum, aut argentum
inuentum fuerat, quibus rerum omnium æſtimatio fieri poſſet; De rebus porrò ipſis,
præſertim quæ ad uictum ſpectarent, nihil erat quòd ſolliciti eſſent: ſiquidem tunc et 9

lactis

Digitized by Google

lactis copia erat maxima, & uariæ inſuper uenationes facilè quęrentibus uictum ſuppe ditare poterant, quanquam permultos etiam montanis fragis, glandibus, cornis, moris, aliiſq; fructibus agreſtibus fuiſſe cõtẽtos credendũ eſt, ſicq; arbitrat̃ Ouidius cũ inquit.

Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbutos fœtus, montanaque fraga legebant
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis
Et quę deciderant patula prius arbore glandes.

Veſtitus præterea ipſis deeſſe nõ poterat, cum pro ueſtitu ferè pellibus ferinis uterẽtur; Domibus vero nihilo magis indigebant, quippè qui arborum truncos, aut certè antra habitabant, ut Cyclopas feciſſe ex Homero traditum eſt. Stramenta deniq;, & terrea uaſcula illis abunde aderant, ſi Platoni aſſentimus, qui exiſtimat artibus quibuſdam eos non caruiſſe, vt quę ad texenda ueſtimenta, uaſculaque ex lino fingenda attinent, ubi ferri vſu minime opus eſt. Has enim artes putat ipſe Deum ſummum & opti-
10 mum magis hominibus quodammodo peculiares eſſe voluiſſe, idque ea ratione, ut ſi quando in eiuſmodi calamitatem incidiſſent, commodius & uitam degere, & genus humanum propagare poſſent. Atque his perſimiles Scytharum mores deſcribit Iuſtinus lib. 2. Aurum (inquit) & argentum perinde aſpernantur ac cęteri mortales ap„ petunt, lacte, & melle ueſcuntur, lanę ijs uſus, ac ueſtium ignotus, & quanquam conti„ nuis frigoribus uruntur, pellibus tamen ferinis, atque murinis utuntur. Vbi vero de„ mus ea mortalibus copioſe ſuppetere, quę ad uitę uſum neceſſaria ſint, non tam ipſis innata diuitiarum cupiditas eſt, quin communio inter ipſos aliquandiù cõſeruari poſsit. Vt enim Platonis Remp. mittamus, quam fortaſſe dices ex ſuis tantùm idęis illumdeſumpſiſſe, neque in hominum mores, & conſuetudinem (id quod illi obijcit Ariſtote-
11 les) introduci poſſe, multos certè populos fuiſſe legimus, qui in rerum omnium cõmunione conſtantiſſimè perſeuerarunt. Etenim Melá teſtis eſt Garamãtas in externis Aphricę partibus degentes cõmunia habere in Repub. omnia. Diodorus etiã inſulam in Oceano meridiem uerſus deſcribit, in qua præter alia omnia cõmunes etiam ſint uxores, atq; eius loci incolas dicit eſſe Philoſophiæ, atque Aſtrologiæ admodum ſtudioſos: ſimilẽ quoque cõmunionem inter Philoſophos Brachmanas Gymnoſophiſtas, Eſſeos, Pythagoricos fuiſſe accepimus. Nec quiſquàm eſt quem prætereat apud primos ſanctiſſimæ noſtræ religionis authores maximam non modò animorum, ſed rerum planè omnium conſociationem extitiſſe: quos ipſos etiam ætate noſtra permulti religioſi homines imitantur, qui propriis rebus omnibus relictis diuino cultui ſeſe penitus addixerunt, nec locum tãtum cõmunem habitant, ſed cæterarum etiam rerum omnium communione vtuntur, iuxta tradita in clem. Exiui de paradiſo de verb. ſignifi. Itaque nemini mirum videri debet quòd cum Hermogeniano dicamus primos illos, & rudes homines res cõmunes aliquandiu retinuiſſe; ac deinde qui poſterioribus temporibus ſequuti ſunt iureq; gentium vti cœperunt rerum dominia diſtinxiſſe iuxta illud.

Communemq; prius ceu lumina ſolis, & aurę
Cautus hominum longo ſignauit limite menſor.

Poſtremò dicebatur homines ſine probro, ac ſcelere tum vixiſſe, quod ipſum ſi quis ita prorſus affirmare vellet, vt propterea diceret nullum planè fuiſſe, qui in vllius vnquàm rei, puta glãdium, vel cubilium contentionem veniret, ego nequaquàm aſſentiendum putarem; Satis enim veroſimile mihi videtur, quod tradit Cicero lib. 1. de inuentione propter errorem, & inſci

tiam

etiam in quibuſdam interdum contigiſſe, vt cæca, ac temeraria dominatrix animi cupiditas nulla inſtitutione ſedata, ac delinita ad ſe explendam viribus corporis tanquàm perniciosis ſatellitibus vteretur. Verumtamen ſi non tantùm hunc, & illum hominem, ſed generatim omnes ſpectemus, atq; in vniuerſum coniicere velimus, quales eſſent ij homines, qui primo illo ſeculo vixerunt, multò probabilius arbitramur id quod & Plato affirmat, longè maiorem, quàm noſtrę ętatis hominum ſit, fuiſſe illorum probitatem, & continentiam, ſanctiores mores, atque iuſtiores, neque tàm multas (vt nunc paſſim audiuntur) ſeditiones, & controuerſias eo tempore extitiſſe. Nam vel ſi ad morum 12
probitatem momenti non parum habeat recta inſtitutio, atq; hæc ciuilis diſciplina, qua illi ſi non prorſus, at certè maxima ex parte caruere: tamen præter hanc animaduertimus alias duas cauſas eſſe, quibus cõmunis quędam populorum probitas, & iuſtitia meritò adſcribi poteſt. Prima cauſa eſt ignorantia vitiorum, quę magis forſan hac in re prodeſt, quàm virtutis cognitio, ſi Iuſtino credimus, qui lib. 2. poſt Scytharum commendatam probitatem ita ſubiicit.

Tantò plus in illis proficit uitiorum ignoratio, quàm in alijs cognitio uirtutis. Atque huius rei argumentum maximum eſt quòd Athenis, ubi uelut proprio quo- 13
dam in domicilio diſciplinarum, optimarumq; artium omniũ ſtudia floruiſſe non ignoramus, improbiſſimos tamen uixiſſe homines, ac multò etiam quàm alibi ſceleſtiores literarum monumentis proditum eſt, ut non minorem ſcelerum, ac flagitiorum, quàm uirtutum peritiam ibi ſe adeptos eſſe facilè declararent. Ex hoc uerò rectè concludemus primos illos homines quanto minus rerum uſu, & experientia ualebant, tantò etiã meliores, ac iuſtiores fuiſſe. Erant enim (ut recte conijcit Plato) ſumma ſimplicitate, 14
& facilitate; neminem ſuſpectum habebãt, utpote qui nullius adhuc dolos, ac uerſutias experti erant; ſi quæ recta, & honeſta eſſe audiſſent, illico fidem adhibebant, ac ſicuti armorum fabricandorũ peritia, & tractandi ferri artibus carebant, ſic etiam artes illas ignorabant, quibus nunc mortales dolis, & fraudibus ſeſe mutuo circumueniunt, quibuſq; factum eſt, ut iam non fuſtes ad ulciſcendas iniurias ſatis eſſe exiſtimatũ ſit, ſed in terræ uiſcera itũ fuerit, indeq; ferrum extractum, quo ſe mortales mutuis uulneribus crudeliſsimè trucidare poſſint. Altera cauſa eſt quæ probos homines, ac temperatos, uel ſaltem à ſcelerum cogitatione alienos reddat, nimirum ipſorum ſcelerum occaſiones amputare, quod tum maximè fit, cum diuitiarum uſus adimitur, tunc enim ſimul & cupiditas tollitur, quę flagitiorum omnium ſolet eſſe cauſa. Quocirca pulchre Iuſtinus ibidem Scythas hoc nomine commendat. Hæc continentia (inquit) illis morum quoque iuſtitiam dedit, nihil alienum concupiſcentibus, quippe diuitiarum cupido ibi eſt ubi & uſus. Vbi diuitiarum vſus, & oſtentatio eſt, ibi luxuries ſemper creatur, ex luxuria exiſtat auaritia neceſſe eſt, ex auaritia erumpat audacia, indeque omnia ſcelera, & maleficia gignuntur. Neque alia ſanè ratio eſt, cur in uita ruſtica, quæ à luxuria magis aliena, ac quaſi parſimoniæ magiſtra eſt, pauciora flagitia reperiamus, quàm in hac urbana, ciuiliq; uita; Rectè enim Cicero ut non omnem frugem, atque omnem arborem in omni agro reperire poſſis, ſic non omne facinus in omni uita naſci poſſe arbitratur. Quę cum ita ſe habeant, negari non poteſt, quin hac quoque de cauſa à compluribus uitijs primi illi homines fuerint alieni, quibus nunc mortales omnes maximè obnoxij ſunt. Nam cum res omnes (ut dictum eſt) communes haberẽt, nullum apud ipſos inter inopes, & diuites diſcrimen extabat: erantque propterea ab in

uidijs

Digitized by Google

uidijs, atque æmulationibus alieni, à quibus iniuriæ omnes, & contumeliæ proficiſcũtur. Furta quoque, & rapinas, atque alia eiuſmodi delicta, quæ ſæpenumero inopes homines partim ob diuitiarum cupiditatem, partim quoque egeſtate coacti patrare ſolẽt, minus apud eos extitiſſe credibile eſt. Ac propterea etiam exiſtimandum eſt, accerrimis illis odijs eos caruiſſe, quibus ſæpe humiles, ac tenui fortuna homines (quod ſe contemni, ac pro nihilo haberi ſuſpicentur) potentes, ac diuites proſequuntur, unde etiam nouas res quęrunt, motuſque ſemper aliquos, ac rerum conuerſiones moliuntur. Quibus ex cauſis concludebat Plato (ut eſt apud ipſum lib. 5. de Repub.) ſola eſſe hæc duo
15 pronomina meũ, & tuũ, quæ tàm multas, q̃bus quotidie uexamur, lites, ac ſeditiones pariãt, quę ſceleribus ac flagitijs omnibus occaſionem prębeãt, ideoq; miſerias & ærũnas ubique maximas mortalibus afferant, ac denique omnibus ſemper in locis publicam quietem, & tranquillitatẽ impediant. Pręter has duas poſſumus aliam inſuper ex eiuſdẽ Platonis ſententia primorum illorum hominum probitati cauſam aſſignare. Exiſtimat
16 enim ipſe feciſſe tum hominũ paucitatem, ut pauci illi ardentiori quadam ſeſe inuicem beneuolentia complecterentur, quæ illorum animos firmiſſimo uelut nodo deuinciret, atque à cædibus, iniurijs, & contentionibus alieniſſimos redderet. Hæc latius aliquanto cenſuimus explicanda, ut probè intelligeretur, non abſurda eſſe, neque ex ſolis Poetarũ fabulis eſſe deprõpta, quæ de aureo illo ſeculo noſtri interpretes tradunt, cum ſcilicet Iuſtitia ingenijs potius, ac moribus culta, quàm legibus erat, ipſiq; homines ferarum more fuſi per agros uagabantur. Quandoquidem ſi illud aliquando contigiſſet, quod ſupra diximus, ita tuliſſet hominũ natura, ut talẽ uitam degerent, qualem antea deſcripſimus Vndè Cicero in oratore pro P. Sextio. Quis ueſtrum (inquit) iudices ignorat ita naturã " rerum tuliſſe, ut quodam tempore homines, neque naturali, neque ciuili iure deſcri- " pto fuſi per agros uagarentur, &c. Quod uerò diximus illorum facilitatem, probitatem " atque iuſtitiam facere potuiſſe, ut ſine legibus uiuerent, probat etiam Tacitus lib. 3. vbi Vetuſtiſsimi (inquit) mortalium nulla adhuc mala libidine ſine probro, & ſcelere eoq; ſi- " ne pœna & coercionibus egebant, nec premijs opus erat, cum honeſta ſuopte inge- " nio peterentur, & ubi nihil præter morem cuperent, nihil per metum uetabantur. "

Sic puto iã defenſa eſſe illa omnia, quę de prima ętate frequentiori calculo recipiunt.

## ARGVM.

POſſe noſtros interpretes in eo quoque defendi, quod de manu regia frequentius ſenſerunt, quicquid contra nonnulli recentiores exiſtimauerint.

1 Prima hominum ſocietas, domus.
2 Pluribus iunctis domibus fit pagus, altera nimirum ſocietas ſecundũ naturam.
3 In pago imperabat qui ex tota illa conſanguinitate omnium natu maximus erat.
4 Tertia Societas ſecundum naturam eſt ciuitas, quæ iunctis ſimul pagis conſtituitur.
5 Quælibet ciuitas ſe ipſa contenta eſt, ita ut plures eidem regi ſubijci ciuitates natura minus ſit neceſſarium.
6 Regem aliquem imperare, an ſit naturæ conſentaneum.
7 Initio ciuitatis Romanæ quale regũ imperium extiterit.
8 Mar. Socini & Voco. argumenta diluuntur, quibus probabant nec manum Regiam, nec Regna ulla ante leges ciuiles, ac magiſtratus eſſe potuiſſe.

Fuerintne

9 Fuerintne ciuitates antequã cõderētur leges, ac magiſtratus crearentur.
10 Ciuitatis diffinitio ex Ariſtotele.
11 Non eo modo manum Regiam doctores accipiunt, quo Voconius exiſtimat.
12 In actione duo conſiderari poſſunt.
13 Quid potiſſimum faciat actionem eſſe.
14 Quomodo rectè dicatur iure gẽtium agi, ſi actiones à iure ciuili inuentæ ſunt.
15 Quare condictio potius iuris gentium ſit, quàm actio rerum amotarum.
16 Quomodo manus Regia potuerit dici remedium ad exigendum.
17 Quæ prius authoritas debitoris compellendi in ſolo Rege poſita erat, hodie nõ tàm in iudice quàm in ipſis actionibus reperitur.
18 Iudices iurant ſe leges ſeruaturos, nec niſi ex cauſa poſſunt ab ipſis recedere.
19 Punitur iudex, qui legitimam actionẽ proponenti iuſtitiam non miniſtrauit.
20 In iudice punitur uel ſola negligentia.
21 Qua ex re fiat, ut quæ naturali æquitati cõueniunt, iuris ciuilis tamen eſſe dicatur.

## CAP. XII.

VT uerò deinceps etiam quantum ad ſecundam ętatem ſententiam noſtram exponamus, id quod frequẽtius traditur, hoc ipſo tempore nullas fuiſſe leges ciuiles, ſed manu regia omnia gubernari cõſueuiſſe, minime (ut quidam faciũt) improbamus, ſed ueritati maxime conuenire arbitramur. Id uero ita eſſe rectiſſimè intelligemus, ſi prius cum Platone, & Ariſtotele ſocietates nonnullas, ac ciuilis diſciplinę quaſi figuras nobis ante oculos poſuerimus, quibus quaſi gradibus ciuitatum gubernationes, atque imperia ad hunc, quem nunc uidemus, ſtatum paulatim perducta fuere. Prima ſocietas inter mortales ſecundum naturã conſtituta eſt, quam Ariſtoteles lib. 1. Politic. domum, ſeu familiam appellat, aitque quotidiani uſus cauſa eſſe conſtitutam, in qua qui degunt non ciues, ſed conuictores, & contubernales dici poſſunt. Hæc eſt quam ſolam primo illo, & aureo ſeculo extitiſſe concluſimus, quo tempore maritus tãtum, & uxor cum filijs ſuis ſimul degebant, ſicque plures erant familiæ inter ſe diſtinctæ, quę uarijs in locis diſperſę habitabant. Poſtea uerò numero hominum paulatim excreſcente cum ex ſingulis domibus plures domus, ſeu familię factæ eſſent, credibile 1
eſt eas eo ipſo in loco, unde primùm prodierant, ſimul iunctas perſtitiſſe, eumque locũ uallo, & foſſa muniendum curaſſe, Faciebat enim hæc multorum coniunctio, & conſociatio tùm ut à feris (quemadmodum inquit Plato) omnique ui externa tutiores eſſent, tùm etiam, ut uitæ iucundius, commodiuſque degendę multa inde adiumenta reportarent. Hanc ſocietatem Ariſtoteles pagum appellat, quę quanuis poſterior ſit ea ſocietate, de qua proxime meminimus, prima eſt tamen inter ſocietates illas, quę alia quã quotidiani uſus cauſa conſtitutę ſunt. Pagum porrò illum maximè ſecundum naturam putant eſſe Ariſtoteles (ut eſt apud ipſum lib. 1. politic. cap. 1.) qui ex conſanguineorum propagatione perficitur, eumq; ita regi ſolitum arbitratur, ut quemadmodũ domui paterfamilias iura dabat, ſic qui in illa tota conſanguinitate omnium natu maximus erat, pagum ipſum regeret, ac gubernaret. Huius rei ueſtigia in Regno Neapoli- 2
tano cernuntur, ubi pleræq; ciuitates in pagos diſtributæ ſunt, ex ijs uerò pagis ſunt nonnulli qui certarum familiarum cognomen tanquam proprium retinent, ut facilè intelligas ex unius domus propagatione aliquandò totum aliquem pagum effectum eſſe. Tandem uerò ſicut pluribus domibus ſimul iunctis pagi fuerant cõſtituti, ita ijſdẽ 3
planè de cauſis ipſi quoq; pagi poſtea ſimul iungi cęperunt; quantò enim maior eſſet hominum multitudo unum in locum congregata, tantò maiores ex mutuis inter ſe commer-

commercijs utilitates ſperabant, ac tantò etiam tectiores contra quamcunque uim ex-
ternam ſe futuros confidebant. Vnde tertia ſocietas conflata eſt, quam ciuitatem appel
lamus. Vna hęc ſocietas ex prædictis tribus ſe ſola contenta eſt, earumque rerum
5 omnium finē aſſequitur, quæ ad bene, beateq; viuendū neceſſaria ſunt, Quanuis enim
& alia quædam ſocietas reperiatur, cui Plato, & Ariſtoteles quartum, & ultimum lo-
cum tribuunt, quæ tunc conſtituitur, cum plures ſimul iunguntur ciuitates, quæ uni
eidemque regi ſubijciantur, tamen hoc natura minus neceſſarium eſt, cum ſingulę per
ſe ciuitates eiuſmodi ſint, ut rectè gubernari, & omni ex parte publicæ fęlicitatis ſcopū
pleniſſimè aſſequi poſſint. Veruntamen huic quoque ultimę ſocietati naturalem ori-
ginem Ariſtoteles tribuit, eam nimirum quādo aliqua in ciuitate, quæ uni regi ſubijcie
batur, hominum numerus in eum modum auctus eſt, ut ex illorum uelut propagatio-
nè plures ciuitates ortæ fuerint. At ſiuè plures ab eodem regantur ciuitates, ſiuè una
tantùm, hoc unum certè quod cœtus multorum alicuius poteſtati ſubijciantur uſq;-
6 adeò ex mortaliū omnium ſententia, naturæ conſentaneum eſſe uidetur, ut propterea
gentes ferè omnes ſuos illos quoque commentitios Deos regē habere exiſtimauerint.
Idque non alia de cauſa (vt tradit Ariſtoteles in loco ſuperius adducto) niſi quia cum
& formas humanas Dijs tribuerent, & alia, quæ hominibus naturalia ſunt, hoc ipſum
quoque quod ab uno cæteri regantur, hominum naturæ maximè conuenire iudica-
runt. Hiſce quaſi gradibus ad eum locum peruenimus, ut iam ex ijs quæ diximus, fa
cilè defendi poſſint quæ de manu regia ſenſerunt noſtri interpretes cum dixerunt, re
gum poteſtatem tum prorſus liberam fuiſſe, ac nullis iudiciorum regulis, nulliſque-
alijs legibus adſtrictam. Quemadmodum enim prima ſocietate liberum patris im-
perium erat, ac de ipſius tùm prudentia, tùm beneuolentia vxor, & filij maxime confi
debant, quemadmodum etiam in pagis, quibus ſecundam ſocietatem diximus conti
neri, liberè omnia committebant illius cōſilio, qui inter omnes cōſanguineos natu ma-
ximus erat, ſic poſteaquā pagis ſimul iunctis in ciuitatem congregati fuerunt, atque ex ſe
nioribus illis, qui prius ſingulos pagos ſinguli regebant, regem ſibi aliquem delegerūt,
qui prudentia, & conſilio cæteris præſtaret, nihil minus uerisimile eſt, quàm ut illicò
ipſi regi facultatem legibus coarctare, ac quaſi manus alligare uoluerint, ſed multo ue-
roſimilius eſt eandem quam domus patriſamilias, ac ſeniori pagus poteſtatem dabat,
regibus quoque ſuis ciuitates conceſſiſſe, & tunc tantùm leges eſſe conſtitutas, cum cœ
perunt reges à recto rationis tramite declinare, tunc enim maxima cum ratione fa-
ctum eſt, ut alij eiectis regibus leges poſuerint, alij uerò retentis regibus legum quaſi
frena ijs iniecerint, propterea quòd unius effręnatæ libidini uitam, & fortunas omnium
committere exitioſum eſſe compeiſſent. Verùm ante id tempus credendum eſt arbi-
tria principum pro legibus extitiſſe. Atque hanc ipſam coniecturam (quando præter
coniecturam eiuſmodi in rebus nullum aliud firmius argumentum habemus) ſequitur
Iuſtinus lib. 1. ubi ita inquit. Principio rerum, gentium, nationumque imperium pe
nes reges erat, quos ad faſtigium huius maieſtatis non ambitio popularis, ſed ſpe-
ctata inter bonos moderatio prouehebat, populus nullis legibus tenebatur, arbitria
principum pro legibus erant. Idem dicit Pomponius initio ciuitatis Romanæ fuiſ-
7 ſe ſeruatum, ut regis unius manu omnia gubernarentur. l. 2. in princ. ff. de orig. iu.
Quanuis uerò tunc quoque aliquæ forſan conſuetudines eſſent, non tamen impe-
diebāt, quominus latiſſima regis eſſet facultas, à quo uno illæ quoq; (qualeſcūq; eſſent)

L conſue-

conſuetudines,atq; inſtituta penderent. Atq; hoc ipſum non tantũ apud populum Romanum fuiſſe, ſed etiam apud alios omnes, tùm cùm primum homines unum in locũ congregari cœperunt, iuriſcõſulti paſſim liquidò oſtendunt, dum dicunt prius fuiſſe introducta bella, diſtincta dominia, regna condita, ac deinde poſteriori tempore conditas eſſe leges ciuiles, ut in l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iur. & §. ſingulorum iuncto. §. Item ea, quę ab hoſtibus. inſti. de rer. diuiſ. Si ante leges ciuiles regna fuerunt, neceſſe eſt talia fuiſſe regna, in quibus latiſſima, ac planè libera regis poteſtas eſſet. In hunc modum rectè confirmantur quæ de manu regia doctores tradunt. Sicq; etiam optimè diluuntur argumenta, quę contra hanc communem ſententiam ſuperius allata fuerunt. Nam quod primò Voconius, & Socinus dicebant, hęc quę de manu regia doctores cõminiſcuntur, nullo in loco probari, probè iam dilutum eſt, cum uiderimus hæc non tantum naturali ratione, ſed etiam Iuſtiniani, aliorumq; iuriſconſultorum authoritate probari, atq; aliorum inſuper probatiſſimorum authorum teſtimonio cõfirmari. Neq; porrò prætereundum hîc eſt Tullij teſtimonium, qui lib. 2. offic. de legum conſtituendarum, ac de creandorum regum cauſis ita loquitur, ut minimè dubitet, quin legum ciuilium conſtitutionem regum authoritas anteceſſerit. Eadem (inquit) conſtituendarum legum cauſa fuit, quę regum, ius enim ſemper quęſitum eſt ęquabile, nec enim aliter eſſet ius. Id ſi ab uno iuſto, & bono uiro conſequebantur, eo erant contenti, cum id minus contingeret, leges inuenere, quæ cum omnibus ſemper una, atque eadem uocè loquerentur. Obijciebatur illud præterea quòd cum iudicia, & magiſtratus pars ciuitatis ſint, ut docet Ariſtoteles lib. 4. & 6. Politic. nunquam uidetur illud tempus eſſe potuiſſe, cum reges imperarent in ciuitate, iudicia uero & magiſtratus non extarent. Reſpondetur ad hoc, magiſtratus, & iudicia, qualia nunc habemus, hoc eſt certis regulis adſtricta, tunc eſſe cæpiſſe cum leges ſcribi cœperũt. §. ſingulorum inſt. de rerum diuiſ. l. 2. §. hæc diſputatio. ff. de orig. iur. Accurſ. Inſt. de obliga. in principio in uerbo neceſſitate. At conſtat ante leges ciuiles regna fuiſſe condita; ſed quo modo (dixerit aliquis) reges eſſe poterant, ſi non erant ciuitates, quibus reges prę eſſent? Ciuitates uerò non fuiſſe teſtatur Iuſtinianus in d. §. ſingulorum ubi perſpicuè ſentit eodẽ planè tempore, & ciuitates eſſe, & magiſtratus creari, legesque ciuiles ſcribi cœpiſſe. Verùm aduertendum eſt, quanuis nondum eſſent ciuitates, fuiſſe tamen cœtus hominum ex pluribus pagis (ut diximus) conſtitutos. At uiſum eſt Iuſtiniano eas hominũ conſociationes nõ appellare ciuitates, niſi poſteaquã legibus, & magiſtratibus munitę inſtructęq; ſunt, neq; abhorret hæc ſentẽtia Iuſtiniani ab Ariſtotelis ſentẽtia, qui lib. 2. Politi c. c. 6. non quamcunq; generum, pagorumq; coniunctionẽ, & ſocietatẽ putat ciuitatem dici poſſe, quanuis ad communem uitæ, fortunarumq; ſecuritatem ea ſocietas comparata ſit, ac faciliorem commerciorũ uſum, utilitatũ omnium opportunitatem, & copiam prębeat. Nã hæc quidẽ omnia (ut ciuitas ſit) dicit eſſe neceſſaria, ſed illud prętererea requirit, ut hęc ſocietas omni ex parte, eiuſmodi ſit, quæ ad benè, beateq; uiuẽdũ per ſe ſatis eſſe poſſit, ac nullo planè alio ad uitã perfectam egeat adminiculo, cum ciuitatẽ definiat eſſe gentium, uirorumq; in uita perfecta, ſeq; ipſa contenta cõmunionẽ. Talis uero eſſe non poteſt, niſi in ea, & magiſtratus adſint, & certę leges conſtitutæ ſint, quibus cõmerciorum modus, & ratio, publicorũ munerũ obſequia, connubiorũ iura, tum & neceſſitudinum, affinitatum, ſucceſſionũ, atq; id genus alia contineantur. Quæ priusq̃ legibus cõprehenſa eſſent, erant tñ hominũ cœtus, in quibus à regum poteſtate

8 9 10

hæc

hæc planè omnia pendebant,ſicq; regia manu(ut rectè concludunt noſtri interpretes) omnia gubernabãtur, Quanquã neq; ex uerbis Iuſtiniani in d.§.ſingulorũ,neceſſario illud colligitur, ut quo tempore ciuitates conditæ fuerunt, etiam magiſtratus illicò creatos,& leges ſcriptas fuiſſe exiſtimarit. Vnum illud reſtat,ut poſtquã uidimus uerè aliquandò fuiſſe manũ regiam,uideamus an in eo ſaltẽ doctores reprehendendi ſint(ut à quibuſdã reprehendũtur)quòd dixerint manũ regiã fuiſſe ius,& remediũ ad aliquid exigendum,in cuius locũ poſtea actiones iure ciuili fuerint ſubrogatæ. Atquî certe ſi ſentirent manũ regiam fuiſſe loco actionis,hoc eſt loco illius æquitatis, quę ex cõuentione, aliove facto proficiſcitur, atq; actioni quaſi materiam præbet,ita ut ſine ullius ęquitatis
11 adminiculo,ſola ad agendum manus regia ſatis fuiſſet, quemadmodũ ſenſiſſe doctores interpretatur Voconius.d.declar. 9.negari nõ poſſet, quin iure optimo eſſent reprehẽdendi,ſed hoc Barth.Salyc. Butrien. alijq; qui de manu regia locuti ſunt, nè quidẽ unq̃ ſomniarunt.Quis enim nõ uideat,ut nunc actio iuſtitię & æquitatis fundamẽto ſubnixa eſt,ita tunc quoq; eum,qui petebat,æquitatẽ petitionis aliquã præ ſe tuliſſe,cuius maximè rex in iudicando rationem haberet?Nemo igitur non ſtultiſsimus affirmauerit manum regiam huius ipſius æquitatis locum obtinuiſſe, nemoq; dixerit actionem quatenus ea fouetur æquitate,in locum manus regię fuiſſe ſubrogatam.Verúm ſi doctores ea de cauſa reprehendamus, quod dixerint manum regiam eſſe remedium ad cogendum debitorem, & actiones prout cogendi remedia ſunt, in eius locum iure ciuili fuiſſe ſubrogatas,dubitandum non eſt,quin iniquè illos accuſemus; Et quoniam explicatione
12 hoc potius eget,quàm diſputatione,aduertendum eſt in actione duo cõſiderari poſſe. Primò æquitatẽ illam naturalem,quę poſtulat,ut is qui contraxit puta, uel deliquit cõpellatur ad ſoluendum, & cuius pręſertim contemplatione actio ipſa conceditur. Secundò poſſumus in actione conſiderare fomentum illud, & eam iuris ciuilis poteſtatẽ quę ipſi actioni robur, ac quaſi ſpiritum præbet, quo ualeat debitorem urgere, eique ſoluendi neceſſitatem afferre. Si ſolam ſpectes æquitatem non rectè hoc reſpectu dixeris actionem eſſe remedium ad cogendum debitorem, nam ab hominibus inuẽta ſunt remedia,ut ſuffragarẽtur naturali Iuſtitię & æquitati,quo minus ea ab improbis hominibus uiolaretur. Quocirca cum remedio æquitas egeat,æquitas ipſa nõ rectè remediũ dicetur:neq; enim eadem ſibi ipſi remedio eſſe poteſt. Imo hac inſpecta neq; actionis
13 nomine rectè actionẽ ipſam nuncupabimus,quandoquidem hęc æquitas nõ eſt quæ faciat actionem eſſe,quanuis eius fundamentum ſit,ſicut & realis actionis fundamentum eſt dominium, non tamen dominium eſt, quod illam faciat eſſe actionem, ut ſupra oſtendimus ſentire Iuſtinianum.in §.ſed iſtæ,uerſ namq; inſt.de actio. Quod ſi in actione iuris ciuilis facultatem conſideres,quæ cogendi uim,ac facultatem pręſtat, rectè ob id ipſum poteris actionem,& remedium appellare,ſiquidem nihil aliud eſt, quod læſæ æquitati pręſidium afferat, & maximè faciat actionem eſſe,quàm uis illa,atque ille quaſi ſpiritus,quem ex legibus ciuilibus petitio deſumit,id quod aperte oſtendit Pomponius in d. l. 2. §. deinde. ff. de orig. iur. cum dicit ex legibus 12. tabul. deſumptas eſſe actiones, ut clarè ſupra ipſius uerba perpendimus. Oſtendit etiam hoc Iuſtinianus in diffinitione obligationis inſt. de obliga. in princ. quo loco cum uelit definire eam obligationem,quæ actionem producat, illud exigit,ut ſecundũ Romanæ ciuitatis iura neceſſitatem afferat,id quod ſola æquitas ( quocunque tandem illa ex fonte profluat) efficere non poteſt. Vnde concludendum eſt,iuregentium ante legum ciuiliũ cõ

 ſtitutionem,

Digitized by Google

ſtitutionem, quanuis tunc quoque naturalis ęquitas extaret, actiones tamen ipſas non
extitiſſe. Nec tamen propterea inficiamur, quin rectè dici poſſit iure gentium agi, qua 14
loquendi formula utitur Martianus in l.rerum quidem.ff. rerũ amotarũ, quod nõ ideò
dicitur, quia actio iuriſgentium ſit (ſiquidem ius gentium ad agendum nihil aliud prę-
ter æquitatem illam affert, quę, ut fuit demonſtratum, actio dici non poteſt) ſed quia ius
ciuile in actionibus concedendis, præexiſtentem aliquam materiam exigit, uelut tradi-
tionem, promiſſionem, aut id genus alia; atque hæc materia iuriſgentium eſt, neque in
ea iuris ciuilis miniſterium ullum agnoſcitur, niſi quatenus lex ciuilis interdum decer-
nit, ut ex uno aliquo facto hæc potius quàm illa actio competat, tunc enim aliquo mo
do poteſt uideri actio à lege ciuili etiam materiam habuiſſe, ueluti cum ſtatuit lex pro re
bus ab uxore ſubtractis, non furtiua, ſed rerum amotarũ actione maritum uti debere;
Sic fit ut in eadem propemodum ſpecie rectè utrunq; dicamus, & iuregentium agi, &
agi iure ciuili; Iure ciuili, cum agi poteſt rerũ amotarũ, Iure gentium quando non po-
teſt agi rerum amotarum, ſicuti tunc non poteſt agi, quando ſine diuortij conſilio res 15
amotę fuerunt, tunc enim condicere poſſumus ob eam æquitatem iuriſgentium, quę
iudicem admonere poteſt, ut quod quiſque non ex iuſta cauſa poſſidet, ab eo illud au-
ferat, & ita accipienda ſunt uerba Martiani in l.rerum quidem in fin.ff. rerum amot.ibi.
« Licet (inquit) ceſſet rerum amotarum actio, tamen ipſas res maritus condicere poteſt.
« Nam iuregentium condici puto res poſſe ab iis, qui non ex iuſta cauſa poſſident. Itaq;
ex his uerbis non rectè colligitur, ut colligunt multi, iure gentium ante conditas leges
ciuiles, actiones extitiſſe. Reliqua porrò argumenta, quibus id probare contendunt,
non ſunt eiuſmodi, ut in iis refellendis tempus conterere debeamus. Itaque ſi hoc reti-
nuerimus, quod ueriſſimum eſſe hucuſque demonſtrauimus, eo ipſo maximè actionem
dici poſſe, quòd authoritate iuris ciuilis robur, ac cogendi facultatem acceperit, atque
hac ſola de cauſa poſſe actionem remedium appellari, non rectè eos reprehendemus,
qui ſentiunt manum Regiam fuiſſe remedium exigendi, & quidem remedium eodem 16
modo, quo nunc actiones ſunt remedia ad exigendum comparata, ita ut dici poſſint a-
ctiones, quantum ad hoc attinet, in ipſius manus Regię locum fuiſſe ſubrogatæ; Etenim
ante ciuiles leges conſtitutas, ſi petebam à te, quod mihi promiſeras, uel ex alia iuſta cau
ſa mihi debebas, fouebat quidem ęquitas naturalis meam petitionem, ſed huic tamen
petitioni non id roboris datum erat, quod poſtea actionibus authoritate iuris ciuilis da
tum fuit, ut contra eius ęquitatis contemptores remedio eſſe poſſet, quandoquidem
tota hęc facultas, totaq; huius remedij uis, & poteſtas in ſolo Rege poſita fuerat, atq;
hæc poteſtas erat, quam doctores manum Regiam uocant, & quam fuiſſe remedium ad
exigendum rectè ſentiunt. Rectè enim in eo dicimus eſſe poſitum remedium, quod
morbo mederi, atque ipſi quandam quaſi uim afferre ualeat. At poſteaquàm ſublata
manu Regia, legibus ſeſe ciuitates ſubiecerunt, ut plenè ſupra docuimus, tunc quæ Re- 17
gis prius erat authoritas, publico omnium cõſenſu ipſis legibus data fuit, ut quod prius
à Rege quacunque in re præſidium, ac remedium peti ſolebat, à legibus in poſterũ pete
retur, & quæ antea Rex ſolebat, eadẽ planè omnia leges imperãdo, permittẽdo, uetãdo,
puniẽdo munera præſtarẽt, ita ut leges in ipſius Regis penè dixerim regale ſoliũ ſuffectæ
fuiſſe uideantur. Quod cum ita ſe habeat, cũq; etiã perſpicuũ ſit actiones ex legibus ciui
libus ita fuiſſe deſumptas, ut ipſius iuris ciuilis pars ſint. d.§. deinde. l. 2. ff. de orig.
iur. conſequens eſt, ut fateamur actiones in locum manus Regiæ fuiſſe ſubrogatas. Nec

dicatur

dicatur ipſos potius magiſtratus, qui eodem tempore creati fuerunt, quo & leges conditę, quique actiones exequuntur (id quod rex antea faciebat) propterea in ipſius regis locum uideri ſuffectos. Nam uerè regis poteſtas non magiſtratibus, ſed legibus data fuit. Idque ex eo intelligitur, quod legum obſeruationi iureiurando magiſtratus ob-
18 ſtringunt, ut in authēt. Iuſiuran. quod preſt. ab his. & c. ueniētes extra de iureiur. Ideoq; illarum limites tranſgredi non poſſunt, niſi fors aliquando ita ferat, ut propter publicam authoritatem ab ijs recedere opus ſit, ut docet Innoc. c. 1. de conſtitut. & Bald. in tract. de ſindic. in 11. quæſt. Vt verò legum cuſtodes ſunt magiſtratus, ita actionibus quę iuris ciuilis pars ſunt, ita deſeruiunt, ut ſemper iudicis officium naturæ actionis, quę proponitur, accommodari debeat, quemadmodum latè explicat Iuſtinianus in toto ti.
19 inſt. de offic. iudicis. Nec dubium eſt quin puniatur iudex, qui legitimam actionem proponenti authoritatis tuæ præſidium non præſtiterit, etiam ſi non dolo, ſed ſola negligentia id facere prætermiſerit, neque enim obſcuræ leges ſunt quæ in iudicibus, ac
20 magiſtratibus uel ſolam negligentiam puniunt, ut l. ſi quis in conſcribendo in fine. l. ſi quos iudices. C. de offic. præfecti prætor. l. mācipia. C. de ſeruis fug. autent. de quęſt. §. ſuper. c. iudices. de pace iuram. firmanda. l. iudices. C. de anno. & tri. l. 1. C. de ſuſcep. & archa. lib. 10. l. placuit. cum multis ſimil. C. de fund. patr. eod. lib. Ac non tantum exequi actiones tenentur, ſed etiam exequi intrà tempus legibus conſtitutum, alioquin litem ſuam faciunt, & parti in id quod intereſt tenentur. §. ſuper hoc autent. de quæſt. & c. iudices de pace iur. firm. tradit Amedeus in tract. de ſindic. nu. 74. Itaque actionum ea uis, & poteſtas eſt, ut iudices etiam ipſos coerceat. Facit porrò hæc uis atque poteſtas,, ut & manui Regiæ rectè actiones comparentur, & iuri ciuili potius,
21 quàm iuri gentium tribuantur. Non ſecus ac de tutela fiat, quæ licet quacunque alia inſpecta ratione, iuriſgentium eſſe uideri poſſit ar. §. pen. inſtit. de Attil. tut. tamen uidemus ius ciuile propter eam quam ipſi tutelę uim, ac poteſtatem tribuit, primam quoq; eius originem tibi uendicare. l. 1. ff. de tutel. & inſt. eod. tit. in princ. Hęc de manu regia dixiſſe in præſentia ſat erit: quod enim diſputant Doctores in rubr. de oblig. pro quibus obligationibus ſolerēt reges manus regię auxilium impertiri, nos quoque ibidem copioſe & accuratè tractabimus.

## ARGVM.

QVid à lege, & à iuſto ius differat, & an ius a iuſtitia, an uerò a iure iuſtitiam fluxiſſe exiſtimandum ſit.

1 Differunt hæc quidem inter ſe lex, ius, & iuſtum, ſed tamen maximum ſimul affinitatem habent.

2 Opinio Franc. Connani quoad prędictarum uocū differētiā; atq; eiuſdē error.

3 Ariſto. uerba planius explicantur, in eo quod de iuſto & iure, itē de iniuſto, & iniuria loquitur.

4 Altera ſententia ſuperiori contraria refertur, & reprobatur.

5 Ius non id eſt quod δικαίωμα Gręci dicunt.

6 Græcæ uoces non planè ſemper Latinis reſpondet.

7 Non habēt Græci quod nos ius dicimus, ut neque nos quod Illi δίκαιον & δικαιοπράγημα.

8 Negat Diuus Thomas ius à iuſto quicquam differre.

9 Qua ratione lex ſæpiſſimè appelletur ſcriptura qua legiſlator aliquid decernit.

10 Ius propriè quid ſit.

11 Quę nos iura dicimus ueteres Romani iuſſa appellarunt.

Quid

12 Quid differat iuſtum ab eo quod Græci δικαιοπράγημα uocant.
13 Cur diſtinctio iuris, quam iuriſconſulti tradunt, ipſi iuri potius, quam legi accommodetur.
14 Ius, & iuſtum iuſtitia ipſa antiquius eſt.
15 An poſſit defendi Vlp. qui dixit ius à iuſtitia fuiſſe appellatum.
16 Defenſio Ioannis Buridani diſtinguentis inter iuſtitiam principis, & iuſt. ſubditorum refertur, & reprobatur.
17 Etiam in iuſtitia principis ius antiquius dari neceſſe eſt.
18 Verior defendendi Vlp. ratio.
19 Qua forma ueteres iuſtitiam deſcripſerint.

## CAP. XII.

PRimo ipſo huius tractationis initio tria diximus eſſe, quibus non planè cognitis,
maximos ubique errores ſubſequi neceſſe ſit, nimirùm legem, ius, & æquitatem.
Ac de lege hucuſque ita egimus, ut non modò duas illas legis ſpecies, quas iuriſcõ
ſultorum proprias eſſe conſtat, diuinam ſcilicet, & humanam pleniſſimè explicauerimus,
ſed etiam ea ſumpta occaſione, mutuæ hominum ſocietatis (ad cuius præſidium
& conſeruationem leges ipſæ maximè comparantur) ortum, incrementa, & progreſſiones
accuratè tradiderimus. Nunc proximum eſt, ut ueniamus ad ſecundum, & de iure di
camus non quidem omnia quæ dici poſſent, (nam hoc nimis latum, imò & propè in-
finitum eſſet) ſed quæ ad generalem huius termini cognitionem magis neceſſaria eſſe
iudicabimus. Quę uerò de iure dicenda ſunt, ijs etiam, quæ de primis humanæ ſocieta
tis temporibus proximè diximus, maximè conueniunt, ut quæ de iuriſgentium primæ-
ui, & ſecundarij in quæſtionem noſtri reuocant, quod totum nos latiſſimè explicabi-
mus. Verùm quoniam meritò dubitari poſſet, cur hæc diuiſio, itemq; alia diuiſio iuris
naturalis, gentium & ciuilis à noſtris iuriſconſultis tradita, iuri potiùs, quàm legi tri-
buatur, & an cum ea legis diuiſione planè conueniat, quam attulimus ſupra, dum legẽ
naturalem ab humana diſtinximus, poſſetq; etiam dubitari, cur hanc diuiſionem Ariſt.
neque legi, neque iuri, ſed iuſto tribuat, ut eſt apud ipſum lib.5. Ethic.cap.7. ubi loqui-
tur de iuſto naturali, & legitimo, Ideò nobis ante omnia cuiuſdam quaſi in modum prę
ludij, rectè explicandum eſt, quid'nam idipſum ſit, quod hac dictione ſignificamus, &
quid hęc tria inter ſe differant: Lex, ius, & iuſtum. Quãuis enim ſæpiſſimè ſimul confun- 1
dantur, pręſertim lex, & ius, dubitandum tamen non eſt, quin uerè diuerſa hęc ſint, ut
indicat Pomponius in l.2. in princ. ff. de orig. iur. in illis uerbis: ſine certa lege, ſine cer-
to iure primùm agere inſtituit: quod Tullius etiam multò expreſſius oſtendit lib.1. de
“ legib. Quibus (inquit) ratio à natura data eſt, ijſdem & recta ratio, ergo & lex quæ
“ eſt recta ratio in iubendo, & uetando, ſi lex, ius quoque: at omnibus ratio, ius igitur
“ omnibus datum eſt. Quibus uerbis ius à lege apertiſſimè ſeiungit. Verùm eam inter ſe
affinitatem habent, hæ tres uoces, lex, ius, & iuſtum, ut uera illarum differentia facilè
uel doctiſſimos quoſque latere poſſet. Cuius obſcuritatis non leue argumentum eſt,
quod Franciſcus Connanus ſummus certè uir, & cùm uaria eruditione, tùm acri inge-
nio præditus, quãuis hac in re plurimùm elaborauerit, tamen non ſatis rectè (niſi ego 2
fallor) hunc nodum explicauit. Tractat hoc ipſe lib 1. cap.2. vbi hos terminos ita in-
ter ſe diſtinguit: Legem eſſe putat, quę nobis aliquid faciendum dictat, eamq; paulò in-
ferius generale iuſſum ſuperioris eſſe dicit; Quod uerò lex, aut ratio dictat, illud ipſum
ius eſſe ſtatuit. porrò iuſtum putat eſſe, quod ex rationis præſcripto fit, ita ut quod lex
dictat, atque pręſcribit, id & ius, & iuſtum eſſe poſſit, ius anteaquàm fiat, poſteaquam ue

rò factum

Digitized by Google

rò factum fuit, tunc uerè ac propriè iuſtum dicatur. Atque hæc exiſtimat planè reſpondere ijs, quæ docuit Ariſt. lib. 5. Ethic. cap. 7. in fin. vbi hoc idem quod nos quærimus, ipſe quoque ſibi explicandum propoſuit. Sed miror ſanè Connanum ab Ariſt. ſententia tàm longè aberraſſe. Is enim non modò hoc non ſentit, ſed contrarium prorſus affirmat, nempè iuſtum eſſe anteaquàm factum ſit, poſtquàm uerò factum eſt, non amplius dici iuſtum, ſed aliud nomen ſortiri: & hoc iuſtum appellat δίκαιον. Verùm in eo Connani error fuit, quia putauit δίκαιον non ſignificare iuſtum, ſed ſignificare illud potius, quod Latini ius uocant, & iuſtum credidit eſſe, quod ibi Ariſt. appellat δικαίωμα, ſiue δικαιοπράγημα. Hoc uerò falſum eſſe, primùm uox ipſa ſatis edocet. Deinde uerborum etiam ſententia, quibus ibi utitur Ariſt. apertiſſimè hunc errorem conuincit: Nam cùm iniuſtum illud tantùm appellari ſtatuat, quod nondum factum eſt, cur negaret id quod nondum factum eſt, poſſe appellari iuſtum, ac cùm uelit id quod factum eſt alio nomine uocari, & non ampliùs iniuſtum dici, cur poſteà uellet iuſti nomen tunc demum cõuenire, cum factum ipſum ſubſequutum ſit? Non uideo certè cur tam diuersè hęc duo acciperet ἄδικον καὶ δίκαιον, hoc eſt iuſtum & iniuſtum, quę clarum eſt nulla in re alia differre, niſi quod unum alterius priuatio eſt. Quantùm uerò ad reliqua omnia, eoſdẽ planè & habitus & priuationis terminos retinere debemus.
3 Quod ut clariùs explicetur cõſiderandum eſt, à Philoſopho ibi eandem conſtitui differentiam inter ius, & iuſtum, quę inter iniuriam. & iniuſtum conſtituitur (ſi modò Argiropili uerſionem ſequamur, qui δικαίωμα ius uertit) Iniuſtum ſtatuit à natura, uel inſtituto proficiſci: Atq; illud eſſe uniuerſalem quandam regulam, natura, uel hominum inſtituto inductam, ac tunc tantùm poſſe iniuſtum appellari, cum nondum id factum eſt, quod ea regula continetur. Cum verò factum ſubſequutum eſt, atque ea regula ex uniuerſali particularis effecta eſt, certiſq; perſonis applicata, iam non amplius iniuſtum, ſed iniuriam putat appellari debere. Quare iniuſtum erit adulterium committere, & legatos uiolare: quod uerò à Tarquinio adulterium cum Lucretia fuerit cõmiſſum, aut quod à Corinthijs (quibus ea res exitio fuit) Legati Romanorum fuerint uiolati, hoc non iniuſtum, ſed iniuria dici poterit. Subijcit poſtea Ariſt. hoc idem & de iure affirmandum eſſe (ſi modò δικαίωμα ius uertamus) quæ uerba certè oſtendunt, quod de iniuria dictum ſit, idem de iure affirmandũ eſſe, ut quemadmodum iniuria non dicitur, niſi interuenerit factum, ita non dicatur ius, niſi quoties factum ipſum interceſſerit. Quod ſanè maximè conſentaneum eſſe uidetur, ut quemadmodum iuſtum iniuſto, ſic ius iniuriæ reſpondeat: veluti cum quærimus, iurenè uel iniuria aliquid factũ fuerit. Ex hac uerò explicatione colligit opinio (quan ũ ad horum terminorum diſtinctionem attinet) ſuperiori prorſus contraria: nempè generalem eſſe regulam, quę iuſtum dici debeat, veluti depoſitum reddere, atque inuiolatos legatos dimittere: cùm uerò factũ acceſſit, tunc uerè ius dici poſſe, ſicuti factum, quod aduerſatur iuſtitiæ non iniuſtum, ſed iniuria appellatur: Atque ita ſentit (ut dixi) Ioãnes Argiropilus, dum illud quod Ariſt. δικαίωμα dicit, non iuſtum, ſed ius uertit, ac multò etiã expreſſius Iacobus Faber Stapulenſis ſolidiſſimus interpres ibidem hanc ſententiam amplectitur.
5 Sed neque his crediderim hac in re aſſentiendũ eſſe: ſiquidem nihil minùs dicendum eſſe mihi videtur, quàm vt quod ibi Ariſt. δικαίωμα dicit & δικαιοπράγημα illud idem ſit quod nos ius appellamus. Idq; vnuſquiſque per ſe facilè animaduertere poterit, qui conſiderauerit quomodo ius à noſtris iuriſconſultis accipiatur: illi enim cum ius diuidunt, vel cum iuris pręcepta diſtinguũt, ut in l. iuſt. ff. de iuſt. & iur. & §. iuris

præcepta

præcepta Inſt. de iure nat. gent. & ciu. hac ipſa uoce uolunt nobis indicare, non quod factum ab aliquo ſit, ſed quid faciendum fuerit. Alioquin cogeremur fateri iuriſprudentiam quoque ipſam, de qua ibi loquitur, in illarum rerum potius cognitione, quę à ſingulis hominibus facta ſunt, quàm in ipſius liciti,& iuſti cognitione uerſari, cõtra id quod ſentit Vlp. in l.1. & in d. l. iuſtitia. ff. de iuſt.& iur. Ego hanc totam perplexitatem ex eo oriri animaduerto, quod gręcæ uoces non ſemper latinis rectè reſpondent. Nam ut Græcis deſunt interdum, quas nos habemus: ſic contra ex ijs pleræque, 6
quæ apud illos fuerunt in uſu, apud nos deſiderantur. Nos præter legem, & iuſtum habemus hanc uocem ius, qua Græci prorſus caruiſſe mihi uidentur: Nam legem illi νόμον dixerunt, iuſtum δίκαιον appellarunt, ſed uocem, qua ius ſignificarent, nullam eos habuiſſe comperio. Nec ſanè dubito quin hæc ſola cauſa ſit, cur diſtinctionem iuris Ariſt. ad iuſtum referat, ut lib.5.Ethic.cap.7. ubi iuſtum naturale à legitimo diſiungit. Contra uerò (ut dicebamus) habent Græci hac in re quod nobis deeſt, nam quod illi δικαίωμα & δικαιοπράγημα uocant, nos certo aliquo uocabulo exprimere non poſſumus; 7
Quãuis enim diuus Thomas, Ioannes Buridanus,& alij pleriq; iuſtificationem uertant, barbarum tamen hoc uocabulum eſt, neque latinæ linguæ uſu receptum. Verùmtamẽ quod uno non poſſumus, duobus uocabulis rectè exprimemus & δικαιοπράγημα appellabimus quicquid iuſtè factum eſt, hoc enim uocabulum apud Græcos latiſſimum eſt. At hæc uox δικαίωμα, licet ipſa quoque ad factum referatur, non tamen tàm latè patet nec quodcunque factum ſignificat, ſed illud tantùm, quod ad iniuriæ emendationem ſpectat: Quocircà (ut refert ibi Euſtatius) ſic Græcè dici ſolet δικαιώσει τὸν κόρινθον ὁ Ζεῦς, quod quidem, ſi uocem uoci reddere uelimus, non niſi barbarè uertere poſſumus, iuſtificabit Corinthum Iupiter, iuſtificabit, hoc eſt, iuſtè corripiet, atque emendabit. Et hanc differentiam apertiſſimè exprimunt apud Ariſt. illa uerba: καλεῖται δὲ μᾶλλον δικαιοπράγημα τὸ κοινὸν, δικαίωμα δὲ τὸ ἐπανόρθωμα τοῦ ἀδικήματος. Hinc iam liquidò conſtare poteſt inanem eos operam ſumere, qui ex his uerbis Ariſtotelis elicere ſtudent quid nam iuſtum à iure differat, cum Ariſt. illam differentiam, quam ibi tradit, non inter ius,& iuſtum uelit conſtituere, ſed inter iuſtum, & id quod à Græcis dicitur δικαίωμα & δικαιοπράγημα, à nobis iuſtè factum dici poteſt. Sic fit ut hæc quam quærimus iuris,& iuſti differentia aliunde, quã ab Ariſtotele, aliove ullo Græco autore petenda ſit. Diuus Thomas in ſecunda 8
ſecundæ quæſt. 57. in 1. artic. negat ius à iuſto quicquam differre, ac propterea ſentit non ſecus ac iuſtum, ius quoque iuſtitiæ obiectum eſſe. Cui ſententiæ ſubſcribere uidetur Dominicus Sotus lib.3. de iuſt. & iur. quæſt.1. art.1. Sed certè hac in re ipſi Ariſtotelis potius traditiones ſecuuti ſunt, quàm latinæ uocis uim conſiderarunt. Fatemur hæc duo ius,& iuſtum ab Ariſtotele confundi, propterea quòd (ut diximus) nec uocem ullam habebat, qua ius à iuſto ſeparare poſſet, ſed noſtri tamen iuriſconſulti, alijq; latini autores uti legitimũ à lege, ita iuſtum à iure ſeparant, ac de iure ſæpe ea loquuntur, quæ iuſto conuenire non poſſent, ut toto tit. ff. quod quiſque iuris: Vt etiam cùm dicunt: ſummo iure experiri, ſummo iure contendere, nihil mihi iuris cum illo eſt, & alijs eiuſmodi permultis loquendi modis utuntur. Miſſis ergo aliorum ſententijs, uideamus nos quomodò hæ uoces accipi, atque inter ſe diſtingui debeant. Et quod attinet ad legem, nihil eſt quod in ipſius explicatione hoc tempore amplius elaboremus: Satis enim ſupra demonſtrauimus quo pacto illa accipienda ſit, cum diximus legem nihil aliud eſſe, quàm rationem noſtram, quatenus iuſta, & honeſta nobis præcipit, hoc eſt

præceptricem

præceptricem illam animorum,& naturæ noſtræ uim, quæ quid fugiendum,quidve ſe-
quendum ſit,rebus in omnibus nobis imperat, atque præſcribit.Nec porrò aliter legem
humanam accipimus,quam rectè diuus Thomas (ut ibidem relatum à nobis eſt)dicit eſ
ſe rationem Principis, illorumve,quibus eadem quæ Principi poteſtas ſit,dum ex princi-
pijs naturalibus alias concluſiones magis ſpeciatim deducit, quibus ea decernit, quę
ad publicum ciuitatis ſtatum pertineant.Et in hunc modum legem accipit etiam Chry-
ſippus,quem ut ſummum Stoicę diſciplinæ philoſophum cõmendat Martianus in l.3.ff.
de legib.Is enim legem non pręceptum eſſe uoluit ( quemadmodum Papinianus in l.1.
de legib. qui cõfundit legem cum iure,ut ex ijs apparebit,quæ ſtatim dicturi ſumus)ſed
uim potius illam eſſe uoluit,unde præceptum emanat; cum dicat eam eſſe præceptricem
faciendorum,ac prohibitricem non faciendorum . Retinenda ergo nobis eſt hæc legis
ſignificatio cum legem à iure diſtinguimus,utpotè ab ijs magis recepta, qui non popu
larem tantùm ſpectarunt loquendi uſum, ſed ipſius rei naturam aliquantò accuratiùs
conſiderarunt. Quamuis non propterea negari poſſit, quin & legem rectè appellemus
9 eam ſcripturam, qua legiſlator aliquid decernit, cùm ita ferè contingat, ut quæ rebus
quibuſcunque indita ſunt uocabula, uſu deinde trahantur ad ea quoque, quæ illis pro-
xima & annexa ſunt. Neque alia cauſa eſt, cur legis nomine ſcriptura quoque nuncupe-
tur.Nam rationis, quam per ſe ipſam maximè legem dictam eſſe oſtendimus,duo actus
ſunt:interior eſt unus, nimirum uoluntatis, & electionis, alter uerò exterior eſt, quo pri
mus ille, & interior rationis actus uel ſcriptura, uel alia ratione ſignificatur,atque expri-
mitur. Inualuit ergo uſus, ut cum ratio lex ſit, ſcriptura quoque illa lex appelletur, quæ
rationis actus eſt; & ſic appellat Gratianus in c.lex eſt.1.diſtinct. Atque hunc ipſum exte-
riorem actum potius quàm naturalem reſpexit Papinianus in legis diffinitione, quam
tradit in d.l.j.ff.de legib. Itaque non pugnant hæc duo, quod legiſlatoris decretum ue-
rè lex dici poſſit, & quod uerè etiam lex ſit illa animorũ & naturę noſtræ,uis,quæ rectam
uiuendi rationem oſtendit. Iam uerò conſiderandum eſt,præceptum ex lege ſemper ali-
quod oriri, ut reddere depoſitum, uectigal ſoluere, & alia eius generis, quæ à præce-
ptrice ipſa lege differre nemo inficiari poteſt. Atque hoc præceptum eſt, quod uerè ius
10 appellamus, tametſi etiam iuſtum, & iuſtè factum rectè dicere poſſumus. Cur uerò
tot nominibus appelletur, & quomodò hæc nomina inter ſe diſtingui debeant, ordine
aperiemus. Quod diximus præceptum hoc à lege profectum ius appellari, ideoq; ius à
lege differre tanquam effectum à ſua cauſa, docet nos Caius in l.omnes populi.ff. de
iuſt. & iur. dum ius gentium eſſe dicit, quod naturalis ratio (quam uerè legem eſſe con
cluſimus) inter omnes homines conſtituit. Et idem tradit Iuſtin. in §. quod uerò inſt.
de iure nat. gent. & ciui. Quæ uerba apertè indicant iuris appellationem non legi con
uenire, ſed ad ea præcepta eſſe referendam, quæ ab ipſa lege,& ratione naturali profici-
ſcuntur. Quare quod ibi dicit omnes populos, partim ſuo proprio,partim cõmuni om
nium hominum iure uti, non aliter accipi poteſt, niſi ut partim proprijs,partim cõmu-
nibus præceptis utantur. Hoc idem minimè obſcurè teſtatur Vlp.in l.j.in fin.ff.de iuſt.
& iur. dum ius priuatum ita partitur, ut in præcepta naturalia, gentium, & ciuilia di-
ſtribuat: quod niſi eſſent præcepta, quæ ius conſtituerent, ac niſi ex ipſis tanquam
ſuis partibus ius conſtaret,non in pręcepta,ſed in ueras ſuas partes diuidi debuiſſet. Ita-
que Vlp. Priuatum ius(inquit)tripartitum eſt,collectum enim eſt ex naturalibus præce- «
ptis, & gentium, & ciuilibus: Quibus uerbis, utitur etiam Iuſtin. inſt. de iure «



Digitized by Google

nat.gent. & ciui. Atqui certè, cum ueram, & propriam uerborum ſignificationem in-
quirimus, hæc maximè loca ſpectare debemus, in quibus iuriſconſulti aut definiunt, aut
diuidunt, aut quauis alia ratione quaſi artis terminos conſtituunt. Non enim negamus
quin permultis alijs in locis hanc uocem aliter iuriſconſulti accipiant, & ad ea, quæ iuri
proxima, & annexa ſunt, iuris uocabulum deflectant, quemadmodum poſteà dicemus.
Habemus iam quid ſit ius, nimirum quod à lege præcipitur; & cùm dicimus legis præ-
ceptum eſſe ius, præceptum ipſum per ſe conſideramus, neq; inſpicimus ſitne illud ſcri-
ptura comprehenſum, an uſu tantùm receptum, cum ſolo uſu, & conſuetudine
ius induci poſſe nemo dubitet, l.de quibus.ff.de legib. & §. ex non ſcripto inſt. de iure
“ nat. gent. & ciui. Vnde & Tullius lib. 2. de inuentione. Ius conſuetudinis (inquit) eſſe
“ putatur, id quod uoluntate omnium ſine lege uetuſtas comprobarit, quo in genere &
“ alia ſunt multa, & eorum multò maxima pars, quæ edicere prætores conſueuere. Nunc
proximum eſt, ut uideamus qua ratione ipſum legis præceptum non tantùm ius, ſed &
iuſtum, & iuſtè factum appelletur, id quod fit ab Ariſt. lib.5.Ethic.cap.7.Sic enim intelli
gemus quo diſcrimine ſeiungatur ius à iuſto: itemq; ab eo quod iuſtè factum eſt.Scien
dum igitur eſt in præcepto legis duo conſiderari poſſe, quæ quamuis maximè inter ſe
affinia ſint, tamen non tantùm animo, & cogitatione, ſed etiam re ipſa facilè diſtingui
poſſunt. Siquidem in præcepto primùm conſideramus iuſſum, hoc eſt actum illum ra
tionis tàm interiorem, quàm exteriorem, dum ratio aliquid imperat, puta, Deum coli,
fidem ſeruari, uel eiuſmodi aliud. Atque hoc inſpecto (ut mihi uidetur) uerè ius dici-
tur, neque alio ullo uocabulo appellatur. Siquidem uidemus quæ nos dicimus iura, ue-
tuſtiores Romanos appellaſſe iuſſa, ut Feſtus teſtis eſt, propterea quòd iuſſus ijs ſemper 11
ineſt, Vnde etiam fit mihi admodum uerisimile quod tradit Agricola lib.1. de inuent.
dialect. ab hac uoce iuſſus iuris uocabulum profluxiſſe, quicquid dicat Franciſcus Con
nanus lib.1.cap.2.ubi exiſtimat hanc etymologiam non iuri, ſed legi potius conuenire,
quã definit eſſe generale iuſſum ſuperioris; ſiquidẽ hoc rectè dici non poteſt, niſi qua-
tenus ius cum lege confundas, quod tamen fieri interdũ ſolere nõ inficiabor. Secun
dò præter iuſſum, tem quoque iuſſam in præcepto cernimus ineſſe, & hæc eſt quam
Ariſt. iuſtum uocat; quicquid enim iubetur, à iuſſu, uel etiam à ſola iuris permiſſione
eam qualitatem aſſumit, ob quam meritò iuſtum dici debeat. Quamuis uerò ubi iuſſus
adeſt, adſit ſemper & illud quod iubetur, non idcircò tamen poſſumus inficiari, quin
hæc penitus inter ſe diuerſa ſint: Sic enim ſemper ubi detur incendium, neceſſe eſt ma-
teriam dari aliquam, quæ incendium illud alat, & foueat, & tamen materiam illam ab
incendio differre nemo negabit. Eſt igitur lex ratio, & præceptrix illa naturæ no-
ſtræ uis; Hæc iubet, gratia exempli, fidem datam ſeruari; ius eſt iuſſus & actus ille
rationis, fidem obſerues. ipſa uerò fidei obſeruatio eſt res iuſſa, ac propriè iuſta
eſt, quicquid enim iuſſu continetur, illud eſt, quod Ariſt. iuſtum appellat. In eo 12
uerò differt iuſtum à iuſtè facto, quia ita demum cenſet Ariſt. iuſtum debere ap-
pellari hoc ipſum, quod iuſſu, ac precepto legis continetur, ſi generatim accipiatur, &
tanquam à perſonis, rebuſq; abſtractum, ac planè ſemotum. Nam poſteaquàm effectum
illud eſt, quod à lege imperatum erat, iam non δίκαιον hoc eſt iuſtum amplius appel-
lat, ſed δικαιοπράγημα, quod nos non niſi duobus uerbis iuſtè factum dicere poſſumus.
Quare quod Attilius Regulus, ut fidem Carthaginenſibus ſeruaret, ad certiſſimum
ſupplicium ultrò reuerſus ſit, hoc non propriè iuſtum dicemus, ſed iuſtè factum: ante-
quàm

Digitized by Google

quàm uerò reuerteretur, iuſtum, ut id fieret, futurum dixiſſemus. Hîc uerò non igno-
randum eſt, has uoces, ius, iuſtum, iuſtè factum, ad homines tantùm, non ad Deum
propriè referri, hoc eſt ad ea tantùm quæ humana, non quæ diuina lege pręcipiuntur.
Nam quicquid diuina lege, quacunque ratione continetur, ſiue illa nobis aliquid impe-
ret, ſiue prohibeat, aut permittat, id non iuſtum, aut iniuſtum, ſed fas, uel nefas propriè
dicitur, ut poſt Iſidorum aduertit Gratianus in c. omnes leges 1. diſtinct. Vnde tranſire
(inquit) per alienum agrum, fas quidem, ſed non ius eſt: Ac differre fas à iure indicat
etiam Virg. lib. 1. Georg. cum inquit: Quin etiam feſtis quędam exercere diebus, Fas &
iura ſinũt. Cur porrò iuſti, & iniuſti uocabula ad Deum non referantur, diuus Tho-
mas in ſecunda ſecundæ quæſt. 57 art. 1. rationem eam reddit, quia nulla cùm Deo no-
bis eſt æqualitas, neque enim res ulla eſt, in qua illi par pari reddere poſſimus. At uerò iu
ſtum in æqualitate maximè poſitum eſt. Vnde etiam non defuerunt qui propter hanc
æqualitatem exiſtimauerint ius ideò dictum fuiſſe, quod iuxta ſit: Latinis enim iuxta
idem eſt, quod æquè, ac pariter, ut cum inquit Saluſtius, ciues, hoſtes iuxta metuere.
Quamuis ego ab illa iuſti etymologia non putem recedendum, quam ex Agricolæ ſen-
tentia ſupra tradidimus. Ex his omnibus iam perſpectiſſimum eſſe nobis poteſt, quid
differant inter ſe hi tres termini, lex, ius, & iuſtũ, quę tamen non negamus uſq; adeò ſi-
mul connexa eſſe, ut quæ uni eorum conueniunt, rectè etiam alijs duobus conue-
nire poſſint. Eam ob rem ergo quæ de iure naturali, gentium & ciuili infra dicturi ſu-
mus, eadem promiſcuè & ad ius (ut iuriſconſulti faciunt) & etiam ad iuſtum (id quod fe-
13 cit Ariſtoteles) referri poterunt. Quod uerò legi neque ab Ariſt. neque à iuriſconſultis
tribuãtur, illa eſt cauſa, iudicio meo, quia cum lex ſit uel ratio noſtra, ſi primam maximè
que propriam ſpectemus ſignificationem, uel conſtitutio ſcripta, ſecundum aliam ſigni-
ficationem, quæ in uſu noſtrorum frequentiſſima eſt, certè lex ipſa, ſiue ut ratio, ſiue ut
ſcriptura accipiatur, per ſe ſemper eadem eſt, neq; in plures ſpecies diuidi poteſt, niſi qua
tenus plura, & uaria ſuggerit pręcepta. At quia legis præcepta ſunt, ut ſupra demonſtraui
mus, quæ ius & iuſtum conſtituunt, hanc diſtinctionem ad ius potius, & ad iuſtũ, quàm
ad legem, & Ariſt. & iuriſconſ. noſtri applicuerunt. Verumtamen quia lex quoque, ſi-
cuti uaria continet præcepta, ita uariè accipi poteſt (qua de cauſa etiam in naturalem &
humanam diuiditur, ut ſupra uidimus) non abſurdè facturum eum iudicarem, qui om-
nia, quæ de iure naturali, gentium, & ciuili dicuntur, ad legem quoque ipſam accõmo-
daret. Præter legem, ius, ac iuſtum habemus iuſtitiam, cui quidem poſtremum, inter
hæc omnia locum aſſignamus. Iuſtitia, enim ut de ea loquamur, quæ omnes uirtutes
complectitur, eſt animi affectio, qua ad legum obſeruationem apti ſumus, quaque res
iuſtas & facimus, & facere uolumus, ſicuti docet Ariſt. lib. 5. Ethi. cap. 1. Quocirca non
14 tantùm ius, ſed & iuſtum iuſtitia antiquius eſſe oportet. Iuſtitiæ ergo obiectum eſt iu-
ſtum, cuius illa quaſi miniſtra eſt, & cuius quodãmodò curam, & diſpenſationẽ ſuſcepit.
Itaq; iuſtitiæ munus non niſi ab eo expleri poteſt, qui iuſti naturã penitus cognouerit:
15 Qua ex re iuſtitiã iuſto poſteriorem eſſe apertè demonſtratur. Sed tamen huic rei aduerſa
tur maximè Vlp. in l. j. ff. de iuſt. & iur. ubi dum ait ius à iuſtitia fuiſſe appellatum, haud
obſcurè ſentit iuſtitiam iure antiquiorẽ eſſe, id quod, ſi uera ſunt quæ proximè diximus,
non poteſt non abſurdum uideri, ac tanto etiam abſurdius ob id uideri poteſt, quia iu-
ris uocabulum ſimplicius eſt, unde ab eo potius iuſtitiam deriuari debuiſſe gramma-
ticorum leges docent. Hac de cauſa etiam Cicero eos reprehendit, qui Venerem à



Digitized by Google

uenuſtate dictam arbitrentur, cum uenuſtas ſit à Venere appellata, quaſi in qua uenus ſtet: ita ergo & iuſtitia quòd in ea ius ſtet, uidetur fuiſſe nominata. Franciſcus Connanus, loco ſupra citato hac in re ſatis ſe perplexum oſtendit, ac duplicem demum excuſandi Vlp. rationem affert, quarum neutra mihi ſatis arridet. Reperio ego di- 16
ſtinctionem quandam in hoc traditam à Ioanne Buridano lib. 5. moralium quæſtionum in 2. quęſt. ex qua forſan rectius uideatur Vlp. defendi poſſe. Permagni referre putat ipſe, utrum de principis, ac legislatoris iuſtitia loquamur, an uerò de iuſtitia ſubditorum. Iuſtitiam ſubditorum fatetur iure & iuſto poſteriorem eſſe, cum iuſtitia ſit qua iuſta facimus: iuſtum uerò, quòd iuri eſt conſentaneum. At de principis, & legislatoris iuſtitia contrarium ſentit; eam enim iure, & iuſto antiquiorem eſſe ſtatuit, idque ea ratione, quia cum princeps pro ſua iuſtitia ea ſubditis præcipit, quę in uniuerſum prodeſſe poſſint, inter eos ius conſtituit, ex quo etiam iuſtum inducitur; ſic fit, ut hæc ambo, ius, & iuſtum à principis iuſtitia proficiſcantur. Sed parùm certè Vlpiano ſuffragatur hæc defenſio, qui non de legislatore potius, quàm de alijs locutus eſt. Quanquàm uel ſi de iuſtitia legislatoris ſenſiſſe illum proponamus, non tamen abſolutè poſſumus affirmare, eam iuſto antiquiorem eſſe: imò enim legislatorem quoque ipſum 17
neceſſe eſt ius atque iuſtum aliquod ſaltem naturale præ oculis habuiſſe, ad quod cogitationes ſuas omnes intenderet, cum alioquin iuſtitię habitum comparare non potuiſſet. Quoniam hæc res non tanti momenti eſt, ut in ea diu cõmorandum ſit, breuiter di- 18
cam quod ſentio. Ego minimè dubito quin uerìſſimum id ſit, quod & alij nonnulli ſenſerunt Vlpianum, in illa l. 1. Iuſtitiam non ut habitum & uirtutem (quemadmodum à nobis nunc accipitur.) ſed ut Deam conſideraſſe; idque apparet ex ijs uerbis, quæ
" Vlp. ibi ſtatim ſubijcit: Cuius meritò quis nos ſacerdotes appellet, Iuſtitiam namque
" colimus, & quæ ſequuntur. Etenim iuſtitiam ueteres colebant ut Deam, Iouiſque filiam faciebant, vnde Chryſippus (vt eſt apud Gellium lib. 14. cap. 4.) in hanc for- 19
mam iuſtitiam deſcribit; Virginem eſſe ſtatuit iudicio incorruptam, quæ improbis nunquam concedat, nullius precibus auſcultet, blanditias, & aſſentationes à ſe procul amoueat. Tum triſtem eſſe ait, & contracta fronte ſemper incedere; cultum illi grauem, aſpectum ſimul & facilem, & toruum eſſe, iuſtis illum quidem gratum, malis uerò & iniuſtis permoleſtum, cum illis fiduciam præbeat, his uerò terrorem maximum incutiat. Nec cuiquam eſt incognitum, quod antiquitas fabulata eſt, eam Deorum omnium poſtremam terras reliquiſſe; attamen demum & ipſam hominum improbitate coactam in cœlum ſe contuliſſe. Itaque cum de iuſtitia, ut de Dea loquatur Vlp. non eſt quod miremur, ſi ius ab ea deriuari ſtatuit. Siquidem maximè abſurdum ipſe iudicaſſet à iure iuſtitiam deriuare, quam à ſolo Ioue profectam eſſe credebant: quod ipſum etiam in primis ſpectaſſe Tullium arbitror, cum dixit, non à uenuſtate Venerem, ſed à Venere uenuſtatem fuiſſe appellatam.

## ARGVM.

AN dictio hæc ius præter eam quæ frequentius uſurpatur, alias inſuper ullas ſignificationes habeat.



Digitized by Google

1 Sæpe uoces quæ certum aliquid ſignificant, ad ea quoq; uſu deflectũtur, quæ illi proxima, & annexa ſunt.

2 Pro arte iuris interdum ius accipitur, ut medicina pro arte medendi, licèt uere illa remedium ſit, quod ęgroto adhibemus.

3 Reijcitur communis intelligẽtia l. penult. ff. de iuſt. & iur.

4 Sunt qui Paulum Iuriſconſultum reprehendant quod ius pro loco accipi poſſe exiſtimauerit.

5 Defenditur Pauli ſententia.

6 Ab uſu maxime uis uerborum pẽdet.

7 An cùm dicimus in ius uocare, ius pro loco hac formula accipiamus.

8 Ius pro neceſſitudine.

9 Sex & triginta iuris ſignificationes a noſtris doctoribus afferuntur.

10 An ſint reprehendendi antiqui iuriſconſulti quòd minus hac in re, quam noſtri doctores proſpexiſſe uideantur.

11 Error noſtris frequentiſſimus, ex quo fit, ut quàm plurimas eidem uocabulo ſignificationes falsò tribuant.

12 Qua ratione tot modis uulgare a noſtris accipiatur.

13 Eodem errore nouum quid dici pluribus modis noſtri doct. exiſtimant.

14 An iuris uocabulo & uitium, & pœnã rectè ſignificemus.

15 Vt natura dicitur id quoque quòd a natura proficiſcitur, ita ius dicimus quod a iure introductum eſt.

16 Optimo iure eſſe, uel haberi quomodo accipiendum ſit.

17 Priori iure liberatos quomodo Iuſt. intellexerit.

18 Variè uſurpatur ius; licet illæ ſignificationes non uerè inter ſe differant, ſed ab una tantum pendeãt.

19 Multæ etiam loquendi formulæ ſunt, quę ad prædictam ſignificationem referuntur.

## CAP. XV.

CVm de iure hucuſq; loquuti ſumus, ueram & maximè propriam iuris ſignificationem tantùm ſpectauimus; Verùm latere nos non debet, hanc uocem etiam
1 ad ea, quæ iuri proxima, & annexa ſunt (quemadmodum & de lege diximus) ſæpiſſimè referri. Potiſſimam huius uocis illam ſignificationem eſſe demonſtratum eſt vt cùm dicimus ius, legis præceptum ſignificemus. at quoniam legis præcepta iuriſcõſulti certo ordine collegerunt, ac ſuis commentarijs ita interpretati ſunt, vt quandam ex ijs artẽ conſtituerent, qua docemur quid in ſingulis factorũ ſpeciebus æquũ, bonũq;
2 ſit, propterea factum eſt, ut hæc ipſa quoque ars ius diceretur, unde Vlp. definit ius eſſe artem ęqui & boni, ut habemus in l. 1. in princ. ff. de iuſt. & iure. Fitq; hoc idem & alibi ſæpe, ut artibus tribuantur nomina earum rerum magis propria & peculiaria, quibus artes illæ continentur. vt ecce principiò medicina dictum eſt illud remedium quo utimur ad ſanandum, poſteà uſus obtinuit, vt medicorum artem, propterea quòd uaria ad ſanãdũ ſuggerit remedia, medicinã appellaremus, id quod aduertit etiã diuus Thomas in 2ª. 2ª. quę. 57. in 1. art. Et hæc erit ſecũda iuris ſignificatio. Alia inſup ſignificatione ius refertur ad locũ in quo ius redditur, collata appellatione ab eo quod fit in
3 eo ubi fit, ut docet Paulus in l. penul. ff. de iuſt. & iur. Quam legem ego nequaquam cẽſeo intelligendam, quemadmodum cæteri interpretes paſſim exponunt, ut quatuor ibi iuris ſignificationes Paulus afferat; neque enim diuerſæ ſignificationes ideò ſunt, quòd ius ipſum & ad naturale, & ad ciuile, & ad Prætorium referatur. imò uerò una eademq; ſignificatio eſt, ſecundum quam demonſtrat ius pluribus modis dici, hoc eſt (ut poſtea oſtendit) in plures ſpecies diuidi, quibus tamen omnibus ſpeciebus eadem ſignificatio conuenire poteſt: neque enim animal ideò diuersè accipitur, quia de pluribus ſpeciebus prædicetur, ubi uero primam ſignificationem explicuit, ſecundam tradit his uerbis.

Digitized by Google

" bis. Alia (inquit) ſignificatione ius dicitur locus, in quo ius redditur. Quæ uerba rectè ſuperiorum quoq; uerborum contextum intuenti facilè indicabunt Paulum uſque ad hunc verſ. vnam tantum iuris ſignificationem attuliſſe. Nequaquam hîc cenſeo prætereundum nonnullos eſſe, vt Dom. Sot. lib. 3. de iuſt. & iur. quæſt. 1. art. 1. qui Paulum hac ipſa in re reprehēdere nō dubitēt, quòd ius ꝑ loco accipi exiſtimauerit. Putāt Paulum deceptum eſſe ijs formulis loquendi. in ius ire, in ius uocare, in quibus iuris uocabulum nihil aliud uidetur quàm locum ſignificare poſſe. Id uerò non ita eſſe demonſtrant ex l. 1. ff. de ius uoc. ubi declaratur, in ius uocare eſſe iuris experiundi cauſa uocare. Sicq; uidetur ius ibi non pro loco accipi, ſed ſuam communem ſignificationem retinere. 4

Verumtamen iſti animaduertere debuerunt, eundem Paulum, qui in l. penul. ff. de iuſt. & iure. docet ius interdū accipi pro loco, illius quoq; l. 1. ff. de in ius uoc. autorē eſſe ubi declarat in ius uocare eſſe iuris experiūdi cauſa uocare, quo fit ut ipſum Paulum nullo errore ductum exiſtimare poſſimus. 5

Adde quod minimè dubitari oportet, quin uerborum ſignificationes à ſolo vſu pendeant, Quem penes arbitrium eſt & uis & norma loquendi, ut inquit Horatius, & facit l. librorum. §. quod tamen Caſſius. ff. de lega. 3. l. Anniculus & l. ut Alphenus. ff. de uerb. ſig. Quod cum ita ſit, non uideo cur Romano iuriſconſulto Romanæ linguæ uſum atteſtanti credere non debeamus, cum præſertim noſtri temporis doctoribus (qui modò doctrina præſtent) hac eadem in re fidem adhibendam eſſe frequentius à noſtris receptum ſit, ut per Decium & alios in l. 2. §. mutui datio. ff. de cer. pe. Itaque ius poterit ſignificare locum, ſi minus in hac formula loquēdi cum dicimus, in ius ire in ius uocari, at ſaltem in alijs quam plurimis. Quanquā in hac quoque ego idem affirmari poſſe puto, nec quicquam aduerſari illam l. 1. ff. de in ius uoc. Imò videamus, ne non potius ea lege hęc ſignificatio maximę confirmetur. 6

Nam cùm in ea formula ius ſumeretur pro loco; ne quis forſan exiſtimaret eū poſſe dici in ius uocaſſe, qui in eum locum ubi ius redditur quacunque ratione uocaſſet, declarat Paulus in ius uocatum tunc demum dici aliquem, quando in eum locū iuris experiundi cauſa uocatus eſt, quod & rationi maxime conſentaneum eſt, cùm locus ille iuris nomen eatenus tantum ſortiatur, quatenus in eo de iure experimur. Quapropter rectè iuriſconſultus ſtatuit hanc qualitatem ſemper adeſſe oportere, vt uerè ac propriè quis in ius uocaſſe dicatur. 7

Addit etiā Martianus aliā iuris ſignificationem in l. ult. illo tit. de iuſt. & iure, ut nonnunquàm ius pro neceſſitudine uſurpemus, ueluti eſt mihi ius agnationis & affinitatis. 8

Hæ ſunt iuris ſignificationes, quas reperio a iuriſcōſultis ipſis fuiſſe animaduerſas. At longè maior earum numerus eſt, quas præterea noſtri interpretes addiderūt, ut Ioā. Monachus in c. cupiētes de elect. in 6. in gloſſ. iuribus & Luc. de Pen. in Rub. C. de iure fiſci lib. 10. alijq; recentiores, è quibus nonnulli ſex & triginta recēſent. 9

Ego has ſignificationes hîc referre nolui, tū ne uiderer tanquā cornicula Horatiana alienas plumas induere uoluiſſe, tum etiam quia qui hoc fecerunt, nihil aliud mihi uidentur egiſſe, quā ut longa earum ſerie legentium animos perterrerent. Si hæ tā multæ, quas enumerant, iuris ſignificationes, ueritatis aliqd haberēt, nimis longè profectò à uera, & perfecta huius rei cognitione abfuiſſet Paulus qui lib. 14. ad Sabinū, 10

dum iuris ſignificationes ſedulò perquireret, paucis tantum relatis, alias omnes, tāquā ſibi planè incognitas prætermiſiſſet. Quod ſi enumeraſſet illas Paulus in ſuis commentarijs, (nam hoc dices forſan, te magis conijcere) iniquè profectò nobiſcum egiſſent cōpilatores qui Pauli, aliorumq; iuriſconſultorum hac de re ſententiam occultaſſent. Cōſtat

ſtat enim compilatores ipſos quatuor tantùm huius vocis ſignificationes retuliſſe, nimirum duas ex ipſo Paulo, totidemq; ex Vlp. & Martiano l.1.l.penult. & ult. ff. de iuſt. & iure. Ego igitur minimè dubito, quin noſtrorum interpretum commenta hæc ſint.
11 Nam ſic eos ſæpe alijs etiam in rebus facere ſolere video, ut dum alicuius uocabuli vim expendunt, permultas eius ſignificationes, easque alieniſſimas communi prope modum errore recenſeant. Atque huius rei eandem fermè vbiq; cauſam eſſe animaduerto, quæ quanto frequentius hunc errorē parit, tantò magis cauere nos illā oportet.

Quod ergo hìc, & alibi ſępiſſimè noſtri interpretes labantur, dū de alicuius uocis ſignificatione agunt, hæc potiſſimum mihi videtur eſſe cauſa. Ita ferè cōtingit, ut quod vno vocabulo ſignificatur, uel ſi maximè ea ſignificatio vna ſit, pluribus tamē rebus accomodari poſſit. Hæ plures res (ſiquidē eatenus illas ſpectes, quatenus eo uocabulo cōprehenduntur) ſemper inter ſe maximè conueniunt. Sin uerò quantum ad reliqua, conſiderentur, uariam habent naturam, uariaq; attributa continent. Iam uerò noſtri magiſtri (quod in hoc parùm longè proſpexerint) varia, & diuerſa earum rerum attributa, eiuſdem illius uocis ſignificationi ſolent attribuere, atque in hunc modum ex vna tantùm & vera, plures & diuerſas, easque cōmentitias ſignificationes conſtituere. Ac ne fortaſſe cuipiā obſcurius hoc videatur, vno, aut altero ſubiecto exēplo apertiſſimū reddā. Bart. & cæteri in l.1.ff. de vulg. & pupill. vt rationē reddāt, quare ſubſtitutio vulgaris appelletur, quærūt quid ſignificet vulgare; & vulgare exponunt hoc eſt, approbatū,
12 item expreſſum, itemque directum, & alijs multis modis. Atque id non alia ratione, niſi quia vident hæc interdum materia, & rebus ipſis concurrere, vt quod uulgatum eſt, idem vel expreſſum, vel directum ſit, uel approbatum, ut l. libertates. ff. de fideic. liber. l. cū quidā. iuxta fin. ff. de hæred. inſt. & l. ſi ſeruus nauē. ff. de furt. At nos quoq; hoc modo poſſemus dicere uulgare idem ſignificare quod turpe, & inhoneſtum, cùm interdū contingat, ut uulgaris mulier, eadem & turpis & inhoneſta ſit, ut inquit Vlp. in l. legitimos. in princ. ff. de leg. tut. Aliud poſſumus exemplū deſumere ex traditis in rub. ff. de no. oper. nunc. ac præſertim per Bart. ibi nu. 9. Etenim dum rationem inquirunt,
13 cur tertium Pādect. uolumen Digeſtum nouum fuerit appellatum, inter alias huius vocis ſignificationes, exponunt nouum, id eſt, iniquum, atque ideò ſic exponunt, quia uident quandoque euenire, ut quod eſt nouum, idem & iniquū ſit, ut l. 1. ff. quod quiſque iur. Non alia ergo cauſa eſt, cur etiam huic uoci, ius, multas ſignificationes tribuant, quarum pleræque prorſus ridendę ſunt, vt cum iuris uocabulo uitium, item &
14 pœnam ſignificari dicunt, per l. cum hæres. ff. de diuer. & temp. præſcrip. & auth. quibus mo. nat. effici, ſui. in prin. Qua in re illud proculdubio eos decepit, quòd plerunque vbi ius ſit, ibi uitium ſubeſſe aliquod, & pœnam irrogari uident. ll. proximè adductis. Quod ſi hoc modo vocabulorū uim expendere liceret, poſſet quiuis non tantū ſex & triginta, ſed multò etiam plures afferre iuris ſignificationes, quādo id quaſi palmarium exiſtimatur, ubique quāplurimas attuliſſe. Vt uerò noſtram hac de re ſententiam aliquantò plenius exponamus, illud putamus aduertēdum, ſicut ius, & natura alia multa habent inter ſe conſimilia, ſic etiā uſum loquendi utraque in re perſimilem eſſe. Quandoquidē uidemus loquendi uſum ita ferre, ut quod à natura profectum eſt, illud
15 idem naturam appellemus. Dicimus rationem à natura hominibus datam. Et rationem quoque ipſam ſæpiſſimè hominum naturam appellamus. Ac ſic ſemper cuiuſque rei conditionem, & ſtatum à natura inductum, ipſius rei naturam dicimus. Hæc verò

uerò & in hac dictione ius facilè eſt animaduertere. Ius, quemadmodum ſupra docui
mus, eſt legis præceptum(cum præceptum hìc dicimus, quamcunq; legis determina-
tionem complectimur.)Hæc legis determinatio, quàm ius dicimus ea ipſa in re de qua
diſponitur,præter ſtatum naturalem,alium quempiam ſtatum introducit, atque hunc
ipſum pariter ius appellamus,non ſecus ac ſtatum illũ natura introductũ,naturã dicere
ſolemus. Etenim quod fundus fertilis ſit,quod umbroſus,uel apricus, naturalis ſtatus
eſt:quod uerò datus in dotẽ fuerit, hoc eſt oneribus matrimonij deſtinatus,quod alie-
nari nõ poſſit,quod deniq; poſt ſolutũ matrimoniũ certo tẽpore ſit reſtituendus,hic eſt
ſtatus iuris,& altera quaſi natura,quę illi fundo,nõ quidẽ vti fundo,ſed uti fundo dotali
à iure data fuit.Et hoc totũ,quicquid eſt,appellatur ius, unde etiã actio quæ ex ea cauſa
cõpetit, talẽ iuris quaſi naturã aſſumit, ut rectè demonſtrat Vlp. in l.ſi vnus §.pactus ne
« peteret.ff.de pact.dum ibi. Incipiet(inquit) dos redire ad ius ſuum,quoties enim ad
« ius,quod naturę eius tribuit,de dote actio redit, non fit cauſa dotis deterior, ſed formę
ſuę redditur.Hinc toties apud Ciceronem,& alios legimus optimo iure eſſe,optimo iu 16
re haberi,hoc eſt optima iuris conditione,& ſtatu eſſe, uel haberi. Et hæc ſignificatio
adeò frequens,& aperta eſt, vt iuriſcõſultis eam notare minimè fuerit neceſſe;tantò ma
gis, quia ita conuenit cũ ſignificatione illa cõi, qua ius ſignificat legis præceptum & di
ſpoſitionem, vt vix vnam ab altera ſeiungere poſſis. Hic,quem dicimus, iuris ſtatus,&
hæc quaſi natura à iure introducta, quam ius appellamus, vt uarijs & diuerſis in re-
bus conſideratur,ita uaria,& diuerſa eſſe poteſt. Quare quoties lex alicui pœnam impo
nit,uel eius conditionem quocunq; modo facit deteriorem, quoniam hoc ipſo talem
iuris ſtatum in eo introducit, & hunc ſtatum nos ius appellamus, propterea hoc illius
hominis ius eſſe rectè dicemus. Et hoc loquendi modo vtitur Iuſtin.in authen. Qui
bus mo. natur. effic. ſui in princ. dum dicit Imperatores inueniſſe modum per quem
naturales liberi priori iure liberati, legitimi fierent. Doct. exponunt iure, id eſt, pœ- 17
na,illa ſcilicet cui priùs ob defectum natalium erant obnoxij,nec aduertunt ibi iuris ap
pellatione conditionem, & ſtatum iuris aperte ſignificari. Atq; hoc eodem modo acci
« pit Papinianus in l.cum hæres.ff.de diuerſ.& temp.præſcrip.vbi. Cum hęres (inquit)in
« ius omne defuncti ſuccedit,ignoratiõe ſua defuncti vitia nõ excludit.Colligũt Doct. ex
his uerbis ius ſignificare uitium,cũ ibi ſuccedat in uitium,qui in defuncti ius ſuccedit.
Nos dicamus hãc ſignificationẽ ſuperiori nõ differre;ac iuris appellatione ibi conditio
nẽ,& iuris ſtatũ exprimi,in quo defunctus ex iuris diſpoſitione cõſtitutus erat:qui cũ ta
lis eſſet, ut propter uitium defunctus vſucapere non poſſet, facit illud idem uitium, vt
vſucapiendi facultas hæredi quoque denegetur. Sed non propterea ſequitur, hanc vo
cem ibi diuerſam ſignificationem habere. Siquidem ius, ſecundum eandem quam pro
ximè attulimus ſignificationem,poteſt ad vitioſa,& non uitioſa, ad commodum, & in
commodum,ad præmium,& pœnam,& ad alia permulta uariè referri,id quod ex ſubie
cta materia facile intelligi poterit.Et quoniam ius ſæpiſſime ita decernit, ut nobis in re
aliqua & facultatem,& autoritatem præſtet,aut etiam dignitatem aliquã, & priuilegiũ
concedat, idcircò his in rebus maxime iuris nomen ſolet vſurpari.Hinc dicimus ius do 18
minij,ius uſusfructus,vel alterius ſeruitutis,ius emphyteoticum,ius priuilegij,ſeu præro
gatiuæ,& dignitatis l. 1. & paſſim.C.de iure dom.imp.l.5.§.ſi fundus.ff.de rebus eorũ.
l.1.ff.de vſufr.l.vti frui.ff.ſi ſerui.uendic.l.quicunque. C. de omni agre deſerto l.1.C.de
metropol.Berit.lib.xi. Atque ex hoc uno fonte profluũt aliæ quoque omnes ſignifica-
tiones,

Digitized by Google

tiones, quę, (ut iam demonſtrauimus) non rectè à noſtris diſiunguntur. Longum
uerò potius quàm neceſſarium eſſet omnes loquendi formulas percenſere, quibus uariè
in uarijs locis iuris uocabulum uſurpari ſolet, Quæ tamen huic uni, quam diximus, ſigni
ficationi planè omnes conueniunt, ut cum dicimus, pro ſuo iure aliquem id facere, fir-
mo iure haberi, ſui uel alieni iuris eſſe. In quibus omnibus ſolus uſus ſpectandus eſt, qui
19 hac in re prorſus dominatur. Vnde perſępè fit, ut fruſtrà inquiratur ratio, cur hoc potius
quàm illo modo aliquid dicatur; Vt ſi quæras rationem cur quãuis lex, & ius ſæpenume
ro ſimul confundantur. §. ſed ius quidem ciuile, cum ſimil. inſt. de iure nat. gent. &
ciui. tamen nunquam legamus ipſa lege aliquid fieri, ſicut ipſo iure fieri frequenter dici-
mus, cum à ſola lege nullo alterius facto, uel adiumento accedente, aliquid fieri ſignifica
mus. l. ſi tibi. §. quædam. ff. de pactis, & §. j. cũ multis ſimil. inſt. de hęr. qual. ac differ.

## ARGVM.

VIderi Iuſtinianum in tradenda iuris diuiſione, & in ipſa diuiſionis explicatione mul tis modis erraſſe, qui ordine hìc enumerantur.

1 Longè difficilior eſt iuris diuiſio, quàm primo aſpectu uideatur.
2 Summa eorum quę de tota iuris diuiſione Iuſt. ſentit.
3 Sitne in eo reprehendendus Iuſt. quod ius naturale à iure gentium ſeparauerit.
4 Ab Vlpiano & Iuſt. Paulus Caius, itemq; Ariſtoteles diſſentire uidentur.
5 Non uidetur Iuſt. ulla diuiſionis ſuæ parte prima naturę præcepta fuiſſe complexus.
6 Tertium in quo uidetur Iuſt. reprehendendus.
7 Multa ſunt iuris ciuilis, quę non minus uidentur naturalia dici poſſe, quam quæ ſunt iuris gentium.
8 Tutelam, & alia nonnulla, quę Iuſt. tribuit iuri ciuili, Ariſtoteles forſan tribueret potius iuri naturali.
9 Iuſtiniani traditionibus experientia reclamat, in eo quod iusgentium immutabile eſſe dicit.
10 Teſtamenta apud Germanos non fuiſſe in uſu ex Tacito.
11 Teſtamenta iurisgentium eſſe & uerius eſt, & frequentius receptum, licet Portius utrunque negauerit.
12 Quæ iurisgentium ſunt, non ſtatim ab omnibus fuerunt inuenta, ſed ab aliquibus primùm, deinde in aliorum mores paulatim introducta.
13 Manumiſſionum primus autor Tullus Hoſtilius.
14 Non rectè colligit Connanus ex l. j. ff. de contrah. emp. tempore Troiani belli, emptionis, & pecuniæ uſum non extitiſſe.
15 Qua ratione Lycurgus nummos aureos & argenteos planè irritos reddiderit.
16 Plato & Ariſt. apud ſolos Deos uolunt ius planè immutabile eſſe.
17 Quomodo concilientur uerba Ariſtot. qui alibi docet etiam ius naturale apud homines eſſe immutabile.
18 Non eſſe hìc recipiendum quod nonnulli exiſtimant, à ſolis improbis hominibus ius gentium ſeu naturale mutari.
19 Chriſtianorum moribus ſeruitutes improbantur.

## CAP. XVI.

CVm ex ijs, quæ ſuprà diximus cõpertiſſimũ eſſe poſſit, q̃d ſit ius, ac q̃d à lege, & à iuſto differat, reliquũ eſt, ut de iuris diuiſiõe agam⁹: cui⁹ cũ difficultas maxima eſt, tũ



Digitized by Google

difficultas certè maior, q̃ primo aſpectu forſan cuipiã uideri poſſit.Ita enim hac in re ſo-
let euenire,ut cũ ad Vlpiani ac Iuſtin.diuiſionẽ animũ referas,primo quidẽ aſpectu nihil 1
ea planius,& apertius;ubi uerò paulò attentius eã conſideres, tũ nodos uideas ineſſe illi
quãplurimos, quos explicare difficillimũ ſit. Iuſtinianus ergo inſt.de iu. nat.gent.& ci
ui. poſt Vlp. in l.1. in fin.ff.de iuſt.& iur. tripartitã tradit iuris diuiſionẽ, ac quicquid iu-
ris eſt,id totũ in naturale,gentium & ciuile diſtribuit.Naturale appellat quod non ſolius 2
humani generis eſt,ſed & omniũ animantiũ,quę in cœlo terra,mariq; naſcunt̃,Cuiuſmo
di uidemus eſſe maris,& fœminæ cõiũctionẽ, liberorũq; procreationẽ,atq; educationẽ.
Ius gẽtiũ definit eſſe,quod ratio inter oẽs gẽtes cõſtituit,id enim apud oẽs gẽtes(inquit)
peræquè cuſtodit̃, uocaturq; ius gẽtiũ quaſi quo iure oẽs gẽtes utunt̃.§. quod uerò inſt.
eod.quæ diffinitio ex Cai inſtitutionibus tradit̃ etiã in l.oẽs populi.ff.de iuſt.& iur. Atq;
huic iuri paulò poſt Iuſtinianus in §.ius autẽ.eod.tit.bella,captiuitates,ſeruitutes, & con
tractus tribuit;Quę oĩa & Hermogenes recẽſet ĩ l.ex hoc iure.ff.eod.Quãquã uerò in tra
dẽda diuiſione hoc appellet ius gẽtiũ,tñ alibi ſępe appellat ius naturale,ut §.ſed natura-
lia quidẽ eod.tit.& inſt.de rer.diuiſ.in prin.§.& quidẽ & §.ſingulorũ,& ſic paſſim apud
alios quoq; legũ autores naturale ius accipit̃,ut ĩ l.ſi quod dominus.ff.de cõdict.indeb.
c.ius naturale.1.diſtinct. & multis alijs in locis. Demũ uerò ius ciuile illud eſſe tradit, qđ
quiſq; populus ſibi cõſtituit,unde leges Solonis, uel Draconis ius ciuile Atheniẽſium, le
ges quibus utit̃ Po.Romanus ius ciuile Romanorũ,ac deniq; quicquid à quocũq; popu
lo proprijs legibꝰ decretũ eſt,eius populi ius ciuile rectè dici ſta tuit.§.ſed ius quidẽ, inſt.
eod.Atquì inter omnia,quæ quocũq; iure cõtinent̃,ſola ea quæ iuris ciuilis ſunt,mutari
poſſe concedit,uel tacito cõſenſu populi,uel alia poſteà lege lata, quæ uerò iuris gentiũ
ſunt,ea dicit,diuina ꝓuidẽtia cõſtituta, ſemper firma,& ĩmutabilia permanere.§.penul.
inſt.eod. Hæc ſunt quæ de iuris diuiſione ſentit Iuſt.quæ licet temerè percurrẽtibus pla-
niſſima uideri poſſint,tñ cũ expendunt̃ diligẽtius,accuratiusq; aliquãtò ad calculũ reuo
cant̃,ita omni ex parte uident̃ abſurda,ut qui ea defendenda ſuſceperit,nõ facilẽ prouin
ciã ſuſcepiſſe exiſtimari debeat. Quinq; uerò ſunt,in qbus potiſſimũ Iuſtinianus uidea
tur iuſtiſſimè accuſari poſſe,ac cũ Iuſtiniano uarij prætereà iuriſcõſulti,quorum ipſe hac
in re traditiones ſequutus eſt. Primũ huius accuſationis caput ex eo ſumit̃, qa Iuſt. poſt 3
Vlp. ius quod ad maris,& fœminæ cõiunctionẽ,liberorumq; educationẽ pertinet,ab eo
iure diſiũgit,quod naturalis ratio inter oẽs gentes cõſtituit, idq; ea ratione,quoniã illud
nobis cũ cæteris animãtibus cõe eſt,hoc uerò ſolis hominibus cõuenit,quã rationem af
fert ipſe Vlp.primus huius ſententiæ autor in l.1.in fin.ff.de iuſt.& iur.Quod uerò hac in
re uideant̃ nõ poſſe iuſtã reprehenſionem effugere,hoc argumẽto demõſtrat̃. Etenim ſi
id ſenſerunt hos ipſos coeũdi,& procreãdi inſtinctus, qui ad animã ſenſitiuã pertinẽt,ac
brutis quoq; inſunt animãtibus,uerè & ꝓpriè ius dici poſſe,in hoc meritò dãnãdi ſunt,
Atq; eos planè hac in re ridet Laurẽtius Valla,qui nihil abſurdius eſſe dicit, q̃ ut edendi,
bibendi,coëundive appetitũ,uel iræ impetũ,nocendiq; cupiditatem,aut eiuſmodi alios
naturæ inſtinctus propriè ius eſſe cõtẽdamus. Hac porrò de re nos ſuprà pleniſſimè dixi
mus cap. 3.quo loci demõſtrauimus animæ ſenſitiuæ inclinationes ius dici nõ poſſe,niſi
quatenus eas rõ tãquã iuſtitię,& honeſtati cõſentaneas receperit,&approbarit,atq; idcir
co ſolã rõne attẽdi,ſolãq; ipſam totius iuris diſpẽſationẽ ſibi uẽdicare,Si uerò eã retinea-
mus defenſionẽ quã & ſuprà attulimꝰ,ut q nobis cõia ſunt cũ brutis animãtibꝰ,ea uolue
rint nõ qdẽ ĩ ipſis feris,& belluis,ſed in nobis ius eſſe,ea.ſ.rõne,qa nos ingenita nobis ra
tio ne

Digitized by Google

tione id amplectamur, ad qđ cætera aĩalia ſolo naturæ ſenſitiuæ inſtinctu ferunt. Si hãc (inquã) retineamus defenſionẽ, nõ poterimus illos in eo defendere, qđ in iuris diuiſione has ſenſuũ inclinationes ſeparauerint ab ijs, quę nos naturalis ratio docuit, cùm eiuſmodi inclinationes eatenus tãtùm ius dici poſſint, quatenus à ratione approbant, neq; alio
4 modo ut ius accipi debeant. Præterea uerò ut cogamur fateri hac in re Vlpianũ erraſſe, momẽti plurimũ habet reſpõſum Pauli in l. penult. ff. de iuſt. & iur. ubi in duo tantũ mẽbra ius partitur, naturale, & ciuile; ſtatuitq; id eſſe naturale, quod ſemper æquũ, & bonũ eſt, qua diffinitione licet nõ negauerim, quin ea quoq; cõplecti uoluerit, quæ tùm ad maris, & fœminæ cõiunctionẽ, tũ ad liberorũ procreationẽ ſpectãt, ex quibus & alia multa profluũt, tamẽ nõ poteſt dici hęc ibi aliter conſiderari, niſi prout à ratione recipiunt, & prout æquo & bono conſentanea ſunt. Quocirca eodẽ mẽbro hæc cõplectit quo & alia, quæ nobis naturalis ratio ſuggerit. Conuenit etiã quod habet in l. oẽs populi. ff. de iuſt. & iur. ubi pariter Caius bimẽbrẽ tãtũ iuris diuiſionem tradidit. Sẽtitq; hoc idem Ariſtot. lib. 5. de morib. cap. 7. ubi ius politicũ in duas tãtũ ſpecies naturale & legitimũ diſtribuit. Sic uidemus huius ſententiæ grauiſſimos autores non defuiſſe, quos potius quàm Vlpianũ uidet hac in re Iuſtinianus ſequi debuiſſe. Secũdũ ĩ quo Iuſtinianus uidet reprehẽdẽdus, illud eſt, quod ſicuti mẽbrũ in hac diuiſione unũ amplius appoſuit, ut proximè oſtẽdimus, ſic contra nõ omnia uidet cõplexus, quæ in hac diuiſione cõplecti debuerat.
5 Negari nõ poteſt quin maxima, & potiſſima iuris pars ſint prima illa iuſtitiæ quaſi fundamẽta, quæ natura noſtris mẽtibus ingenita ſunt, ut colere Deũ, parẽtib⁹, patriæq; parere, fidẽ ſeruare, & id genus alia, quorũ paſſim iuriſcõſulti meminerũt, ut l. ueluti. ff. de iuſt. & iur. l. 1. ff. de pactis. l. j. ff. de cõſt. pecunia. Sed cùm traditã initio illius tit. diuiſionem iuris explicat Iuſt. ſequẽtibus §§. in eũ modũ loquitur, ut illa ipſa rationis principia nulla eius diuiſionis parte cõplecti uideatur, Neq; enim ad ius naturale ea retuliſſe exiſtimãdus eſt, quia non conueniunt omnibus animantibus, ſed humanis tantùm mentibus inſidẽt; nõ ad ius ciuile, quia non ſunt propria ſingularũ ciuitatũ. Solũ erat iusgentiũ in quo cõprehendi poſſe uiderentur, ſed ab eo quoq; illa excludit ipſe Iuſt. in §. ius autem. eo. tit. Ius « autẽ gentiũ (inquit) omni humano generi cõmune eſt, nam uſu exigente, & humanis ne « ceſſitatibus gentes humanæ iura quædã ſibi conſtituerunt, idq; bellorũ, captiuitatũ, ſer- « uitutũ, ac contractuũ exẽplis demonſtrat. Non erũt ergo iuriſgẽtiũ hæc prima naturalis rationis præcepta, qñquidẽ ea ſibi gentes nõ cõſtituerũt, ut uidet ibi exigere Iuſt. ſed ſola natura nobis ingenita ſunt, nec conſtitutione habent aliqua, id quod & Gratianus ad-
6 uertit in c. ius naturale 1. diſtinc. Tertiò ea quoq; ratione uidetur Iuſtinianus ſaltem primo aſpectu reprehendi poſſe, quia quãuis ipſe in tradenda iuris diuiſione ius naturale à iure gentium diſtinxerit, tamen alibi uariis in locis docet ius quoq; gentiũ naturale eſſe, quod non æquè de iure ciuili affirmat, imò id apertè inficiatur: quoties enim ius gentiũ appellat naturale, hac appellatione à iure ciuili illud diſtinguit §. ſed naturalia inſt. de iure nat. gẽt. & ciui. §. & qdẽ & §. ſingulorũ inſt. de rer. diuiſ. Sic etiã uidemus naturalẽ dici ſolũ illã obligationẽ quæ orit ex cõtractibus iuriſgẽtiũ. l. Stichũ. §. naturali ff. de ſolutionib⁹. l. cũ amplius. §. is natura debet. ff. de reg. iur. Rationẽ aſſignat Socinus in rub. de uerb. oblig. nu. 6. ex ſentẽtia Auguſtini in lib. de lib. arbitrio, quia ius gẽtiũ manat à lege naturę. Cũ .n. lege naturæ (inquit) homo ſit animal cõmunicatiuũ, & appetẽs ſocietatis (ut ait Ariſt. lib. 1. Politic.) ex hoc cõtractus oriri neceſſe fuit, ſine qbus neq; humanę ſocietates cõſeruari, neq; ulla inter hoĩes cõmercia iniri potuiſſent. Verũ hîc operę

pretiū eſſet rōnes q̄rere,cur minus ea iura,quæ in ſingulis ciuitatibus obſeruātur, natura 7
lia dici debeant,cum multa eiuſmodi ſint,quæ nō minus, atq; ea quæ ſunt iuriſgentium rationi naturali reſpondeant. Tutelam iuris ciuilis eſſe,ipſius definitio oſtendit, & tamē ipſa tutela à ſola naturali ratione deſumpta eſt, ut fatetur Iuſt.in §.ult.inſt.de Attiliano « tut. Impuberes (inquit) in tutela eſſe naturali iuri conueniens eſt, ut is qui perfectæ « ætatis non ſit,alterius tutela regatur. Cur igitur minus naturale ius erit, quod me impuberis tutelam ſuſcipere iubet, quàm quod mihi permittit,ut hominem uel innoxium, ac de me etiam forſan benè meritum,qui ab hoſtibus captus ſit,ac mihi poſtea uenditus in compedibus tenere, virgis cædere,omnique tormētorum genere poſſim cruciare,atque etiam,ſi libuerit,necare. Nam hæc omnia antè iuris ciuilis prohibitionem iuregentium permiſſa erant.§. j. inſt. de ijs qui ſunt ſui uel alie. iur. Atqui certè hanc ipſam ob cauſam ſeruitutem contra naturam eſſe fatetur Iuſtin. §. 1. inſt. de iure perſo. Item Florent. in l. libertas. §. ſeruitus. ff. de ſtatu hom. Si contra naturam eſt, quomodò ad ius naturale pertinet? Quod ſi hoc non impedit, quo minus ius quo ſeruitus inducta eſt, naturale dicatur, qua ratione non & de iure ciuili idem concedimus, ut ſi ratione naturali ſit conſentaneum, ius naturale dici poſſit? Neque uerò parum hac in re mouere nos debet Ariſtotelis teſtimonium,qui ita apertiſſimè ſentit loco ſuperius addu
cto, ipſiq; Iuſtiniano propterea aduerſari uidetur. Ibi enim dum ius legitimum à natu- 8
rali iure diſiungit, ea tantùm tribuit iuri legitimo, quæ eiuſmodi ſunt,ut antequàm legibus decreta eſſent, nihil referret ita ne,uel ſecus ſeſe haberent, ideoq; non aliam ob cauſam iuſta ſunt, niſi quia legibus præcipiuntur. Qualia ſunt ea, captiuos mina redimi, capramq; potius Dijs, quàm duas oues mactari. Quod cùm ita ſit,multa reperiemus nos in iure ciuili,quæ ex Ariſtotelis ſententia iuri naturali aſſignari debebunt.Cum multa ſint,quę maxima ratione ſunt inſtituta, atque ob id permagni referat, itane uel ſecus ſeſe habeant. Argumento ſunt uſucapiones, ſine quibus dominia ſemper incerta fuiſſent, litiumq; & contentionum aſſiduè occaſionem præbuiſſent,ideoq; bono publico inuentæ dicuntur l.1. ff. de uſucap. & inſt. eo.in princ.l.ult.ff.pro ſuo. Argumento eſt etiam Macedonianum, cuius prouiſio non modò non indifferens (ut ita loquar)ſed propemodùm neceſſaria fuit, cùm alioquin ab ijs qui peſſimo exemplo filijſfam. fœnerarentur, parentum uitæ periculū maximū potuiſſet imminere l. 1. ff. ad Macedon.

Quartò uidetur in eo Iuſtinianus ueritati aduerſatus,quod dixit, ius gentium quaſi
diuina quadam prouidentia conſtitutum mutari non poſſe.§.penult. inſt. eod. Etenim 9
hoc falſum eſſe multis poteſt exemplis monſtrari eorum populorum, qui, quæ ſunt iurisgentium, aut non receperunt, aut certè ſemel recepta poſteà ab uſu ſuſtulerunt. Diſtinctio dominiorum iuriſgentium eſt l. ex hoc iure.ff. de iuſt. & iur. tamen fuerunt qui ea reiecta communia in Repub.omnia habere maluerint, ut Garamantes,& alij quos ſupra cap.12.cōmemorauimus. Iuriſgētiū quoque ſunt captiuitates,& ſeruitutes,atque eę tamen Chriſtianorum moribus exoleuerunt. Nec minus apertè hoc oſtenditur exem-
plo teſtamentorum,quæ apud Germanos in uſu non eſſe Tacitus eſt teſtis: & tamen iu- 10
re gentium fuerunt introducta, teſtandiq; uſus antiquiſſimus eſt,licet teſtamentorum ſolēnia aut iuris Romani,aut alterius cuiuſcunq; iuris propria ſint.Nec ſanè dubitandū
eſt, quin ueriſſima ſit hæc ſentētia,quā frequentius etiam interpretes receperūt Io. And. 11
in c. decernimus. de ſenten. excom.in 6. Butrius, & alii in Rub. extra de teſtamen. Fulg. & Iaſ. in l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iur. Alex. in Rub. ff. de acqui. hæredit.

Digitized by Google

redit. Viglius inſtit. de teſtam. in princ. Quare Chriſt. Portio minimè aſſentien
dum eſt, qui contrariam opinionem & ueriorem eſſe, & communi conſenſu ap
probatam ibidem affirmat. Oſtendunt hæc exempla non minus etiam alias res,
quę iuris gentium ſunt,mutari poſſe,licet hactenus mutatę non reperiãtur. Atq; ad hãc
rem ſatis illud argumenti eſt,quod cum ea quę ſunt iuriſgẽtium,non ſemper extiterint,
ſed ijs aliquando homines caruerint, nulla ratio eſt,cur non etiam in poſterum ijſdem
ipſis carere poſſint. Neque enim exiſtimare debemus, quæ ad communem omnium
12 vtilitatem ſibi gentes inuenerũt,aut ab omnibus populis ſtatim fuiſſe inuenta, aut prõ
tinus vt ab aliquo populo inuenta ſunt, fuiſſe a cæteris omnibus vſurpata. Excogitata
hæc primum ab aliquibus ſunt,mox ſenſim in vicinorũ mores ſeſe inſinuarunt, indeq;
ad alios,atque alios populos peruenere, donec tandem vbique terrarum diffuſa, com-
muni omnium gentium approbatione in mores,& conſuetudinem recepta fuerũt. Ma
13 numiſſiones,& emptiones iuriſgẽtiũ eſſe Hermogenes,Vlp.& Iuſtinianus tradũt, & ne
mo non admittit:& tamen manumiſſiones nudius tertius (ita enim fermè dici poteſt)
induxiſſe Tullum Hoſtilium Regem Romanorum tradit Dionyſius Halicarnaſſæus,
quod ancilla genitus putaretur. Emptionum,venditionumq; vſus antiquior is quidẽ,
non tamen admodum antiquus eſt; Nam longo interuallo poſt permutationem fuiſſe
inuentum nummum teſtis eſt Paulus in l.1.ff.de cõtrah.emp. Licet non rectè ex ea lege
14 colligat Franciſ.Connanus tempore Troiani belli emptionis, ac pecuniæ vſum non
exſtitiſſe,ut probè intelligitur ex ijs quę eruditè admodum hac ipſa de re tradit Alciat.
lib. 9. Parerg. cap. 17. Itaq; ſi fuit aliquando tempus, cum neque fierent emptiones,
neque ulla in re alia nummis homines vteretur, quamuis poſtea hæc ideo inuenta ſint,
vt permutationum difficultatibus æqualitate quantitatis ſubueniretur, fieri tamen poſ
ſet, vt rurſus aliquorum populorum moribus improbarentur,qui forſan animaduerte-
rent non vtilitatis tantum ad commercia pecuniam afferre, quantum detrimẽti ad ani
mos hominum diuitiarum cupiditate deprauandos. Atque id ſenſiſſe uidetur Lycur-
15 gus Lacedemoniorum rex, qui ut multa flagitiorum iniuriarumq; genera extirparet,
omnes nummos tùm aureos,tùm argenteos(ut teſtis eſt Plutarchus)irritos reddidit; ſo
los uerò ferreos conceſſit,qui ob ponderis magnitudinem non tam facilè rapi, occulta
rique poſſent, nec cum tanta voluptate poſſideri. Quod ſi ferreos quoque nummos
ſuſtuliſſet, fuiſſet illud quidem forſan aliqua ex parte incommodum, ob permutatio-
num ſcilicet difficultatem, at certè iuſtitię,honeſtatiſq; ratio huic prohibitioni nulla-
tenus reclamaſſet. Quibus rebus fit, vt mirum videatur,quod tam conſtãter affirmat
Iuſtinianus, ius gentium ſemper firmum,atque immutabile permanere. Quod uerò
omnium maximè hanc auget difficultatem,illud eſt, quia non tantum ius, quod gẽtes
cõſtituerunt,verùm etiam id quod à ſola naturali ratione inter homines introductum
eſt,uidetur mutari poſſe. Primum videtur hoc fateri ipſe Iuſt. inſt. de iur. perſona. dum
dicit ſeruitutem eſſe cõtra naturam,& ibi apertius explicat hoc Theophilus,dum expo
nit contra naturam, hoc eſt, contra ius naturale. Omnium uerò apertiſſimè hoc tradit
16 Ariſtoteles d.cap.7.lib.5.Ethic.vbi inquit apud ſolos Deos eſſe ius ĩmutabile, ſequutus
in hoc ſcilicet Platonis ſententiam,qui inter Deos voluit eſſe illud ius,quod per ſe iuſtũ
eſt,& nunquam mutatur,ideoque appellat αὐτοδίκαιον & iuſtitiam ex qua illud fluit αὐτοδι
καιοσύνην. At inter homines ne naturalia quidem iura omnia eſſe immutabilia concedit
Ariſto. ſed quædam eſſe dicit,quæ mutari poſſint,nõ ſecus ac naturales quaſdam facul

cates

tates in nobis interdum mutari poſſe uideamus. Quodipſum eo demonſtrat exemplo ſatis certe accommodato, quia licet ſiniſtræ dextra præualeat natura, tamen fieri poteſt vt hęc natura vincatur, cum permulti ſint, qui vtraque manu æquè idoneè vtuntur. Verùm quoniam alibi idem Ariſtoteles docet iuſtum naturale immutabile eſſe, huius 17
cõtrarietatis vitãdæ gratia, expoſitores ita diſtinguẽdũ putãt, vt dicamus apud eos qui ſanę mentis ſunt, iura immutabilia eſſe; ab ijs uerò ſolum mutari, qui à recto rationis tramite declinant, quæ diſtinctio an philoſophi ſententiæ conueniat, inferius uidebimus. At compertiſſimum eſt eam Iuſtiniani, & iuriſconſultorum traditionibus accommodari non poſſe, imò nec rationi conuenire. Nam communi cõſenſu omnes fermè natio- 18
nes illius iuris ſtatum immutarunt, quo omnia erant communia, & quo omnes vna, eademq; libertate fruebantur, Ac nemo tamẽ propterea dixerit oẽs dementes fuiſſe, atq; à recta ratione aberraſſe. Quod tantò minus dicendum eſt, quia quæ ab omnibus populis recipiuntur, neceſſe eſt rationi eſſe conſentanea, atq; ob id uidemus in ijs decernendis quæ iuris gentium ſunt, generalem omnium hominum cõuentum non fuiſſe neceſſarium, vt rectè aduertit Diuus Thomas in ſecunda ſecundæ quæſt. 57. art. 3. Quod ſi hæc ipſa quoque quæ gentes poſteà conſtituerunt populi aliqui fortè minus reciperẽt, atque eſſent qui non pro parte tantùm ea mutarent, vt paſſim leges ciuiles facere ſolẽt l. ius ciuile. ff. de iuſt. & iu. ſed etiã penitus ab vſu tollerent, nõ idcirco tamẽ exiſtimandi eſſent illi à recta ratione, atq; à uera iuſtitiæ ſemita declinaſſe. Neq; enim Chriſtiani, quorũ moribus captiuitates, ac ſeruitutes improbatę ſunt, à ratione, & iuſtitia ꝓpterea receſ- 19
ſerunt; cum imò ea in re maximè ad naturæ bonitatem acceſſerint. Itaque fit, vt tãtò abſurdius videatur quod tradit Iuſtinianus. d. §. penul. inſt. de iuſt. & iure, exceptis iuribus ciuilibus, quæ contrario ciuitatis conſenſu mutari poſſunt, nulla alia iura mutationi obnoxia eſſe.

## ARGVM.

INter cætera, quæ contra prædictã Iuſtiniani diuiſionem afferri poſſunt, illud quoque forſan ipſi obijci poſſe, quod ius gentiũ primæuũ à ſecundario non diſtinguat. Itemq; illud, quod iuris vocabulum ad ea quæ facti ſunt, referre videatur. Hinc porrò variæ a varijs traditæ iuris diuiſiones referuntur:

1 Videtur ius gentium prius, & poſterius non modò inter ſe diuerſa, ſed planè cõtraria.
2 Priore iuregentium dominus ſeruo naturaliter obligatur.
3 Intelligẽtia l. ſi quod dominus. ff. de condict. indeb. ex Aret.
4 Autores illius opinionis, quod ius gentiũ vnicum ſit.
5 Lex municipalis, quæ ſtatuit nobis per alterũ aliquid acquiri, quando actionem directam, & quando utilem uobis nobis præſtet.
6 Alia declaratio l. ſi quod dominus, quæ tamen difficultatem non tollit.
7 Non poteſt idem ſibi ipſi eſſe obligatus.
8 Fauoris nonnihil continet ſeruitus, quatenus inductum eſt, ut captiui alioqui occidendi ſeruarentur.
9 Cur conſtitutio iuriſgentium, quæ naturalem libertatem penitus tollit, non ſic tollat naturalem obligationem.
10 Gratianus in diuiſione iuris ab Vlp. & Iuſti. diſcordat, & ius naturale hominum à iure gentium diſtinguit.
11 Frequentius recipitur illa ſententia, ius gentium eſſe duplex, vt per doct. hìc adductos.
12 Vtrum poſſeſſio priori, an poſteriori iuri gentium ſit tribuenda.

Rei

Digitized by Google

13 Rei depoſitæ,& commodatæ reſtitutionẽ tribuit Gratianus priori iuri gẽtium, licet alij ſecus ſentiant.

14 Vt patriæ pareamus, quo iure ſit inductũ noſtri in dubium reuocant.

15 Tres differentiæ inter ius gentium prius & poſterius ex Gratiano & Di. Thoma.

16 Quomodo Diuus Thomas contractuũ originem a iure naturali deſumat.

17 Quæ ſunt iuris gentium prioris, non egẽt ratiocinatione, neq; vlla hominum conſtitutione.

18 Sint ne ſemper ęqua, & bona quę ad ius gentium poſterius ſpectant.

19 Quæ maximè leges faueant illorum ſententiæ, qui ius gentium vnicum eſſe ſtatuunt.

20 Perpenduntur l. 1. & quatuor ſequentes ff. de Iuſt. & iur.

21 Propria fecit Iuſt. quæcunque ipſe approbaiut.

22 Vt nõ modo canones à legibus ciuilibus, ſed etiam omnes fermè leges ciuiles inter ſe videantur hac in re diſſentire.

23 Ariſt. non eandem vbique, ſed diuerſas iuris diuiſiones affert.

24 Ciceronis diuiſio nulli ex prędictis planè conuenit.

25 Noſtri quoque interpretes varias pro ſe quiſque diuiſiones afferre conati ſunt.

26 Ius aut cum brutis, aut cũ Deo opt. max. aut cum cæteris tantùm hominibus nobis comune eſſe nonnulli ſtatuunt.

27 Iuris uniuerſi quatuor qualitates ex Vlder. Zaſio.

28 Roberti Marantæ diuiſio à ſuperioribu omnibus diuerſa.

29 Rectè ne Iuſt. & Grat. iuri tribuant bella captiuitates, contractus, ædificationem munitionem, & eiuſmodi alia, quæ potius facti ſunt.

30 In contractibus bellis, aliiſque prædictis quicquid iuris ineſt, totum uidetur eſſe à natura, non autem ab hominibus fuiſſe conſtitutum.

31 Non eodẽ modo ſe habent bella, & cõtractus, & ſimilia ad ius gẽtiũ, queadmodũ prima naturæ præcepta ad ius naturale.

## CAP. XVII.

ALia inſuper in hac iuris diuiſione difficultas oritur, quæ non mihi ſoli venit in
mentem, ſed & alijs expoſitoribus negotium fecit. Quare multi multis in lo-
cis in huius nodi explicatione non parùm elaborarunt. Dubitatur cur Vlp.
& Iuſt. vnicum tantùm ius gentium, ac non potius duplex eſſe ſtatuant, nam cum di-
ſtinguant ea capita, quæ rectè ſimul commiſceri potuerant, vt ſuprà demonſtrauimus,
multò rectius forſan ius gentiũ prius à poſteriore ſeparaſſent; Cum hæc duo iura eiuſ-
1 modi ſint, ut non modò inter ſe diuerſa, ſed etiam ſibi inuicem planè contraria videan-
tur. Quod ipſum vel hoc vnico exẽplo optimè demõſtratur. Fatentur oẽs ad ſeruum ea
non pertinere, quæ poſteriore iure gentium conſtituta ſunt. arg. l. quod attinet & l. ſer-
uitutem. ff. de reg. iu. & §. 1. inſt. de ijs qui ſunt ſui uel alie. iu. Qua ratione non mo-
dò dominium, ſed & poſſeſſio ipſi ſeruo denegatur l. quod ſeruus. l. poſſeſſio quoque.
§. qui in alium. ff. de acquir. poſſeſſ. At priore illo iure gentium, quod naturalis ratio
2 inter omnes homines introduxit, poteſt ſeruus naturaliter ſibi dominum obligare, fa
citque hoc æquitas ſeruandæ fidei, quæ omnes planè homines adſtringit. Quapropter
uidetur eſſe neceſſe hoc ipſum ius gentium, quod naturali ratione introductum eſt, ab
eo iure diuidere, quod ſibi gentes conſtituerunt. Quandoquidem ſi unicum illud eſſe
ſtatueremus, non poſſemus inficiari, quin idem ius ſibi ipſi contrarium eſſet. Hac ra-
tione adductus uidetur Triphonius hãc iuris gentiũ diuiſionẽ attuliſſe in l. ſi quod do-
minus. ff. de condict. indeb. quo loci ſtatuit non dari domino repetitionẽ, ſi quod ſer
uo proprio debuit, eidem poſtea manumiſſo errore aliquo ductus ſoluerit, idque ea ra-
tione, quia dominus in hac ſolutione naturale debitum uidetur agnouiſſe. Quomodo
uerò inter dominum, & ſeruum poſſit naturale debitum conſiſtere, in eum modum ipſe
explicat;

Digitized by Google

explicat, ut ſimul etiam apertè demoſtret, illud ius gentium quod ſola naturalis ratio 3
inter homines primum induxerat, ac dicitur naturale, ab altero poſteriore iure omnino diſtinguẽdum eſſe, quod ipſe peculiari nomine ius gentium appellat. Vt enim (inquit) libertas naturali iure continetur, & dominatio iure gentium introducta eſt, ita debiti, vel non debiti ratio naturaliter intelligenda eſt. Franciſ. Areti. in l. 1. ff. de acq. poſſeſſ. reſpondet non idcircò ſeruum naturalis obligationis compotem eſſe, poſſeſ- 4
ſionis non eſſe, quia ad diuerſa iura & obligatio, & poſſeſſio referri debeant, ſed quia nullæ directæ obligationes, neque actiones à ſeruo ad dominum transferuntur, ſed transferuntur vtiles tantum, ac directæ penes ſeruum remanent. l. qui hoc caſu. ff. de pecul. l. 1. §. 1. ff. de vſufruct. accreſc. uideturq; hoc ſenſiſſe Bart. in l. 1. §. ſublata. ff. de Trebell. Ita fit ut eodem uno iure gentium obligationes naturales, quarum capax eſt ſeruus, nõ directò, ſed vtiliter tantũ domino acquirantur; cum directæ obligationes (ut ipſe inquit) inſeparabilem naturam obtineant. Quare ſublata hac ratione, concludit ipſe ius gentium non duplex, ſed vnicum eſſe; quàm ſententiam ante ipſum probarunt Ar- 5
chidiaconus in c. omnes. 1. diſtinct. & Fulgoſ. in l. ſi quod dominus. ff. de condict. indebiti. Verùm hæc reſpõſio Aret. legibus apertiſſimis aduerſatur, namq; actiones directas per ſeruum domino acquiri perſpicuè probatur arg. l. quoties. ff. de adminiſt. tut. tut. & l. 2. iuncta. l. non quaſi in princip. ubi Accur. & Bart. ff. rem pup. ſalu. fore. Quare tanto magis de naturali obligatione hoc affirmandum eſt, quæ nõ admittit hanc diſtinctionem, ut in directam, & utilem diuidatur, ut liquido apparet, ex l. ſi eius. ff. ad Trebell. Leges uerò ab Aretino adductæ nihil ad hanc rem pertinent. Nec ſanè ipſi quicquam ſuffragatur Bart. in d. §. ſublata. Quin potius perſpicuè aduerſatur. Nam tunc 6
quidem exiſtimat ipſe lege Municipali trãſferri in me utilem actionem, & non directã, quoties lege illa cauetur, ut alteri primum actio acquiratur, ac per illum deinde mihi: At cum initio mihi, quamuis per aliam perſonam, acquiri actionem lex Municipalis ſtatuit, tunc ſentit Bart. non utilem, ſed directam mihi actionem acquiri. Aliam re- 7
ſponſionem afferunt ibidem recentiores deſumptam ex traditis per Caſtrenſem. in l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iure. Ea de cauſa dicunt penes ſeruum, cui dominus aliquid promiſit, remanere naturalem obligationem, quia cum dominus fuerit, qui ſe obligauit, non poteſt hæc obligatio acquiri domino, ne eundem ſibimet ipſi obligatũ dicamus, 8
contra l. Vranius. ff. de fideiuſſ. & l. & quidem. ff. de leg. 1. Atq; hoc modo non uidetur eſſe neceſſe, ut prius ius gentium à poſteriore diſiungamus: Neque enim poſteriori iuri gentium, quod ab hominibus conſtitutũ eſt, illud quicquam aduerſatur quod quę domino per ſeruum acquiri non poſſunt, penes ipſum ſeruum reſideant, argu. §. 9
ſed cum factum. Inſt. de ſtip. ſeruorum. Nam & fauori ſeruorum nonnihil tribuit ius gentium poſterius, cum ſciamus hoc ipſo iure fuiſſe inductum, ut ſeruarentur ca- 10
ptiui, neq; occiderentur. l. 4. ff. de ſtatu hom. Qua de cauſa concludunt noſtri interpretes ualere legatum alimentorum ſeruis relictum ut l. 3. ff. de alim. & cib. lega. nimirum quia alimenta ad uitę conſeruationem ſpectant. l. necare. §. 1. ff. de lib. agnoſc. Quàm debilis & infirma ſit hæc reſponſio cùm ex ijs apparebit, quæ inf. pleniſſimè ſumus dicturi, tùm ex eo etiã facile intelligitur, quia uel ſi maximè cõcedamus ſeruis quoque ipſis à iure gentium nonnulla tribui, tamen conſtat ius gentium poſterius non modò non inducere naturalem obligationem, qua ſeruo dominus obſtringitur, ſed illi potius aduerſari; cum exſtante ſeruitute, omnem planè huius obligationis effectum



Digitized by Google

8 irritum reddat. Quocircà ſi hæc iurisgentiũ conſtitutio ſeruitutem inducit,& propterea
libertati aduerſat̃, aduerſat̃ etiam obligationi, ſed libertatem quidem funditus tollit, na
turalem uerò obligationẽ tollere non poteſt; conſequens certè eſt, naturalẽ obligatio-
nẽ alio aliquo, & longè firmiore fundamento niti, quod non tàm facilè euelli poſſit.
Ideò fit ut non ad idẽ,ſed ad diuerſum ius referenda uideat̃. Atq; hoc uidet̃ ſenſiſſe Gra-
9 tian. qui hac in re ab Vlp. & Iuſt. traditionibus receſſit. Ipſe enim in c. ius naturale,& in
c. ſequẽti: ius illud quo gentes utunt̃, duplex eſſe ſtatuit, alterum naturale, quod ſolo na-
turę inſtinctu inductũ eſt, alterũ uerò quod ſibi gẽtes cõſtituerunt, idq; magis peculiari
nomine ius gentiũ appellat. His duobus addit poſteà ius ciuile, atq; in hũc modũ tripli-
cẽ iuris diuiſionẽ conſtituit. Illud uerò quod cũ cæteris animãtibus nobis cõmune eſt,
cũ primo illo planè confundit. Iuri naturali quod noſtri appellãt ius gẽtiũ primæuũ tri-
buit uiri,& fœminę coniũctionẽ, liberorũ ſucceſſionẽ, puerorũ educationẽ, cõmunẽ om
niũ poſſeſſionẽ, unã omniũ libertatẽ, acquiſitionẽ eorũ, quæ cœlo, terra, mariq; continẽ
tur, rei depoſitæ, uel cõmodatæ reſtitutionẽ, uiolẽtiæq; per uim repulſionẽ. Iuri gentiũ
poſteriori alia aſſignat ab his ipſis planè diuerſa, quæ non à ſola naturali ratione, ſed ab
hominibus ipſis proficiſcunt̃: nempè ſediũ occupationẽ, ædificationẽ, munitionẽ, bel-
la, captiuitates, ſeruitutes, fœdera pacis, inducias, legatorũ non uiolãdorum religionem,
cõnubia inter alienigenas prohibita. Quare eſt ſolũ ius ciuile, in quo ipſe à Iuſt. non diſ-
ſentiat. Eamobrem ergo noſtri interpretes cùm ratione illa, quã ſupra attulimus, tùm
etiã Gratiani autoritate adducti in hãc ſentẽtiã frequentius decurrunt, ut dicãt duplex eſ
10 ſe ius gentium, prius,& poſterius, ſiue (ut multi appellant) primæuũ,& ſecundariũ: Ita cõ
cludit Bart. in d. l. ſi quod dominus. ff. de cõdict. indeb. et alijs etiã in locis, ut in l. eas
ff. de capit. diminut. & in l. ex hoc iure col. 4. ff. de iuſt. & iur. & hæc ſententia (ut dixi-
mus) cõmuniori calculo recepta eſt, quod & Socinus teſtatur in d. l. 1. ff. de acquir. poſ-
ſeſ. Ita etiam ſenſerunt Angel. & Caſtren. in d. l. ſi quod dominus. quod pleriq; etiam ex
recentioribus uarijs in locis ſequuti ſunt, Fort. Garzia. in l. manumiſſiones col. 2. & 3. ff.
de iuſt. & iur. Dñs meus Bolognetus in l. ut uim nu. 4. & in l. omnes populi nu. 10. & 11.
ff. de iuſt. & iur. Galiaul. hoc in loco, Caguol. in rub. ff. de orig. iur. nu. 3. & in l. ult. nu.
9. C. de pactis. Sicq; hęc ſententia (ut diximus) cõmuniori calculo recepta eſt, quod &
Socinus teſtat̃ in d. l. 1. ff. de acq. poſſeſſ. Cõueniũt in eo p̃dicti omnes, quod cenſent ius
gentiũ in duo capita, nimirũ prius,& poſterius diſtribuẽdũ eſſe, ſed quãtũ ad ea quæ uni
uel alteri iuri tribuẽda ſunt, neq; cũ Gratiano, neq; ipſi inter ſeſe ſatis cõſentiũt. Etenim
11 poſſeſſionẽ cõi cõſenſu iuri gẽtiũ poſteriori aſſignãt, ut per Soc. Iun. in l. 1. nu. 389. ff. de
acquir. poſſeſſ. At cõtrariũ uidet̃ ſentire Gratianus in c. ius naturale, ubi ad ius naturale,
12 quod à iure gẽtiũ ipſe diſiũgit, cõem rerum omnium poſſeſſionẽ refert. Eidẽ iuri tribuit
etiã rei depoſitæ,& cõmodatę reſtitutionẽ. At nõ cõcedũt interpretes, depoſitũ,& cõmo
datũ ad ius primæuũ referri poſſe, cũ poſteriori tãtũ iure dominia diſtincta,& contractus
13 fuerint introducti d. l. ex hoc iure. De illo quoq; p̃cepto, ut patriæ pareamus, ambigũt
noſtri, cui nã iuri tribuẽdũ illud ſit, neq; ſatis ĩter ſe cõſentiũt. Socin. Iun. ĩ d. l. 1. ff. de ac
qr. poſſeſſ. ex aliorũ ſentẽtia tradit hoc p̃ceptũ iuris gẽtiũ poſterioris eſſe, cũ antea nõ po
tuerint eſſe patriæ, quàm homines ĩ unũ cõgregari, ac regna cõdere cœpiſſent, quod po
ſteriore tãtũ iure gẽtium factum eſſe conſtat. At Barthol. Socinus hìc nu. 3. inter ea quæ
à iure gẽtiũ primęuo ꝑfecta eſſe dicit, hoc quoq; p̃ceptũ cõnumerat, quod idẽ facit Dñs
meus in l. oẽs populi nu. 9. ff. de iuſt. & iur. Vtcũq; uerò huic diſtinctioni exẽpla accõmo
14 dent̃, diſtinctio certè ipſa uidet̃ neceſſaria, ſiquidẽ inter unũ,& alterũ ius gẽtiũ tres differen



Digitized by Google

tiæ uidentur afferri poſſe. Prima eſt,quòd ius gentium primæuum,(utar enim ſemper ijs 15
uocabulis,quæ apud noſtros frequentiora ſunt) prima illa naturæ principia continet in
deriuata,atq; indemõſtrabilia,quæ ſola natura mentibus noſtris ingenita ſunt, ueluti fi-
dẽ ſeruare,& id genus alia, ut rectè docet Bar.in d.l.ex hoc iure col.4.Ius uerò,quod di-
cũt ſecundariũ,ijs conſtat propoſitionibus,quæ inde deriuanť:Hanc differentiã tradit di
uus Thomas in pª.2ª. quęſt.95.art.4.cũ dicit emptiones,uẽditiones,locationes,condu- 16
ctiones,& alios contractus ex lege naturæ deriuari,quoniam ſine illis non rectè deriuari
aut conſeruari poſſent hominũ conſociationes, ad quas ipſius naturæ inſtinctu inuita-
mur, ut tradit Ariſt.lib.1.Polit.cap.2. Ex hac prima orit altera differẽtia: nã cũ ius gẽ-
tiũ primæuũ,quod à iuriſconſultis naturale appellari ſolet,prima iuſtitię contineat fun-
damenta (quemadmodũ diximus) inderiuata,atq; indemonſtrabilia,ex hoc ſequitur in
ipſo iure primęuo neq; ratiocinatione opus eſſe, neq; ulla hominum conſtitutione. At 17
ius gentiũ poſterius ab hominũ cõſenſu,& inſtituto pendet,Tametſi neceſſe non fuit(ut
ex diuo Thoma ſupra retulimus,) huius conſenſus declarandi cauſa aliquando omnes
homines ſimul cõueniſſe. Docuit nos Gratianus hanc ſecundã differentiã in c.ius natu-
rale, quo loci ius naturale, quod à noſtris dicitur ius gẽtium primæuum,hac ipſa de cau
« ſa diſtinguit ab eo quod hominũ conſtitutionibus inductũ eſt. Ius naturale (inquit)
« eſt cõmune omniũ nationũ,eo quod ubiq; inſtinctu naturę,non conſtitutione habetur
aliqua. Tertia hinc profluit differentia,quã in fine illius cap.idem Gratianus tradit,ubi
« poſt relata exempla iuris naturalis,hæc ſubijcit uerba : Nam hoc aut ſi quid huic ſimi-
« le eſt, nunquam iniuſtum, ſed naturale, æquũq; habetur. Quod cum de iure tantum 18
primęuo affirmet,haud obſcurè indicat,non poſſe de poſteriori iure gentiũ hoc affirma
ri,ſicq; illud non ſemper ęquum & iuſtum eſſe. Tametſi enim eo fine inſpecto propter
quẽ ab hominibus conſtitutum eſt,iuſtiſſimum ſemper eſt,tamen eſt interdum cum ini-
qui faciem quodãmodo præ ſe ferat, ut in bellis optimè cernitur. Quoties enim contra
aliquam ciuitatem bellum ſuſcipitur, publicè acceptam iniuriam in omnibus eius ciui-
tatis incolis uindicamus,quorum tamen pleriq; ab eius cõmiſſi culpa,cuius ratione bel
lum ſuſceptum eſt,alieniſſimi eſſe potuerunt. Sed quantò pluribus & rationibus, & diſ
ferentijs confirmamus hanc diſtinctionem iuris gentium primæui, & ſecundarij, tantò
uehementius in Iuſt. inuehimur,qui non modò in tradenda generali totius iuris diuiſio
ne,ſed & alibi ſemper,cùm de iure gentium incidit mentio, primæuum cum ſecundario
planè confundit, atq; ita loquitur, ut eandem ſe utriq; naturam tribuere, haud obſcurè
demonſtret. Quod præſertim facit in §.ſingulorum inſt.de rerũ diuiſio.ubi dum ſe tra- 19
ctaturum proponit,quibus modis res nobis acquirantur iure naturali,quod (ut ipſe ait)
appellatur ius gentium,illud idem ius proponit nobis, atq; deſcribit, quod à nobis pri-
mæuum appellatur, cum dicat ipſum una cum humano genere proditũ eſſe:& tamẽ tri
buit ipſi poſteà effectus illos,qui nõ niſi ex iure gẽtium ſecũdario prouenire poſſunt. Vt
quod uel in bello,uel per ædificationẽ aliquid acquirať,ut §.itẽ ea quæ ab hoſtibus,& §.
cũ in ſuo ſolo, cũ §.ſequẽ.inſt. eo. Qua in re habuit Iuſt.autorẽ Caiũ in l.1.ff. de acquir.
poſſeſſ.Nec minus etiã Vlp.& alij iuriſconſulti hæc duo iura confundunt,ut liquidò ap-
paret ex l.1.§.ult.iũctis quatuor ll.ſequẽt.ff.de iuſt.& iur.quas & Aretinꝰ in l.1.ff.de acq.
poſſeſſ.ad hoc ipſum rectè perpẽdit.Nã cũ prius in d.§.ult.ex Vlp.ſentẽtia ſtatuiſſent cõ
pilatores,illud eſſe ius gẽtiũ,qđ ſolis hominibꝰ inter ſe cõe eſt,dũ poſteà in legibꝰ ſequẽti 20
bus Vlp.mẽtẽ explicant,promiſcuè tũ ex iure primario, tũ etiã ex ſecũdario exempla tra-
dunt,Quare in l.ueluti,proximè ſequenti numerant religionem erga Deos, quæ eſt iuris
gentium

Digitized by Google

gentium primæui, tum & præceptum illud patrię parere, quod à pleriſq; iuri gentium ſecundario tribuitur, ut aduertit Socinus Iun. in d.l.1.nu.399. Sequenti poſtea lege ſubdũt exemplum illud, uim ui repellere, quod à priore iure gentium didicimus. In alijs porrò duabus legibus ex poſteriore iure gentium ſumuntur exempla, ſimulq; ita cõnectuntur, ut non diuerſo alicui iuri, ſed eidem planè tribui uideantur, cui etiam ſuperiora exempla conueniunt. In l. manumiſſiones quoq;. perpendit Aretinus illam dictionẽ, quoque, quæ cũ implicandi uim habeat, oſtendit manumiſſiones, ac ſeruitutes ab eodẽ iure profluere, ex quo etiam uis, atq; iniuriæ propulſationẽ oriri proximè dictum fuerat: & tamen nemo eſt, qui ſeruitutes, ac manumiſſiones non iuri gentium poſteriori tribuat. Proximè ſequit̃ l. ex hoc iure, in qua Aretinus perpendit dictionẽ, hoc, quę quaſi ad oculũ id quod exprimitur demonſtrare ſolet. l. nemo dubitat. l. hoc articulo. ff. de hæred. inſt. l. ſi ſtipulatus fuero hanc ſummam infrà eod. l. j. ubi Bar. & alij idẽ aduertunt. ff. de no. oper. nunc. Itaq; ibi demonſtrat hoc ius gentium, ex quo Hermogenes dicit introducta eſſe bella, gentes diſcretas, regna cõdita, & alia inducta, quæ ibi referuntur illud idẽ eſſe, cui promiſcuè tribuunt̃ etiã exẽpla omnia ſuperioribus legibus cõnumerata. Quod ſi erratũ eſt, aut ſi hæc iura uerè inter ſe diſtincta ſunt, quæ ibi confunduntur, hoc erratum Iuſtiniano præſertim tribuendum eſt, qui non ipſe tantũ errauerit, ſed & in alijs hunc errorem ap-
21 probauerit: Siquidem omnia quodãmodo ſibi propria fecit, quibus autoritatem ſuam eſt impartitus. l. 1. §. omnia. C. de uete. iure enucle. Hæ ſunt quinq; accuſationes, quæ in hac iuris diuiſione contra Iuſt. uidentur afferri poſſe, ex quibus illud ſaltem probè intelligitur, quanta huius materię difficultas ſit; quam difficultatem etiam ex eo facilè poſſumus agnoſcere, quod ex iis omnibus qui hac de re ſcripſerunt, nullus fermè fuit, qui nõ nouã aliquã, atq; diuerſam iuris diuiſionem attulerit. Primùm enim diſſident canones
22 à legibus ciuilibus, quemadmodũ diximus per c. ius naturale. cum duob. ſequent. 1. diſtinct. iũcta l. 1. §. ius naturale. ff. de iuſt. & iur. inſt. de iur. nat. gẽt. & ciui. in prin. & §. 1. & 2. Præterea etiã leges ciuiles parũ inter ſe cõueniũt, ut ex iis quæ diximus perſpectiſſimũ eſſe poteſt: Siquidem uidimus Vlpianũ, & Iuſt. dum iuris diuiſionẽ tradunt, ius gentium prius à poſteriore nõ diſtinguere: At eã diſtinctionẽ recipere Triphon. in l. ſi quod dominus. ff. de cõdict. indeb. neq; ab ea abhorrere Vlp. parùm in hac re ſibi cõſtãtẽ in l. manumiſſiones ff. de iuſt. & iur. Ab horũ ſentẽtia lõgè diuerſa eſt ſentẽtia Pauli ĩ l. penul. illo tit. ff. de iuſt. & iur. ubi neq; ius animãtiũ ſeparat ab eo iure quod hominibus propriũ eſt, id quod Vlp. & Iuſt. faciũt; neq; etiã, ut Triphonius, ius gẽtiũ prius à poſteriore diſiungit, ſed duplicẽ iuris uim, & rationẽ eſſe ſtatuit, quarũ alterã in æquitate, alterã in utilitate ponit. Ariſt. lib. 5. Ethic. cap. 7. ab hac ipſa æquitate, uel utilitate diſtinctionẽ ſuã nõ deſumit, ſed naturale ius appellat, quod uim ubiq; obtinet eãdẽ, ſicut ignis & hìc & apud Perſas pariter urit. Legitimũ uerò eſſe definit, quod anteaq̃ legibus ſtatueret̃, nihil reſerebat, itáne, uel ſecus ſeſe haberet. Ac primo aſpectu forſan quiſpiã iudicabit neq; etiã
23 Ariſtotelem ipſum ſibi ſatis cõſtare; nam lib. 1. Rhet. ad Theod. cap. 13. nõ eãdẽ quæ proximè allata eſt, retinet diuiſionẽ, ſed aliã planè diuerſam tradit. Legẽ. n. ſiue ius in ꝓpriũ & cõe diuidit; cui diuiſioni ea planè reſpõdet quã tradit Caius ĩ l. oẽs populi. ff. de iuſt. &
24 iur. Cicero quoq; lib. 2. de Inuẽtione, ne cũ aliis cõueniret, ſuæ diuiſioni ius cõſuetudinis inſeruit: Statuit. n. ius eſſe triplex, naturale unũ, alterũ cõſuetudinis, tertiũ legitimũ, atque hæc tria iura explicat in hũc modũ. Natura (inquit) ius eſt qđ nõ opinio genuit, ſed « quadã ĩnata uis inſeruit: Cõſuetudine ius eſt, qđ aut leuiter à natura tractũ aluit, & maius «

« fecit uſus, ut religionē, aut quod in morē uetuſtas uulgi approbatione perduxit: Lege " ius eſt,quod in eo ſcripto quod populo expoſitū eſt, ut obſeruet,continet. In tanta huius rei perplexitate,ac ſententiarum uarietate illud quoq; accedit, quod noſtri interpretes, non tàm in eo elaborarunt, ut has tàm uarias diuiſiones expſicarent, atque in unam conſonantiam redigerent, quàm id ſtuduerunt, ut noui aliquid pro ſe quiſque in hac iuris diuiſione ex ſuo capite excogitatum afferret. Fuerunt enim qui non modò feris,& beluis, ſed & plantis, atque arboribus ius tribuerent: Sicq; Vlpiani, & Iuſt. diuiſioni aliud caput adijcerent., ut Voconius in ſua 1. declarat. Fue- 25
runt præterea qui ius & gentium, & naturale ſimul complexi, illud triplex eſſe affirmarent, ut Stephanus Forcatulus Dialogo trigeſimoſeptimo,quo loci ait, aliud ius nobis commune eſſe cum Dijs, aliud cum brutis, aliud denique neque cum Dijs, neque cum brutis, ſed cum cæteris tantùm hominibus.Cum Dijs, ut fidem ſeruare, benefa- 26
cientibus benefacere, & id genus alia; cum brutis ut maris, & fœminæ coninnctionem, liberorumq; procreationem & educationem; cum hominibus ipſis, ut bella, manumiſſiones, ſeruitutes, & alia quæ numerantur in l. ex hoc iure.ff de iuſt. & iur. & in c. ius gentium. 1. diſtinct. Zazius in l. ex hoc iure.ff. de iuſt. & iur. in ea ſententia eſt, ut non modò unum ius gentium ab altero diſtinguendum non ſit, ſed neque etiam ius naturale, quod eſt commune omnibus animantibus diſiungi debeat à iure gentium, quod hominibus conſtat peculiare eſſe. Ac fatetur quidem quatuor illi qualitates ineſſe, ex quibus uaria nomina ſortiatur: uerùm tamen illas arbitratur, 27
non eſſe impedimento, quo minùs unicum ius ſit, cum non ex qualibet accidentali, imò neque ex materiali differentia iuris diuiſiones ſint ſumendæ, ut aduertit diuus Thomas in ſecunda ſecundæ quæſt. 95. art. 4. Prima iuris qualitas eſt ſecundum Zazium, quando inſtinctus naturæ ſolus operatur; unde inducitur ius naturale, quod omnibus etiam brutis animantibus commune eſt. Secunda eſt qualitas, quòd naturæ inſtinctus ratione temperatus, ac moderatus ſit, qualis in ſolis hominibus eſſe cernitur. Tertia eſt cum in hominum mentibus abſque ulla ratiocinatione ius perficitur ex ijs ſolis principiis, quorum intelligentias mentibus noſtris natura inſeruit. Poſtrema eſt qualitas cum ratiocinatione opus eſt in iis decernendis, quæ hominum prauitati mederi poſſint, cuiuſmodi ſunt bella, captiuitates, ſeruitutes, & alia quæ communi omnium gentium conſenſu recepta ſunt. At conſiderandum eſt neminem futurum, qui has qualitates,& hos quaſi gradus in iure naturali diſtingui poſſe inficietur, uerùm quod hæ qualitates potius ſint, quàm ipſius iuris ſubſtantiam attingant,certè ex iis quæ tradit Zaſius non rectè demonſtratur. Aliam denique iuris diuiſionem à 28
ſuperioribus diuerſam affert Robertus Maranta in tract. de ord. iudic. in 3. parte principali nu. 2. cum plurimis ſequent. In qua non tantum ius gentium, ſed etiam ius naturale in primæuum, & ſecundarium diſtribuit, ac ſecus aliquantò quàm alii faciant hæc ſingula capita declarat; Et hęc quo ad quintam dubitationē. His porrò dubitationibus omnibus, quas in hac materia hucuſque excitauimus, alia inſuper accedit difficultas, quam ſilentio minimè duximus prętereundam: Ea uerò eſt, quòd Iuſt. præterquàm quod non uidetur ius rectè diuiſiſſe, in hac quoque diuiſione uidetur ius ipſum non rectè accepiſſe: Nam dum iuriſgentium exempla tradit, connu- 29
merat bella, captiuitates, ſeruitutes, contractus. §. ius autem. inſt. de iure nat. gent. & ciui. Quod idem facit Gratianus in c. ius gentium. 1. diſtinct. At ſi intelligimus bel-

la,

la, captiuitates, contractuſq; eſſe ius, nemini poterit hoc non abſurdum uideri: Si-
quidem hæc omnia facti eſſe, nemo eſt qui non concedat, idq; de contractibus vulgò
probant ex l. conſilio. §. ult. ff. de curato. furio. Et quanquàm uerè illa lex non mo-
dò hoc non probet, ſed nec etiam quicquàm ad hanc rem pertineat, tamen uſq; adeò
perſpicuum eſt contractus, item & bella, & captiuitates eſſe facti, ut de hoc minimè am
bigendum ſit. Si verò intelligimus voluiſſe Iuſtinianum, & Gratianum in locis proxi-
mè adductis ius nobis illud indicare, quod ad bella captiuitates, & contractus pertinet,
itemq; ad alia quæ iurisgentium ſunt, non rectè hoc modo Iuſt. defendi poterit, qui di-
cit gentes ſibi iura quædam conſtituiſſe. Nam quæ prædictis in rebus obſeruanda ſunt,
ea non ab hominibus cõſtituta, ſed à naturali ratione potius inducta fuerunt, & ab ijs
præceptis, quæ ab ipſa ratione nobis ſuggeruntur. Id quod exemplis aliquot propoſitis
39 perſpicuè cognoſcemus. In contractibus quicquid iuris ineſt, totum illud fermè poſi-
tum eſt in eo, vt fidem datam ſeruemus. Atque id certè non aliunde, quàm à naturali
ratione proficiſcitur; quamuis enim hoc præceptum homines ad contractus applicue
rint, nullatenus tamẽ hæc applicatio ius dici poteſt. Fit uerò illa in hunc modum: fides
data ſeruanda eſt, at in contractu data eſt fides, illa ergo ſeruanda eſt. In hac argumen
tatione, pręcipiendi & diſponendi vis tota, ex qua ius inducitur, maiori ineſt propoſi-
tioni, quæ fidem datam ſeruari iubet, & quæ à ſola naturali ratione nobis ſuggeritur;
quod uerò in contractu fides ipſa præſtita ſit, quæ erat minor propoſitio huius ſyllogiſ
mi, eſt hoc quidem hominum inuentum, attamen ius non eſt, ſed nudum factum. De
bellis idem dicendum uidetur, in quibus quicquid iuris ineſt, totum illud naturali ra-
tioni uidetur tribuendum, qua nobis permittitur, vt uim vi repellere poſſimus. Quod
uerò homines hoc naturæ principium ad bella applicuerint, certè nudum ea in re fa-
ctum præſtiterunt. Ac de reliquis idem etiam affirmari poteſt, quæ omnia perſequi ſi
gillatim non eſt neceſſarium. Quod ſi ius gentium hoc modo acciperetur, Gratianus
pariter erraſſet in c. ius naturale, in primis uerbis iuncto c. ius gentium, dum putat ho-
minum conſtitutione iura induci nonnulla ab ijs diuerſa, quæ ſolo naturæ inſtinctu no
ſtris quaſi mentibus inſcribuntur. Aduerſatur etiam hoc obiectum ijs, quæ docuit
Diuus Thomas in 1. 2. quæſt. 95. art. 40. vbi emptiones, venditiones, locationes, condu
ctiones, ſocietates ius gentium appellat, atq; a naturali iure diſiungit. Nec ſecus noſtri
interpretes eoſdem ipſos cõtractus, tum & bella, atq; captiuitates ad ius gentium ſecũ
darium referunt, & iuri primario prima & indemonſtrabilia rationis principia tribuũt
vt fidem ſeruare, & id genus alia. Quapropter non immeritò quiſpiam ea qua diximus
31 ratione hac de re dubitabit. Neque enim eodem modo & hæc, & illa ius ipſum ſpe-
ctant. Nam hæc præcepta rationis ius conſtituunt, ac uerè ius ipſa ſunt, quod de bellis
captiuitatibus, cõmertijs, & contractibus affirmari non poteſt. Siquidem illa ius non
ſunt, ſed ſunt facta, & operationes, quæ iure regũtur, & in quibus ipſius iuris munus ex
pletur. Refertur enim ius uel ad perſonas, uel ad res, uel ad operationes: quæ tamen
operationes cùm facti prædicamento ſubijciantur, iuris appellatione minimè conti-
nentur. Verùm quoniam exiſtimare non debemus Iuriſconſultos, alioſq; tàm multos
grauiſſimos autores, tàm inconſideratè loquutos eſſe, aliquantò accuratius explican-
dum nobis eſt, quo pacto hæc omnia accipienda ſint, & qua ratione tùm aliorum au-
torum, quos ſupra adduximus, tùm iuriſconſultorũ præſertim ſentẽtiæ defendi poſſint.



Digitized by Google

## ARGVM.

VT facilior ad ueritatem aditus pateſiat, nonnulla quaſi præludij in morem expli canda atq; illa duo in primis. Primùm an eodem modo ius accipiatur in hac diuiſione, quo ſuperiùs dictum eſt illud accipi debere. Præterea, ad ius perficiendum, quid nam ſola per ſenatura præſtiterit.

1 Ius nō alio modo hìc accipi debet, quàm pro eo quod ex regulis, & præceptis conſtat.
2 Regulæ quæ factorum præſumptionem, aut cognitionem reſpiciunt, quãuis ad iuris artem pertineant, tamē ius ipſum non conſtituunt.
3 Cuiuſmodi illæ ſint.
4 Quales ſint regulæ, quę ius perficiunt.
5 Quomodò ad tria illa præcepta, quæ ſola Vlp. nobis proponit, alię multæ iuris regulæ redigantur.
6 Pleniſſimè natura nobis omnia ſuggeſſit, quæ ad uitam iuſtè, & honeſtè degendam pertinent.
7 Bipartita eorum ratio, quę à natura nobis ſuggeruntur.
8 Ad ſex tantum poſſunt redigi ea omnia, quæ nobis à natura imperantur.
9 Ius quo nobis aliquid præcipitur, ſemper ui ſua obligati one m aliqua m inducit.
10 Quo ex fonte religio oriatur.
11 Vis religionis quantoperè omnibus hominibus ſit innata.
12 Pietas quomodo definiatur, ac quàm arctum eius uinculum ſit.
13 Gratia quid ſit, & quomodo à noſtris iuriſconſultis appelletur.
14 Obſeruantia naturæ præceptum eſt.
15 Veritas, & fides non niſi reclamante natura lædi poteſt.
16 Communis omnium hominum quaſi cognatio eſt.
17 Prudens Socratis reſponſum.
18 Nunquid alieno delicto occurrere teneamur.
19 Duo iniuſtitiæ genera.
20 Vim ui repellere, ſit ne tantū natura permiſſum, an uerò etiam quandoque imperatum.
21 Vltio ſi minus natura, at ſaltē diuini, atq; humanis pariter legibus interdicta.
22 Vindicandi inſtinctus, cùm omnibus plane animantibus ineſt, tùm præcipuum quendam in modum ipſis hominibus.
23 Vim, atque iniuriam inferre naturali lege prohibitum eſt.
23 Verbum inſidiari ad omnia iniuriarum genera refertur.
25 Decalogi præcepta iuris naturalis ſunt.

## CAP. XVIII.

VT igitur in tanta cùm ſententiarum uarietate, tùm & rei ipſius difficultate, certi aliquid affirmare poſſimus, tria nobis ante omnia explicanda ſunt, ex quibus mox ad reliqua, quæ hac in re ſcitu neceſſaria ſunt, facilior aditus patefiet. Primò declarandum eſt, quomodò ius in hac diuiſione accipiatur, tùm à Iuſtiniano, tum ab alijs; quod ut in primis neceſſarium ſit, facit difficultas ſupra proximè excitata. Nimirum quòd ſecus hìc uideantur legum autores iuris uocabulum accepiſſe, atque à nobis ſupra demonſtratum fuit illud frequentius accipi ſolere. Præterea uidendum eſt, quas in iure cōſtituendo natura ſibi partes uēdicet. Tertiò & ult. quid cōtra hac in re homines præſtiterint. Sic enim quoties nobis ius aliquod proponetur, facilius cognoſcemus, quid in eo naturale ſit, quid ue hominibus potius tribui oporteat. Sicque etiam optimè intelligemus, quomodò ipſum ius diuidi debeat, & an iuriſconſultorū, aliorumque diuiſiones aliquo pacto & conciliari ſimul, & defendi poſſint. Quod attinet ad primum, licèt varijs loquendi modis legum autores utantur, ſi tamen eorum uerba attentius perpendamus, reperiemus eos in hac diuiſione non alia ſignificatione

1 ius ipſum accipere, quàm ea, quàm ſupra diximus maximè veram, & propriam eſſe. Dixi mus ius ſignificare legis præceptum, quatenus præceptũ pro quacunq; diſpoſitione ſu mitur. Ita ergo uidebimus accipi ius etiam in hac diuiſione, nam cùm dicit Iuſtin. poſt Vlpianum, priuatum ius tripartitum eſſe, collectumq; ex præceptis naturalibus, gentium, & ciuilibus, certè in hoc præcepta ipſa ius appellat, & preceptorũ appellatione quaſcũque diſpoſitiones complectitur. Quare omnes regulæ, ſiue ſola natura traditæ, ſiue le gibus inſtitutæ ſint, uerè ius dici poterunt, nec ſanè credendum eſt a ſeipſo diſſentire Iu ſtin. dum in §. ius autem gentium: inter exempla iuriſgentium, bella captiuitates, & con tractus receſet, quia non intellexit hæc eſſe iura (uerè. n. facta ſunt, quemadmodum diximus) ſed regulas potius illas reſpexit, quæ his in rebus obſeruantur. Et quamuis uidea tur hîc plurimùm obſtare, quod dicebatur, has regulas non ab hominibus conſtitutas, ſed à ſola ratione profectas eſſe, & propterea non quadrare quod dicit ibi Iuſtin. gentes ſi bi ea iura conſtituiſſe, tamen uerè hoc nihil obſtat. Siquidem nos infra oſtendemus, quomodò homines ijſdem his in rebus regulas ſibi quaſdam conſtituerint, quæ propte rea ipſis gentibus potius, quàm naturæ aſſignari debeant. Vnum tamen cauere hîc opor tet, antequam ad reliqua duo huius diſputationis noſtræ capita deueniamus: nam quod diximus regulas tùm naturales, tùm quæ legibus comprehenduntur, ius conſtituere, nõ de omnibus paſſim regulis affirmari poteſt, ſed de ijs tantùm, quibus aliquid decernitur

2 atque ſtatuitur. Siquidem multæ ſunt, quæ ad factorum præſumptionem, cognitionem ue tantùm pertinent, quibus iuris nomen minimè conuenit. Sicut enim facta ius non ſunt, ita eiuſmodi regulis facta ipſa reſpicientibus haudquaquàm ius cõſtituitur. Quãq̃ negandum nõn eſt, quin ad iuris artem maximè pertineant, & in legum interpretatione

3 ſæpiſſimè uſurpentur. Cuiuſmodi illæ ſunt. Incorporalium rerum nullam poſſeſſionem eſſe l. 3. in princ. ff. de acq. poſſ. Naturam non pati vt tu uidearis ſtare in eodem loco in quo ego ſto l. 3. §. ex contrario. ff. de acquir. poſſeſſ. Earum rerum quæ uſu conſu muntur, vſumfructum eſſe non poſſe. l. 2. ff. de uſufructu ear. rer. quæ uſu conſum. Naturam non pati, ut filius ætate patrem antecedat. §. minorum inſt. de adopt. Errantes conſentire non uideri. l. nihil cõſenſui. ff. de reg. iuris. Sicut & aliæ permultæ, quas om nes recenſere lõgum magis eſſet, quàm neceſſarium. Conſtanter ergo hoc retinendum eſt, nõ ſecus accipi ius in hac diuiſione, ac uera, & propria huius uocabuli ſignificatio exi gat. Vnde dicimus omnibus ijs regulis ius cõſtitui, quæ aliquid ſtatuũt, atque decernũt,

4 quæque iuſti, atque iniuſti normam nobis præſcribunt. Quales ſunt, non modò illæ tres primæ, omniumque maximè generales, quas Vlp. & Iuſtin. nobis proponunt, honeſtè vi uere, neminẽ lædere, ius ſuum cuiq; tribuere. l. iuſtitia. ff. de iuſt. & iure. §. iuris præcepta inſt. eo. Sed & aliç omnes quæ ab his deriuantur. Profluunt. n. ab his quaſi fontibus, aliæ permultæ regulç, quas quotidie præ manibus habemus, non ſecus atque à primis mathe

5 maticorum principijs, aliæ multæ propoſitiones deduci ſolent. Poſſumus exempli gra tia, ab illa regula, qua iubemur, ius ſuum cuique tribuere, pronunciatum illud deriuare. Id quod omnes tangit, ab omnibus comprobari debere. l. 1. in fine. C. de aut. prçſtanda, atque alia id genus quamplurima. Ab illa quoque regula qua prohibemur quemq̃ lædere, profluunt aliæ multæ. Non debere aliquem alterius odio grauari. Non debere al terius factum alteri obeſſe. Non debere inter alios actum, nocere alteri. l. ſi quis in ſuo §. legis. C. de inoff. teſta. l. de pupillo. §. ſi plurium. ff. de noui. op. nunc. l. quia non debet. ff. iure iurando. Penes eum qui fidem fefellit, nihil ex ea re reſidere oportere. l. fundo. ff. de lege

Digitized by Google

lege comiſſ. Ab illo denique præcepto, ut honeſtè uiuamus ſumuntur alia complura, ueluti conuentiones hominum contra bonos mores non ualere. l. pacta quę contra. C. de pact. Contrà factum proprium neminem honeſte uenire poſſe. l. poſt mortem. ff. de adopt. Rei illicitæ nullam ſocietatem rectè coiri. l. ſi quis à reo. §. illud quod uulgo. ff. de fideiuſſ. Hæ ſunt regulæ, atque aliæ eiuſdem generis, quibus diximus iuris nomen uere, ac proprie conuenire. Sic iam primum explicuimus ex ijs tribus, quæ nobis propoſita fuerunt, nimirum quo pacto in hac diuiſione iuris hæc ipſa uox ſit accipienda. Nunc pergamus ad ſecundum, & uideamus, quantum ad ius ipſum perficiendum, quid ſola præſtiterit per ſe natura abſque ulla hominum conſtitutione. Qua in re generatim concludimus, naturam, vt alijs omnibus ſemper in rebus, ita in hoc maximè prouidam pleniſsimè illa omnia nobis ſuggeſſiſſe quibus ad uitam, iuſtè, piè, & honeſtè degendam optimè inſtrui poſſimus. Quæ ut perfectè, ac diſtinctè à nobis cognoſcantur, ſciendum, eſt, bipartitam eorum rationem eſſe. Quædam enim ſunt, quę natura neque prohibentur, neque imperantur, ſed libero ipſorum hominum arbitrio permittuntur, ita ut poſſint homines liberè decernere, quæ pro locis, & temporibus ſibi magis expedire iudicauerint: Quædam uerò ſunt, quæ determinatè (vt ita dicam) natura imperantur, uel prohibentur, ita vt eius imperij, uel prohibitionis mutandæ nulla hominibus facultas conceſſa ſit. In illis quidem primis maximè inſpicitur utilitas, in his uerò honeſtas, ac iuſtitia ſola attenditur; ſolaque hæc poſtrema ſunt, quæ ipſi naturæ præcipuo quodam iure tribui poſſint. Primi capitis exempla hæc ſunt. Permiſit natura res communes haberi, ſed quia permiſit, ac non præcepit, ideò nec rerum dominia diſtingui uetuit, quemadmodum poſtea diſtincta ſunt; quòd certè reclamante natura nullo modo fieri potuiſſet. Permiſit promiſcuos marium, fœminarumque eſſe concubitus, quatenus ſaltem pietatis, & conſanguinitatis pudor id pateretur. At non idcirco prohibuit, quominus qui promiſcui concubitus antea fuerant, certis connubiorum legibus, ac regulis diſtinguerentur. Permiſit acquiſitionem eorum, quæ cælo, terra marique continentur, quamuis poſtea earum rerum acquirendarum facultas uel ſi nō prorſus ſublata, tamen certis regulis atque modis natura eadem permittente fuerit coarctata. l. ult. ff. de uſucap. no. in §. flumina. inſt. de rerum diuiſ. Secundi capitis exempla apud noſtros iuriſconſultos uariè diſperſa reperiuntur: Verùm ea rectiſſiimè colligit in vnum Cicero lib. 2. de inuent. Vbi de primis nullam fecit mentionem, atque his ipſis tantùm, quæ nos ſecundo capiti tribuimus, ius naturæ contineri ſtatuit. Natu- 8
„ ræ (inquit) ius eſt, quod non opinio genuit, ſed quædam innata uis inſeruit, ut religio
„ nem, pietatem, gratiam, uendicationem, obſeruantiam, ueritatem. Sex proponit exempla, quæ nos aliquantò apertius duximus explicanda, & iuriſconſultorum autoritatibus confirmāda, ut planius hoc ipſum domōſtraretur, quod ſecūdo loco poſuimus, nempe quo pacto ipſa per ſe natura ad ius, atque iuſtitiam mētes probè noſtras inſtruxerit. Conſiderandum eſt, ius, & iuſtum (ut recte philoſophi declarant) ui ſua ſemper obligationem quandam continere, cuius ratione ſemper ad alterum refertur. Refertur autem uel ad Deum, uel ad homines etiam ipſos. Ad Deum cur referatur, ac qua ipſi ratione obſtricti ſumus, nemo, non ſtultiſſimus, aut maximè impius dubitare poteſt, cum nihil planè in nobis ſit, quod non immenſæ ipſius benignitati & clementiæ acceptum referri debeat, cuius ſolius munus eſt, quòd uiuimus, nutrimur, mouemur, & ſumus. Ex hoc primo naturæ debito, quo ipſi Deo ſummo, & opti. obſtringimur, oritur ius re- 9
ligionis,

ligionis , de quo Pomponius in l. ueluti. ff. de iuſt. & iur. Propterea ergo reli-
gio iuris naturalis eſt, & religionem Cicero eam eſſe definit, quæ ſuperioris cu-
iuſdam naturæ ( quam diuinam uocant ) curam , cæremoniamque affert. Vſque-
adeò uerò ipſius naturæ ui omnibus hominibus religio innata eſt, ut nulla gens ſit
11 tàm fera, tamque immanſueta , aut tàm ab omni uitæ cultu aliena , quæ ſi uel
ignoret qualem Deum haberi deceat ( id quod optimè nos pręcipuo quodam di-
uinæ clementiæ munere & ſcimus,& cognoſcimus ) tamen non & habendum om-
ninò, & colendum intelligat. Neque enim fieri poteſt , ut qui Lunæ, Solis, alio-
rumque ſiderum conuerſiones intueatur , ac cæterarum inſuper rerum tùm ſu-
periorum , tùm inferiorum , uim, ordinem atque æqualitatem conſideret, non his
quaſi ueſtigijs ad ſummi illius , prępotentiſque Dei contemplationem ducatur, à
quo ſicuti primam duximus originem , ita & ad eum , tanquàm ad primum, &
ſupremum finem pręſtantiſſimæ naturæ noſtræ inſtinctu ſemper contendimus: un-
de uerè ac diuinitus ille : Creaſti ( inquit ) nos ad te, & cor noſtrum inquietum
eſt, donec requieſcat in te. Huic proximum eſt ius quod ipſis quoque homini-
bus nos alligat, ſed ut uàrij inter ſe homines ſunt, ita ob uarias res ſibi ipſis de-
uincti eſſe poſſunt. Itaque fit ut cùm magis interdum , interdum minùs hoc uin-
culum aſtringatur , ita plures illius obligationis qua homines inter ſe deuincti ſunt,
12 quaſi gradus conſtituantur. Etenim primùm ijs tenemur , qui ex eadem patriâ or-
ti ſunt , ac multò etiam magis , ſi ex eadem ſunt agnatione , ita ut præter patriæ
communionem , ſanguinis quoque uinculum accedat. Atque hinc oritur pietas
de qua mentio eſt apud Pomponium in d. l. ueluti. ff. de iuſt. & iur. Eſt autem
pietas ( ut Tullius definit ) per quam ſanguine coniunctis,patriæque beneuolis of-
ficium,ac diligens cultus tribuitur. Alterum præterea naturæ debitum eſt, ut ijs
teneamur , quibus nos abſque ullo patriæ, uel cognationis uinculo ſola amicitia
coniugauit, uel quòd mutua cum ijs familiaritas nobis intercesſerit, uel quòd ab
13 ijs fuerimus aliquo beneficio ornati ; atque hoc naturæ debitum Cicero gratiam
appellat, eamque eſſe definit, in qua amicitiarum,& officiorum alterius memo-
ria,& alterius remunerandi uoluntas continetur, De qua etiam loquutus eſt Vlp.
in l. ſed &ſi lege. §. conſuluit. ff. de petit. hæredit. cùm dixit eos qui beneficium
in aliquem contulerunt, eum ſibi ad remunerandum obligare,& hanc obligatio-
nem noſtri interpretes gręcam uocem imitati, uulgò antidoralem appellant. Ter-
tia cauſa eſt, quæ nos hominibus obſtringit, nimirum , cùm eos ut maiores no-
14 ſtros agnoſcimus. Et hæc dicitur obſeruantia , per quam homines aliquà di-
gnitate præcedentes , cultu quodam,& honore dignantur , ut eodem in loco
Cicero definit. Hac de cauſa concludit Bart. in l. Iulianus uerum debito-
rem in 8. col. ff. de condict. indeb. ex præcepto legis ciuilis oriri natura-
lem obligationem, propterea quod ciuiles leges à maioribus noſtris conſti-
tuuntur, quibus obtemperare natura obligamur. Verùm quo pacto hoc acci-
piendum ſit, nos alibi explicuimus. Iuri naturali reſpondet in hoc ius diui-
num, ut & alijs multis in rebus. Legimus enim maiorum autoritatem,& po-
teſtatem Dei ſummi, & optimi ordinationem eſſe, ac proinde qui reſiſtit hu-
manæ poteſtati , diuino pariter decreto aduerſari , ut ex Auguſt. tradit Gra-

P tianus

Digitized by Google

tianus in cap. qui reſiſtit, 11. quæſt. 3. Hinc etiam illud: Qui Principi non pa-
ruerit, morte moriatur, vt legitur lib. Reg. & refert Roman. Pontifex in cap.
2. de maior. & obedient. His tribus accedit alia cauſa, qua non tantùm maio-
ribus, ijſve, qui aliquo uel patriæ, uel conſanguinitatis, uel amicitiæ uinculo
nobis coniuncti ſunt, ſed omnibus paſſim hominibus obligamur; oritur enim
aliud debitum ex eo, quod cuipiam aliquid promiſerimus. Siquidem nihil eſt tàm con 15
ſentaneum naturali æquitati, quàm fidem ſeruare, & id quod promiſimus, ueritatis
effectu comprobare. l. 1. ff. de pactis. l. 1. ff. de conſt. pecun. l. ſi quod dominus. ff. de con
dict. indeb. l. cùm amplius. §. is natura debet. ff. de reg. iur. Atqui certè non tantùm in
rerum promiſſarum fide, ſed & ubique ſemper rebus in omnibus ueritati aſtricti ſu-
mus, quam Cicero ſic definit, ut ueritas ſit per quam immutata ea quæ ſunt, aut
anteà fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur. Poſtremò uel ſi maximè ceſſent cauſæ aliæ
omnes, deſintq; alia omnia uincula, tamen ea ſola ratione cæteris hominibus tene-
mur, quia homines ſunt, nam cum eadem omnes lege, ac conditione fuerimus pro-
creati, propterea omnium hominum quandam quaſi ſocietatem, & cognationem 16
eſſe neceſſe eſt, ut diſertè tradit Florentinus in l. ut uim in 2. reſponſo. ff. de iuſt. &
iur. Nec ſecus atque ęquor piſcibus, omnibus hominibus terra communis patria eſt.
Quare prudentiſſimè Socrates interrogatus cuias eſſet, mondanum ſe eſſe reſpondit. 17
Rectè etiam Africanus in ſomno Scipionis, uniuerſam terram ſedem, & domum ho-
minum appellat. Eamobrem ergo ſicut inter cognatos, atque adeò etiam inter
omnes eiuſdem patriæ ciues naturalis obligationis uinculum extat, quo mutua ſi-
bi officia pręſtare tenentur, ita omnes planè homines ſibi inuicem, ſi non tanto, at ali-
quo certè naturæ debito obſtricti ſunt. Vnde Chremetis illius Terentiani ſapientiſſima
reſponſio meritò commendatur, cui cùm fuiſſet à Menedemo obiectum, quod alie-
na curaret, & ea quę ad ſe nihil attinerent, reſpondens ille. Homo (inquit) ſum,
nihil humani à me alienum puto. Atque hoc ipſum uarijs in locis noſtræ leges ſpe-
ctarunt, cum nos certis in rebus, etiam quæ nullatenus ad nos pertineant, uolue-
runt tamen alieno occurrere delicto, atque hoc quaſi obſequium in commune præ 18
ſtare l. lege Cornelia. ff. ad legem Cornel. de falſ. l. utrùm, & l. ſi ſciente credito-
re. ff. ad legem Pompei. de parric. §. alia. inſt. de pub. iudicijs c. quantæ. extra de ſen-
tent. excõmun. Quam materiam latè tractant Baldus, Siculus, Decius, & alij in c. 1.
extra de offic. deleg. Item Decius in l. culpa caret. ff. de reg. iur. Et quamuis fre-
quentius concludant tàm iure pontif. quàm iure ciuili, non paſſim in quocun-
que delictorum genere puniri eum debere, qui, cum poſſet, delicto obuiam non
ierit, ſed in quibuſdam delictis tantùm, quibus ſpeciatim id lege cautum ſit, fa-
teantur tamen ſemper unumquemque ad id natura obligari, quoties uidet ſe com-
modè delictum impedire poſſe, ac niſi id faciat, in foro conſcientiæ teneri, ut do-
cet Accur. in d. l. culpa caret, Siculus, & alij in d. c. 1. extra de offic. delega. ubi
ſic intelligunt c. quantæ. de ſentent. excommun. Hinc etiam Cicero lib. 1. offic.
duo ſtatuit iniuſtitiæ genera: Vnum eorum qui inferunt, alterum eorum, qui ab 19
ijs, quibus infertur, ſi poſſint, non propulſant iniuriam. Quemadmodum er-
go natura nobis præcipit, ut cùm ab alijs, tùm multò magis à nobis ipſis
iniuriam propulſemus, ita neceſſariò illud concedit, ut uim ui repellamus,
prout

20 prout Florentinus inquit in l. ut uim. ff. de iuſt. & iur. Quod ſi nobis in-
terdictum eſſet, eueniret ſæpenumero, ut neque alios, neque noſmetipſos ab in-
iuria defendere poſſemus: Qua de cauſa hanc non ſimplicem permiſſionem eſſe
exiſtimare debemus. Eſt enim interdum cum obligatione coniuncta, ut ex ijs quæ
diximus intelligi facilè poteſt. Huc ergo reſpexit Cicero cum legi naturæ inter cæ-
tera uindicationem quoque aſſignauit. Eſt autem uindicatio (ut ipſe definit) per
quam ius, aut iniuria, aut omninò omne quod obfuturum eſt, defendendo, aut ulci-
ſcendo propulſatur. Quibus uerbis oſtendit non defenſionem modò, ſed & ultio-
nem naturæ lege permiſſam eſſe. Differunt enim hæc duo inter ſe, cum defenſio tueatur
nos à futura, & imminenti iniuria, ultio uerò iam factam, & acceptam ulciſcatur. Ve-
21 rùm ultio poſteà non tantum diuinis, ſed & ciuilibus legibus fuit interdicta, ut l. j. C.
unde ui. Vbi cùm Diocletianus inculpatæ tutelæ moderationem exegit, nihil aliud ſibi
uoluit, quàm ut ſolam defendendi poteſtatem daret, ulciſcendi denegaret, ac propte-
reà non dubito, quin decipiantur noſtri interpretes, qui ex illa Diocletiani conſtitutio-
ne exceptionem afferunt ad defenſionis regulam, quam in l. ut uim Florentinus tradi-
22 dit. Tametſi uerò in omni natura iſte ipſe uindicãdi inſtinctus perſpicitur, cũ uideamus
non modò brutas animantes cornibus, uel dentibus, uel aculeis, alijſve eiuſmodi natu
ræ adiumentis, ab offenſionibus, & iniurijs ſe uindicare, ſed etiam arbores ipſas ſi in-
curuentur, in contrarium niti, palmamq; onus etiam impoſitum repellere: tamen ho-
mo hac in re præcipuum quiddam habet, quod rationi meritò tribuatur. Neq; enim
alia naturæ uis, quàm naturalis ratio facit, ut non tantùm à nobis ipſis, ſed ab alijs
quantumuis extraneis hominibus iniuriam propulſare debeamus. Quinetiam cùm
ad noſmetipſos hoc referimus, apertè tamen naturalis rationis munus in eo perſpici-
mus, quia quantò quiſque mente, & ratione magis ualet, tantò ægrius ſibi iniuriam
fieri patitur. Itaque Tullius non immeritò inter ea quæ nobis à naturali ratione ſugge-
runtur, uindicationem quoq; connumerat. Nec porrò dubitandum eſt, quin eadem
naturalis ratio, cùm hæc omnia ſeruari præcipit, eo ipſo & contraria interdicat. Qua-
propter ſicuti ad uim, & iniuriam propulſandam natura nos inuitat, ita multò magis
23 prohibet, ne uim, aut iniuriam inferamus, aut quacunque ratione alterum lædamus.
Nam ſi uel omnia alia uincula deeſſent, reclamaret tamen illa, de qua ſupra diximus,
omnium hominum inter ſe cognatio; unde Florentinus in d. l. ut uim in 2. reſponſo,
Et cum inter nos (inquit) cognationem quandam natura conſtituit, conſequens eſt "
hominem homini inſidiari nefas eſſe. Verbum inſidiari latè accipit, eoq; omnia iniu- "
24 riarum genera complecti uoluit, ſiue (gratia exempli) alterius uxore uiolanda, ſiue
bonis ſubtrahendis, ſiue alia quacunque ratione inferantur. Atque hæc quæ hactenus
recenſuimus, eadem fermè ſunt, quæ etiam in Decalogo continentur. Cuius tria prima
25 præcepta pertinent ad religionem, quartum ad pietatem, ac porrò ex reliquis nullum
eſt, quod non ad ea ipſa referri poſſit, quæ hactenus recenſuimus. Quocircà Deca-
logi præcepta iuris naturalis eſſe, ac propterea diſpenſationem non admittere meritò
concluditur. Alia prætereà ſunt, quæ ita in nobis ſe habent, ut præceptorum quo-
dammodò inſtar obtineant: nempè maris, & fœminæ coniunctio, & liberorum edu-
catio, quę nos tamen inter alia non recenſuimus, quia à naturæ ſenſitiuæ potius in-
ſtinctu, quàm à naturali ratione proficiſcuntur.

## ARGVM.

EX ijs quæ ad plenam huius materiæ explicationem præmunienda erant, poſtremum illud erat, quod hìc explicatur: An homines prçter ea quibus ſola natura inſtructi erant, proprium ipſi aliquid ad ius perficiendum attulerint.

1 Quibus de cauſis ſublata communione, rerum dominia fuerint diſtincta.
2 Nihil utilitatis cauſa ab hominibus eſt receptum, quin idem ſit honeſtati conſentaneum.
3 An dum homines ea inuenerunt, quç facti ſunt, in eo dici poſſint iura ſibi aliqua conſtituiſſe.
4 Multa prohibuerunt homines, quç iure naturali permiſſa erant.
5 Nonnulla fortè potuiſſent uideri prohibita natura, quç ab hominibus permiſſa fuerunt.
6 Quid præſtiterint homines quantum ad ea quæ natura imperantur, uel prohibentur.
7 Quòd delicta uendicentur, naturç ius eſt. Quod hac uel illa pœna, ipſis hominibus eſt tribuendum.
8 Iure belli plectuntur etiã qui nihil deliquerunt.
9 Naturalium præceptorum applicandorum duplex ratio.
10 Quæ in naturæ præcepto, uel prohibitione iura poſita ſunt, non æquè homines poſſunt ſua efficere, ut quæ ipſorum arbitrio poſita ſunt.
11 Facit ſæpè neceſſitas, ut ea legibus decernantur, quæ primo aſpectu quandam iniuſtitiæ ſpeciem præ ſe ferant.

## CAP. XIX.

EX ijs tribus, quæ ſupra propoſuimus, duo iam explicata fuerunt, nimirum quomodo ius in hac diuiſione ſumatur, & quid nam ad ius ipſum perficiendum ſola per ſe natura prçſtiterit. Nunc reſtat tertium, & ultimum, ut uideamus, quid nam in ipſo iure perficiendo ab hominibus profectum ſit, ſiue ab omnibus ſimul gentibus, ſiue à ſingulis populis in ſingulis ciuitatibus conſtitutũ aliquid fuiſſe proponatur; Hanc enim differentiam ad id quod quærimus in præſentia conſiderare non eſt neceſſe. Hoc ipſum uerò inquiremus primò quantum ad ea quæ libero ipſorum hominum arbitrio natura permiſit. Deinde conſiderabimus, an ad ea quoque quæ natura præcepit, uel prohibuit proprium aliquid homines attulerint. Quantum pertinet ad illa quæ diximus natura fuiſſe permiſſa, cum ea homines uiderent in utranque partem & iuſta, & honeſta eſſe poſſe, ſolamq; in ijs utilitatem ſpectari, in eam præcipuè curam, & cogitationem incubuerunt, ut in ijs ſingulis id potiſſimum decernerent, quod ad uitam iucundè, & commodè traducendam maximè profuturum iudicarent; unde quoniam experientia erant edocti, rerum communionem publicæ utilitati, ac tranquillitati ualdè incommodam eſſe, non tantùm ob diſſidia, & contentiones, quæ ex ea utplurimum oriri ſolent, iuxta l. cum pater. §. dulciſſimis. ff. de legat. 2. ſed etiam ea ratione, quam inter alias aſſignat Ariſt. lib. 2. Polit. cap. 2. quod quæ communia ſunt negligentius curari, atque aſſeruari ſolent; propterea communi omnium uoto ad hoc decurſum eſt, ut rerum omnium poſſeſſiones, ac dominia diſtinguerentur. Poſt dominia diſtincta ea occaſione multa ipſi homines inuenerunt, quç ad mutua commercia, & ad uarias uitæ opportunitates expedirent. Ita uerò utilitatis rationem habuerunt, ut honeſtati nulla ex parte aduerſarentur. Imò id ſtudioſè curarunt, ne earum rerum, quæ natura



Digitized by Google

tura eſſent permiſſæ, fines honeſtatis excederent. Viderunt mortales diſtinctis iam
dominijs, non poſſe ſine contractibus, ulla iniri commercia, ideòque uaria contra-
ctuum, conuentionumq; genera in mores & conſuetudinem induxerunt. Quæ licet
utilitatis gratia magis inuenta fuerint, iunctam tamen utilitati honeſtatem ſemper
habent, cum datam in conueniendo fidem ſeruare honeſtiſſimum ſit. Inuentis por
rò contractibus, uiderunt ob controuerſias, quæ quotidie ſuper rebus contractis
orirentur, non modò utile, ſed & propemodum neceſſarium eſſe, ſuperiores ſtatui ali-
quos, qui has ipſas controuerſias audirent, cauerentque ne à potentioribus humiles
uim aliquam paterentur. Quare reges, & magiſtratus conſtituerunt, non modò non ad-
uerſante, ſed maximè ſuffragante naturali ratione, quæ illud nobis præcipit inter alia, ut
maioribus pareamus. Viderunt inſuper in hominũ conuentibus uim non tantũ internã,
ſed etiã externã timeri poſſe. Quocirca bellorũ præſidiũ publico cõſenſu receperunt. At
illa certe nequaquàm probaſſent, niſi uidiſſent utilitati pariter reſpõdere iuſtitiam, & ho
neſtatem, quæ uim ui repellere permittit d.l. ut uim. ff. de iuſt. & iure. Quæ cum ita ſe ha
beant, uidendum modò eſt, an ex eo homines, quod communis utilitatis gratia hæc
omnia excogitarint, rectè dicantur iura ſibi aliqua conſtituiſſe. Primo certè aſpectu mi
3 nime hoc concedendum uidetur. Quandoquidem contractus bella, aliaque eiuſmo
di, quæ utilitatis gratia ab hominibus inuenta fuere, non iuris, ſed facti ſunt. Illa uerò
honeſtatis, ac iuſtitiæ fundamenta, quibus hæc inniti uoluerunt, vel ſi iura ſint, non ta
men ab hominibus conſtituta, ſed à ſola ratione deſumpta fuerunt. Verumtamen cre
diderim ego rectè contrarium affirmari poſſe; nempe ex ijs, quæ homines ſiue ad pro
priam ſingularum ciuitatum, ſiue ad communem omnium utilitatem excogitarunt, iu
ra quædam emanaſſe, quæ ipſis hominibus potius, quam naturæ aſſignari debeant. Id
quod aperte uidetur mihi Iuſt. ſentire in §. ius autem in inſt. de iure nat. gent. & ciui:
qui cum dixiſſet gentes ſibi quædam iura conſtituiſſe, mox bellorum, captiuitatum &
cõtractuum exemplis idipſum oſtendit. Verè autem hoc ita eſſe, duplici ratione demon
4 ſtrari poteſt. Primò quia poſt hæc hominum inuenta, multæ res quæ antea erant permiſ
ſæ, prohibitæ eſſe cœperunt. Etenim ſi illud tantum ius reſpicias, quod natura dicta-
uit, poteris certè quemcunque locum uacantem recte ingredi, atque obtinere, nec pote
rit non iniuſtiſſimus haberi, qui te id facere prohibeat, niſi forte ipſe quoque eiuſdem
loci uſu indigeat. Si uerò dominiorum diſtinctionem ſpectes ab hominibus inductam,
iam totam iuſtitiæ rationem conuerſam, ac plane mutatam uidebis. Siquidem tu po-
tius iniuſte facies, ſi alterius poſſeſſionem quantumuis uacantem, ingrediaris; ut diſer-
te traditur. l. ult. C. unde ui. Quod ſi dominus te ingredientem prohibeat, iuſtiſſimè pro
hibebit. §. feræ igitur inſt. de rerum diuiſ. Cum ergo uideamus id quod antea erat per-
miſſum, poſt hominum conſtitutiones, prohibitum eſſe cæpiſſe, neceſſe eſt fateamur
mutationem iuris hìc aliquam interueniſſe, ac propterea uerum eſſe quod dicit Iuſt. in
§. ius autem: gentes humanas iura quędam ſibi conſtituiſſe. Alia inſuper ratione idip
ſum affirmari poteſt; quia quemadmodum ea, quę fuerant antea naturali lege permiſſa,
5 ab hominibus poſteà prohibita ſunt, ita è conuerſo nonnulla quæ naturali ratione in-
ſpecta potuiſſent prohibita uideri, ab hominibus poſtea fuere permiſſa. Nam ſeruum
bello captum, mihique poſtea uenditum uinculis, uerberibus, atque omni ſupplicio ex
cruciatum necare (id quod olim iure gentium permiſſum fuit. §. 1. inſt. de ijs qui ſunt
ſui uel alie. iur.) certè ante bella introducta; & contractus inuentos mihi haudqua-
quam

quam licuiſſet. At ijs inuētis,& receptis tum demum id licere cœpit. Cœpit enim ita fieri ut qui bello ius in eo ſeruo acquiſierat, illud ipſum mihi permutationis, uel emptionis, aut alterius contractus titulo adiudicaret. Sed uidendum eſt, quo pacto in hoc iuris naturalis prohibitio tolli potuerit: quandoquidem de ijs, quæ naturali lege prohibētur, uel imperantur, ſeorſum dicere propoſuimus. Vt ergo etiam quantum ad hæc ipſa 6
quæ natura nobis pręcepit, aut interdixit, diſtinctè tradamus quid nam ipſi homines prę ſtiterint; præſtitiſſe illa tria mihi uidentur, quę ſuperius etiam, licet ad aliud propoſitum, attigimus. Primò enim naturalibus ipſis præceptis robur,& firmitatem addiderunt, nam cùm impunè antea uiolari poſſent, id egerunt, ut etiam ab inuitis ſeruarentur. Qua de cauſa etiam magiſtratus, qui iuſtitiæ quaſi uindices eſſent, publica autoritate decorarūt. Non idcircò tamen ijs, quæ natura dictabat, cum per ſe honeſtiſſima, & iuſtiſſima eſſent, maiorem honeſtatem,& iuſtitiam afferre potuerunt, niſi de ea iuſtitia loquamur, quam in legum obſeruatione poſitam eſſe docet Ariſt. lib. 5. Ethic. cap. 1. Qua quidem inſpecta nō prorſus abſurdè ſenſerit, qui hæc ab hominibus quodammodo iuſtiora effecta eſſe aſfirmauerit. Siquidem hæc antea ſeruari debebant eam ſolam ob cauſam, quia honeſta erant, nunc uerò ſeruari debent & quia honeſta ſunt,& quia maiorum inſtitutis, ac legibus præcipiuntur, quibus nos naturæ eiuſdem præcepto addicti ſumus. Itaque non vno tantum,& ſimplici, quemadmodum anteà, ſed duplici naturæ fundamento innituntur. Inſuper etiam homines id præſtiterunt, ut quæ naturalis ratio per ſe, atque in uniuerſum recta eſſe commonſtraret, ea ipſi pro locorum, & temporum uarietate uariè metirentur. Solet enim hęc uarietas iuſtitiæ rationem nonnunquam mutare, arg. l. ult. in fine ſupra 7
tit. proxi. & cap. non debet. extra. de conſang. & affinit. Quare cum pietas, & naturalis ratio ( ut & ſupra diximus ) patrem obligaret, ut bona ſua poſt mortem aliqua ſaltem ex parte filijs relinqueret; quę nam legitima bonorum portio hac in re habenda eſſet, homines ipſi ſingulis in ciuitatibus declararunt. Declararunt etiam certa pœnarum genera, quæ uarijs delictis conuenire iudicarunt. Vnde quod delicta uindicentur, naturæ pręceptum eſt l. ita uulneratus. ff. ad legem Aquil. Quod uerò hac potius, quam alia pœna uindicentur, hoc ſoli homines conſtituerunt. Ac ne fruſtra ſingula conſectemur exempla, quæ hac in re poſſent afferri, generatim concludi poteſt, diſpoſitiones omnes, quę iuſti naturalis quaſi menſuram continent, non naturæ, ſed hominibus tribuendas eſſe. Tertiò illud quoque ſupra notauimus, quod cum pręcepta naturalia in eo quod humanis neceſſitatibus applicabantur, inter ſe quandoq; quodammodo diſſidere, atq; honeſti faciē obſcuriorē reddere uiderentur, ea homines conciliarunt inter ſe, certaq; interpretatione illuſtrarunt; id quod demōſtrauimus ex l. bona fides. ff. depoſiti. Nunc uerò aduertendum eſt, hoc nō tantum ijs in rebus perſpici, quę in ſingulis ciuitati 8
bus decernuntur, ſed & in ijs, quæ communi omnium nationum exemplo recepta ſunt, ut bellorum exemplum apertiſſimè demonſtrat. Nam ſola naturali ratione inſpecta, potuiſſet quis nō immeritò dubitare, an ſi alienus rex quiſpiam iniuriam nobis aliquam intuliſſet, licitum nobis eſſet, ſubditos illius omnes bello uexare, atque illorum etiam ſubditorum agros depopulari, qui iniuſti Regis propoſito reclamaſſent, uel ſaltem huic iniurię aſſenſum nullatenus præbuiſſent. Tametſi enim natura uindicationem concedit, non tamen eos lædi permittit à quibus iniuria laceſſiti non ſumus, neque enim iuſtum id habēdum eſt, quod eſt apud Horatium. Quicquid delirant reges plectuntur Achiui. Attamē exigere hoc uidetur publicę ſecuritatis ratio, ciuiumque omnium quies, & ſalus quam

alio-

Digitized by Google

alioquin ab inimicorum impetu,atque iniurijs defendere non potuiſſemus.Præualuit ergo hæc poſtrema ratio, ac propterea homines hac ipſa ratione adducti, quin potius hac neceſſitate coacti communi omniũ conſenſu bellorum uſum recipiẽdum potius, q̃ reſpuendum cenſuerunt,ac uẽdicationem in eum quoq; modum quem ſupra diximus, licere interpretati ſunt,cum omnes eius ciuitatis ciues cui bellum infertur, vnum quaſi corpus ſint,ac regi illi à quo iniuria profecta eſt,tanquam capiti ſe ſubiecerint,quæ interpretatio naturæ ſimplicitati erat incognita. Eamobrem ergo uindicatio quidem per ſe ipſa iuris naturalis eſt,ſed quæ in bellis attentatur uindicatio, pręcipua quędam habet, quæ non tàm naturæ,quàm communi omnium nationum cõſenſui,atque interpretationi tribuenda ſunt. Itaque fit, ut quamuis alioquin homines, cum uarijs uitæ oportunitatibus præcepta applicant naturalia, materiam tantum ipſis applicando præbeant, tamen in bellis,atque etiam in ſeruitutibus bellorũ occaſione introductis non ſolam præſtent materiã,ſed permittendo quod antea minus permiſſum uideri potuiſſet,propterea iura quædam conſtituant, quæ tamen iura nequaquam aduerſantur naturali rationi, quæ publicæ ſecuritatis præcipuam rationem haberi haud grauatim concedit. Atq; ut nihil prorſus prætermittatur quod ad hanc rem planius explicandum attinet, ſciendum
9 eſt hanc,de qua proximè dicebamus,præceptorum naturalium applicationem, duobus modis fieri poſſe. Primò enim fit ad ea,quorum ſtatus planè naturalis eſt,neque ab ulla hominum conuentione, ulloue inſtituto pendet. Cuiuſmodi illa ſunt Deum colere parentibus parere, uim ui repellere. Referuntur.n.hæc ad Deum, ad parentes, ad uiolentiam,in quibus nihil eſt,quod hominum conſenſu,& approbatione ſit cõſtitutum. Atq; hìc planè affirmari poteſt, nihil homines pręſtitiſſe, ideoque nulla hìc hominum iura cõſiderari poſſe. Poteſt ſecundo hæc applicatio ad ea fieri,quæ non merè naturalia ſunt,ſed ab hominibus inuẽta,& excogitata fuere, ut ſunt illa,contractus fidẽ ſeruare, quarũ rerũ dominũ alterius ſit,ab ijs rebus abſtinere,bello ſe uẽdicare,patriæ & magiſtratibus parere, atq; alia id genus q̃plurima. Videmus enim in his exemplis naturalia ineſſe præcepta, fidẽ ſeruare,neminẽ lædere,uim ui repellere,maioribus parere, q̃ potius naturæ ſunt; eaq; ab hominibus ad ſocietates,ad bella,ad dominia, ad patriã,ad magiſtratus fuiſſe applicata,quæ omnia naturæ fuiſſe incognita,atque ab hominibus ipſis emanaſſe,perſpectiſſimũ eſt. Poteruntque etiam huc referri tutelę, uſucapiones,ſtipulationes,& alia id genus, quæ in ſingulis ciuitatibus inuenta ſunt. Quoties uerò hoc ſecundo modo applicationẽ conſiderabis,in una, eademque ſpecie habebis & quod naturæ, & quod hominibus quoque ipſis rectè aſſignare poſſis. Etenim cum quis, gratia exempli, cuiuſpiam rei dominium in ſe transferre contrahendo promittit, idipſum quidem quod ipſe fidem ſeruare teneatur, ſolius naturæ eſt, at quòd in transferendo dominio ſeruare fidẽ oporteat, hoc hominibus tribuẽdum eſt; dominia enim homines diſtinxerunt,quod niſi feciſſent, neq; proprium quicquam iſte qui promiſit habere poſſet, neque etiam poſſet id quod promiſit tibi ut proprium adiudicare. Verumtamen aduertendum eſt,multò nobilius, & pręſtantius hìc eſſe,quod à natura,quàm quod ab hominibus proficiſcitur. Nam cum ius dici non poſſit, niſi pręcipiendi uim obtineat,ſola hìc natura eſt,quæ præcepti formam affert. Siquidem homines nihil afferunt,quod imperet,ac præcipiat, ſed ſolam ipſi materiam naturæ pręcepto ſuggerunt. Præſtant enim dominij autoritatem, quæ licet per ſe ius alibi conſtituat,tamen in hoc materię tantum uice fungitur. Itaque generatim, atq;
10 uniuerſè, ex prędictis omnibus concludendum eſt, non eodem modo poſſe hominibus

tribui

tribui iura, quæ in naturæ imperio, uel prohibitione conſiſtunt, quemadmodum ea di- 10
ximus eſſe ipſi tribuenda, quæ libero hominum arbitrio natura permiſit, in quibus nihil aliud ſpectatur, quàm quid ab hominibus utilitatis gratia fuerit conſtitutũ. Quamuis enim ijs quoq; rebus quæ natura imperat, aut prohibet publicam autoritatem, ac quandam exequutionis neceſſitatem homines præſtiterint: tamen ad ipſius præcepti, uel prohibitionis eſſentiam nihil afferũt unde hæc iura ex naturalibus humana effici potuerint. At quæ natura non prohibet, ſed permittit, ea non in ſolius naturæ, ſed in hominum etiam permiſſione poſita ſunt, qui liberam earum rerum mutandarum facultatem habent. Quam facultatem cum in illis iuribus non habeant, quæ à naturæ imperio, uel prohibitione pendent, ideo nullatenus ſibi illa tribuere poſſunt, niſi quatenus in naturæ præceptis quaſi metiendis, eo modo, quo ſupra diximus, regulas ſibi nonnullas conſtituunt, quas ſentit Ariſto. ad hominum potius inſtituta, quàm ad naturale iuſtum referri oportere. Verùm quia mẽſuras ab ijs rebus differre neceſſe eſt, quibus mẽſuræ accommodantur, ideo prædictæ regulæ, atque menſuræ nihil pertinent ad id, quod proximè diximus, nec propterea ulla ex parte reſtringendum eſt id, quod concluſimus. Ab hac porrò cõcluſione quæ generatim alijs omnibus in rebus obtinet, ſola excipipimus iura, quæ ad bella, & ſeruitutes attinent. In ijs enim gentes uerè dici poſſunt ex naturali prohibitione nonnihil detraxiſſe, nimirum id permittendo, quod inſpecta naturæ ſimplicitate prohibitum uideri potuiſſet. Nec mirum id uideri debet: nam & 11
exceptio Macedoniani, & exceptio biẽnij, & alia multa in iure ciuili ob ſimilem neceſſitatem introducta fuere. Itaque ob hanc cauſam bellorum, & ſeruitutum iura fuiſſe ab hominibus inſtituta rectè dixit Iuſt. in §. ius autem. inſt. de iure nat. gent. & ciu. Vbi cõtractus etiã connumerauit, nam contractus quoq; ipſis hominibus tribuendi ſunt, licet alia de cauſa, ut ſupra diximus. Eandem hanc ob cauſam bella dicuntur eſſe contra naturã; ſiue contra ius naturale, ut inſt. de iure perſ. in princ. ubi etiam Theophilus hoc diſerte affirmat. Neque idcirco tamen negamus, quin & rectè poſſint appellari naturalia, ut Iuſti: appellat in §. ſingulorum, iuncta. §. Item ea quæ ab hoſtibus. inſt. de rerum diuiſ. Qua ratione uerò & contra naturam, & naturalia ſimul eſſe poſſint; infra ſuo loco aperiemus; cũ propoſitam iuris diuiſionem propius explicabimus. Namq; hic ſatis eſt, tria illa tantum explicaſſe, quæ initio huius capitis propoſuimus.

## ARGVM.

DVas eſſe cauſas, quæ hanc tantã in diuidendo iure uarietatem inducunt, earumque unam eſſe æquiuocationem illarum differentiarum, quæ paſſim ad ius ipſum diuidendum adhibentur, Ideo uidendum quot modis ius naturale, ius gentium & ius ciuile, itemque legitimum accipiantur.

1 Iidem ſæpè Iuriſconſulti alia iura alibi diſtinguunt, quæ alibi confundunt.

2 Ius naturale pro eo quod natura omnia animalia docuit.

3 Ius naturale alia ſignificatione complectitur iuſti, & honeſti principia prima, & indemonſtrabilia.

4 Omnia quæ primo ſeculo ſeruabãtur ius naturale appellantur.

5 Ius naturale etiã dicitur quicquid humã gentes conſtituerunt.

6 Nõnunquã ius naturale ita ſumitur, ut legum quoque ciuilium diſpoſitiones compecti poſſit.

7 Quomodo Ariſtoteles ius naturale accipiat.

Ius

Digitized by Google

8 Ius gentium dicitur etiam quod ſibi gentes non conſtituerunt.
9 Ius gentium non abſurdè illud quoque dicitur, quod à ſingulis ciuitatibus eſt introductum.
10 Ius ciuile interdum idem ſignificat quod Politicum.
11 Politicum ius eſt, quod Caius in propriũ, & commune diuidit.
12 Omnium frequentiſſima iuris ciuilis ſignificatio.
13 Quibus ex partibus conſtet ius ciuile.
14 Sit ne idem ius ciuile in frequentiori ſignificatione ſumptum cum eo, quod Ariſtoteles ius legitimum appellat.
15 Poteſt ius legitimum illud quoque dici, quod nos ius gentium appellamus.
16 Seruitutem captiuorum iuri legitimo Ariſtoteles tribuit.
17 Tertia, & ultima iuris ciuilis ſignificatio.

## CAP. XX.

IIs iam omnibus cuiuſdam quaſi præludij in morem explicatis, quibus ad id quod nobis propoſitum eſt, inſtructiores eſſe poſſemus, ſequitur nunc ut de ipſa iuris diuiſione propius agamus, oſtendamusq; quo pacto tùm iuriſconſultorum, tùm & aliorum grauiſſimorum authorum tàm uariæ hac de re ſententiæ conciliari inter ſe, aut defendi poſſint. Id autem hac ratione maximè præſtare nos poſſe arbitrati ſumus, ſi antè omnia cauſas inquireremus, ex quibus tanta hæc confuſio, & uarietas oriatur; Cauſę uerò illæ, iudicio meo, duę ſunt. Prima eſt uerborum æquiuocatio, nam differentię quibus iuris diuiſio perficitur, illæ fermè ſunt, quod ius ipſum uel naturale, uel gentium, uel ciuile, ſeu legitimum ſit. At hæ differentiæ non eodem modo ab omnibus, ſed uariè à uarijs accipiuntur, & quod ab uno ius gentium dicitur, ab alio ius naturale appellatur: ſicuti etiam iuris ciuilis, ac legitimi appellatio ſæpiſſimè uariatur. Secunda cauſa eſt, quia non eadem illorum omnium, qui ius diuiſerunt, mens, & intentio fuit, ſed alijs alij in diuidendo iure fines propoſiti fuere; Et quoniam non omnes partes eius diuiſionis, quæ ſupra à nobis tradita eſt, illorum pariter omnium intentioni conueniebant, idcircò factum eſt, ut ex omnibus capitibus in ea diuiſione traditis alij alia aſſumpſerint, alia uerò prætermiſerint, Sed non ſatis hoc argumenti eſt, ut quia aliqua capita
1 prætermiſerint, ſeu confuderint nonnulli, propterea exiſtimauerint non rectè illa capita diſtingui poſſe, idque ex Vlpiano probè demonſtratur, qui quæ iura ſub eodem capite complectitur in l. j. ff. de iuſt. & iur. eadem apertè diſiungit in l. manumiſſiones. Quod ipſum facit etiam Iuſtinianus in §. ius autem. inſt. de iur. nat. gent. & ciui. ubi ſeorſum ea iura conſiderat, quæ humanæ gentes ſibi conſtituerunt, & tamen in generali iuris diuiſione hæc cum ijs commiſcet, quæ naturalis ratio inter omnes homines introduxit. His duabus cauſis propoſitis, accuratius nunc aliquantò ſingulas conſideremus, optimè enim ex ijs intelligemus non modò cur tàm uariæ iuris diuiſiones traditæ reperiantur, ſed etiam quo pacto alię omnes difficultates ſupra à nobis propoſitæ explicari poſſint. Et quoniam primam cauſam aſſignauimus æquiuocationi illarum differentiarum, quas ad iuris diuiſionem adhibemus, cum ſcilicet dicimus ius naturale, ius gentium, ius legitimum, ſeu ciuile, cognoſcendum eſt ante omnia, quaſnam ſingulæ iſtæ uoces ſignificationes habeant. Naturale igitur (ut ab hac uoce primùm exordiamur)
2 quinque modis uſurpatur: Primò ius naturale dicitur quod natura omnia ani-

malia docuit; ſic enim accipiunt Vlp. & Iuſtinian. (quemadmodum uidimus)
in ſua diuiſione, & quoties hoc modo naturale ſumetur, non poterit dici natu-
rale id quod hominibus tantùm inter ſe commune eſt, nec ſi de eo loquamur,
quod ſola natura mentibus noſtris ingenitum eſt; ſicq; etiam Plato ius naturale acce-
piſſe uiſus eſt, cum eam legem, quæ in ratione hominum poſita eſt, à lege natura-
li ſeparauit. Alio modo ius naturale accipitur pro illis honeſtatis, ac iuſtitiæ prin- 3
cipijs, & quaſi ſeminibus, quæ animis noſtris natura inſeruit, ut colere Deum, ma-
ioribus parere, fidem ſeruare, & id genus alia, quæ non eò ſpectant, ut commo-
dè, & idoneè, ſed ut honeſtè, piè, ac ſanctè uiuamus, ideoq; liberè hominum po-
teſtati permiſſa non ſunt, nec pro gentium arbitrio mutari poſſunt. In hac ſignifi-
catione ius naturale ſumit Tullius cum lib. 2. de inuent. Natura ius eſt (inquit)
“ quod non opinio genuit, ſed quædam innata uis inſeruit, ut religionem, pietatem,
“ gratiam, uindicationem, obſeruantiam, ueritatem. Tertia eſt ſignificatio iuris na-
turalis, eaq; latior priore, ut omnia complectatur, quæ primo illo, & aureo ſeculo 4
ſeruabantur, hoc eſt non tantùm quæ ad iuſtitiam, & honeſtatem, ſed etiam quę ad
utilitatem ſpectabant, ac mutationi obnoxia erant, ut erat rerum communio, unaq;
omnium libertas. Atque in hac ſignificatione ius naturale uſurpat Gratianus in c. ius
naturale, quo loci à iure naturali ea tantùm excludit, quæ poſteriori tempore homi-
num conſtitutionibus inducta fuere. Nec ſecus illud accipiunt Triphoninus, & Vlp.
dum ius naturale, quo libertas continebatur, diſtinguunt à iure gentium quo ſerui-
tus inducta eſt. l. ſi quod dominus. ff. de condict. indeb. ſæpius adducta. l. manumiſ-
ſiones. ff. de iuſt. & iur. Quartò poteſt adhuc latius ſumi ius naturale, ut comple-
ctatur ea omnia, quibus humanæ gentes utuntur, quanuis non à ſola ratione na- 5
turali nobis cõmonſtrata, ſed ab hominibus ipſis fuerint introducta; frequensq; ad-
modum apud Iuſtinianum hæc ſignificatio eſt. Ipſe enim (ut dictũ eſt) ius naturale
multis in locis appellat, quod in generali totius iuris diuiſione ius gentium appellà-
uit, & à ſolo iure ciuili illud diſiungit. §. pen. inſt. de iur. nat. gent. & ciui. inſt. de re-
“ rum diuiſ. in princ. & §. ſingulorum. Singulorum (inquit) hominum multis mo-
“ dis res fiunt; quarundam enim dominium nanciſcimur iure naturali, quod (ſicut di-
“ ximus) appellatur ius gentium, quarundam uerò iure ciuili. Tandem quinta, om-
niumq; latiſſima iuris naturalis ſignificatio eſt, ſecundum quam poſſunt ad ius natu- 6
rale referri ea omnia, quę naturali rationi ſunt conſentanea, ſiue à ſola natura pro-
derint, ſiue ab hominibus ipſis fuerint introducta, nec tantùm ſi omnibus gentibus cõ
munia ſint, uerùm etiam ſi in ſingulis tantum ciuitatibus fuerint inſtituta. Quapropter
& tutela, & alia huiuſmodi, quæ à iure ciuili inducta fuere, naturali tamen ratio-
ne ad id ſuadente, rectè poterunt dici iuris naturalis eſſe, neque ab hoc diſſentire ui-
“ detur Iuſtinianus in §. penult. inſt. de Attil. tutore, quo in loco. Impuberes (in-
“ quit) in tutela eſſe iuri naturali conueniens eſt. Verùm, quicquid ſenſerit Iuſtinianus, 7
multò certè expreſſius tradit hoc Ariſtoteles lib. 5. Ethic. cap. 7. ubi ea omnia iuri na-
turali tribuit, quæ non indifferentia, ſed eiuſmodi ſunt, ut referat aliquid utrum
hoc, uel illo modo ſeſe habeant; idq; de tutela, atque id genus alijs uerè affirmari po-
teſt, quod ſi nihil referret, iuris naturalis illa eſſe non concederet. Quod attinet
modò ad ius gentium, reperio illud pariter uarijs modis uſurpari, ita ut pleræq;
ipſius ſignificationes cum iuris naturalis ſignificationibus concurrant. Vno mo-



Digitized by Google

8 do iuriſgentium dicuntur eſſe ea omnia quibus gentes utuntur, ſiue ab ipſis genti-
bus conſtituta fuerint, ſiue à ſola naturali ratione introducta, quam ſignificatio-
nem docet nos Caius in l. omnes populi. iuxta finem. ff. de iuſt. & iur. Quod
uerò (inquit) naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes per-
æquè cuſtoditur, uocaturque ius gentium quaſi quo iure omnes gentes utuntur.
Eandem hanc retinet ſignificationem Vlp. in l. 1. in fin. ff. eod. titu. ubi ius gen-
tium appellat quicquid ſolis hominibus inter ſe commune eſt. Quare & Iuſtinianus
eodem planè modo accepit ius gentium, qui cum ex Vlpiano integram iuris diuiſionem
deſumpſerit, tum ex Caio eadem ipſa, quę proximè retulimus, uerba deſcripſit in §. quod
uerò inſt. de iur. nat. gent. & ciui. Altero modo ſumitur ius gentium pro eo tantum
quod ſibi gentes conſtituerunt, omnibusq; hominibus commune eſt, atq; in hunc mo-
dum Gratianus illud uſurpat, qui quæ ſolo naturæ rationalis inſtinctu habentur, non iu
ri gentium, ſed iuri naturali tribuit, eaq; ſola, quę gentium conſtitutionibus inducta fue
runt, iuris gentium eſſe ſtatuit. Poſtremò, ſi ſequamur Ariſtotelem, ius gentium ita acci
9 piemus, ut comprehendat non tantùm ea quibus utuntur omnes gentes, ſed ea quo-
que, quæ in ſingulis ciuitatibus obſeruantur. Siquidem Ariſtoteles eodem illo in loco
ſæpius adducto coniunctim loquitur de ijs omnibus, quæ ab hominum inſtituto pen-
dent, nec diſtinguit gentiumnè omnium communia ſint, an uerò propria aliquarum
ciuitatum; & quãuis non appellet gentium iura, ſed humana, tamen quæ hominũ ſunt,
non minus rectè etiam gentium dici poſſunt, id quod plenius infra oſtendemus. Iam
demum offert ſe nobis ius ciuile, quod & ipſum totidem modis uſurpari poteſt. Primò
10 ius ciuile ita poteſt accipi, ut idem ſignificet quod apud Græcos politicum pro ut ſola
per ſe ipſa uox ſatis oſtendit, cum & ciuile, & politicum à ciuitate fuerit appellatum
docetque etiam id Cicero lib. 3. de Natura Deorum, quo loci utitur his uerbis.
Cum ſic hominis natura generata ſit, ut habeat quiddam innatum quaſi ciuile at-
que populare quod Gręci πολίτικον uocant. Et hoc modo ſumptum ius ciuile comple-
ctetur ea omnia, quæ in ciuitate ſeruantur, ſiue ſola natura nobis ingenita ſint, ſiue
11 ab hominibus, uel omnibus ſimul, uel ſolis eius loci incolis fuerint inſtituta. Nam om-
nes populi, (ut Caius inquit) aut ſuo proprio, aut communi omnium hominum iu-
re utuntur. Quapropter ſicut Ariſtoteles ius politicum duplex eſſe ſtatuit, naturale ſci-
licet, & legitimum. Ita nos ius politicum atque ciuile poterimus appellare, quod Iu-
ſtinianus & Vlpianus in ius publicum, atque priuatum diſtribuunt, intelligentes il-
lud eſſe priuatum, quod conſtat ex præceptis naturalibus, gentium, & ciuilibus.
Qua ex re cognoſcitur ius ciuile hæc omnia complecti; ipſe enim proculdubio cum
ius ita diuiſit, ius politicum diuidere uoluit, quod nos proximè cum Tullio dixi-
mus ciuile à Latinis appellari. Alio modo ſumitur ius ciuile pro eo tantùm quod
12 unaquæq; ciuitas ſibi conſtituit, & in hac ſignificatione repęriemus illud paſſim à
Caio, Vlpiano, Iuſtiniano, alijſq; iuriſconſultis uſurpari, ut l. ius ciuile. l. omnes populi
ff. de iuſt. & iur. §. ius autem, & §. pen. inſt. de iur. nat. gent. & ciui. §. ſingulo-
rum inſt. de rerum diuiſ. Conſtatque ex his partibus, omnibus, nimirum legibus, ple-
13 biſcitis. S. conſultis, principum placitis, magiſtratuum edictis, & reſponſis prudentum
l. ius autem. ff. de iuſt. & iur. & §. conſtat autem inſt. eo. Exiſtimat Franciſcus Con-
14 nanus lib. 1. cap. 6. nu. 2. ius ciuile hoc modo ſumptum idem eſſe quod legiti-
mum, de quo Ariſtoteles loquitur d. cap. 7. Sed non uidetur mihi eo in loco Ariſtoteles

Q 2 tàm

Digitized by Google

tàm anguſtè accepiſſe ius legitimum, quemadmodum diximus à noſtris accipi ius ciuile. Ipſe enim ius legitimum appellat quicquid lege humana, hoc eſt hominum inſtituto utilitatis cauſa quacunque ratione introductum eſt; Et quoniam quæ ad utilitatem ſpectant, hominum arbitrio, ac poteſtati permiſſa ſunt, ſæpeque mutari, ac uariari poſſunt, ideò quæ pertinent ad ius legitimum, ea dicit eſſe eiuſmodi, ut nihil referat, an ne hoc, uel alio modo ſe habeant. Itaque generatim accipio ego uerba Ariſtotelis, quemadmodum accipit etiam Euſtratius, ut cum loquutus eſt de iure legitimo, non de eo ſolo intellexerit, quod ſingulis tantùm in ciuitatibus obſeruatur, ſed etiam de illo, quod communem omnium hominum 51
continet utilitatem, & à nobis dicitur ius gentium. Id quod ipſe ibidem in eo quoque dilucidè oſtendit, quia cum de iure naturali proximè egiſſet, confert ſe ſtatim ad ius legitimum, & his uerbis utitur. "At quæ iura (inquit) ex inſtituto, & propter utilitatem ſunt, &c. pauloq; inferius hæc humana iura appellat. Sed qui ſecus uerba Ariſtotelis acceperunt, exemplis fortaſſe illis decepti ſunt, quæ affert ipſe initio eius capitis, nam uerè illa quidem iuri tantùm ciuili conueniunt; At cauendum eſt, ſolere Ariſtotelem id ferè ſeruare, ut cum ius legitimum à iure naturali diſtinguit, aut legem ab ipſa natura, legis, & legitimi appellatione complectatur etiam ea quæ iurisgentium ſunt, prout optimè colligi poteſt ex eo, quod ipſe docet lib. 1. Polit. cap. 4. quo in loco cum legitimam ſeruitutem à ſeruitute naturali disiungit, ſeruitutem illam ſecundum legem appellat, qua capti in bello alienæ poteſtati 16
ſubijciuntur, & quam apud iuriſconſultos iurisgentium eſſe conſtat. Nam lex "(inquit) conſenſio quædam eſt, qua bello capta illorum fiunt, qui ea cœperunt.

Sic uidemus ius ciuile non eodem modo accipi à noſtris, quo ius legitimum ab Ariſtotele uſurpatur. Non deſunt tamen alij qui hanc quoque iuris legitimi ſignificationem admittant, ac dicant ea ſola, quæ à ſingulis ciuitatibus conſtituta ſunt, iuris legitimi nomine comprehendi, imò neque ea omnia, ſed tantummodo, quæ indifferentia ſunt, potueruntq; non minus alio, quàm hoc modo ſe habere. Sed uel ſi maximè hanc ſignificationẽ recipiamus, ut illam recipit inter alios Fran. Bur. lib. v. q. xx. Non tamen iccircò hęc uox legitimum nobis ciuile ſonabit, nam ut apud Ariſtotelem latior, ita hìc anguſtior erit legitimi, quàm ciuilis iuris ſignificatio. Quod ſi etiam recentiorum uſui aliquid concedamus, ac cum ipſis fateamur pro eodem ius ciuile, & legitimum accipi, ut præter Connanum Buridanus prædicta quæſtione, & alij plerique ſen- 17
tiunt, tertiam ex hoc iuris ciuilis ſignificationem à duabus præcedentibus planè diuerſam conſtituemus, nimirum eo inſpecto, quod de legitimo iure proximè diximus. Itaque cum tàm uariè hæc accipiantur, quod uel naturale ius dicatur, uel gentium, uel ciuile, neque ex alijs, quàm ex his differentijs ius diuidatur, non eſt quòd miremur, ſi tàm uariæ iuris diuiſiones afferuntur.

## ARGVM.

**ALteram huius uarietatis cauſam illam eſſe, quòd qui ius diuiſerunt, non eundem omnes, ſed uarios ſibi fines ſinguli propoſuerunt; quibus diligenter conſideratis prædictorum omnium ſententias defendi poſſe, cum illæ, uel ſi diuerſæ, minimè tamen inter ſe contrariæ ſint.**

Non

Digitized by Google

1 Non eodem modo ius accipiunt philoſophi, quo iuriſconſulti.
2 Quomodo iuriſconſulti ius conſiderent.
3 Philoſophorum intentioni conuenit diuiſio Ariſtotelis.
4 Multa iure gentium introducta ſunt, quæ quantum ad iuſtitiam nihil refert utrũ hoc, uel illo modo ſe habeant.
5 Leges ciuiles multa diſponunt, quæ etiã alioquin per ſe iuſtiſsima fuiſſent.
6 Pœnarũ genera, & modi ſalua iuſtitia uariari ſæpe, ac mutari poſſunt.
7 Quodnam remedium Hæbrei loco uſucapionum adhibeant, ne dominia rerum ſit incerta.
8 Iuriſconſultorum intentioni nulla iuris diuiſio magis cõuenit, quàm quę à Vlp. & Iuſt. traditur.
9 Duplex differentia inter ius gentium, & ciuile.
10 Ius commune eſt eiuſmodi, ut illud omnes gentes quaſi uaticinentur.
11 Quare Ariſtoteles eam oratori proponat iuris diuiſionem, quæ à noſtris iuriſconſultis nihil diſcrepat.
12 Quæ ratio mouerit Vlp. ut ſuæ diuiſioni illud quoq; ius inſereret, quod eſt cõmune omnibus animantibus.
13 Naturæ ſenſitiuę inſtinctus hominum cõſtitutione non egebant, quo magis ſeruarentur.
14 Eſt cum in brutis quoque quodammodo iuſti, atque iniuſti regulas iuriſconſulti expendant.
15 A brutis poſſe nos ueri iuris uiam addiſceri Plutarchus exiſtimat.
16 Cai potius quàm Vlp. diuiſio eſt probãda
17 Peccatum Iuſtiniani, ſed quod facilè ipſi ſit condonandum.
18 Non diſiungit Cicero quæ ſola natura introduxit, ab ijs quæ ab hominibus conſtituta ſunt.
19 Quid ſpectauerit Gratianus dũ diuiſionẽ iuris ab aliorum diuiſionibus diuerſam tradidit.
20 Differentiæ illæ quod ius ſit militare, uel forenſe, & aliæ eiuſmodi non conſtituunt ſpecies à iure gentium, uel ciuili diſtinctas.

## CAP. XXI.

VErùm quia hæc cauſa id tantũ facere potuit, ut pro poſitę iuris diuiſiones uerbis
inter ſe differrent, ueniamus ad ſecundã cauſam ſuperius à nobis propoſitam,
quæ fecit, ut neque etiam ſenſu, & re ipſa diuiſiones iſtæ ſimul conuenirent,
Eam uerò diximus eſſe, quia in iure diuidendo non eadem omnibus mens, & in-
tentio fuit. Quare operæpretium eſt, in ſingulis his diuiſionibus animaduertere quid-
nam unicuique ipſarum authori propoſitum fuerit, & quo modo hæc cauſa facere po
tuerit, ut neque cum iuriſconſultis Gratianus, neque cum Ariſtotele iuriſconſul-
11 ti, ac ne ipſi quidem inter ſe iuriſconſulti hac in re prorſus conuenirent. Conſide-
randum eſt ante omnia legem, ſiue ius (utrum enim hoc, uel illo nomine id appelle-
mus, nihil refert) à philoſop his non eodem modo, atque à iuriſconſultis accipi ſole-
re. Philoſophi enim ius per ſe tantùm conſiderant, & quà honeſtati, rationique
naturali conſentaneum eſt. Quapropter ut philoſophi quis nomen mereatur, non eſt
neceſſe illum cognoſcere quid à uarijs populis, ac ciuitatibus, putà Athenientibus, Lace
demonijs, Romanis, alijsue ullis receptum fuerit, dummodo rectè teneat, quid quaque
in re naturalis Iuſtitiæ, atque honeſtatis ratio ſeruandum præcipiat. At uerò iuriſcon-
ſulti non per ſe tantùm ius conſiderant, ſed quà receptum eſt, & approbatum legibus
humanis; quæ leges humanæ iuri naturali maius quoddam robur addiderũt, dum pœnis
propoſitis, ac magiſtratibus conſtitutis, illud uel ab inuitis ſeruari curarunt. Qua ex re
fit, ut quanuis non minus iuriſconſulti quàm philoſophi, morales iuris naturalis cogni-
tionem profiteantur, eaque planè omnia tenere debeant, quibus ad piè, ſanctè, & hone
ſtè uiuendum natura nos inſtruxit, tamen eatenus id profiteantur, quatenus ad humana

rum

Digitized by Google

rum le gum aliquarum interpretationem ſunt neceſſaria, imò & quatenus uerè ipſa-
rum pars ſunt, cum ſingulæ ciuitates non tantùm eo iure utantur, quod ipſæ ſibi con
ſtituerunt, ſed etiam eo quod naturalis ratio inter omnes homines introduxit, ut in
l. omnes populi. rectè Caius animaduertit. Itaque uniuersè ius conſiderant iuriſcon-
ſulti, prout efficax factum eſt populi alicuius uel expreſſo, uel tacito ſaltem conſen- 2
ſu, ita ut in eius mores, & conſuetudinem ſit introductum, qua ratione dicitur ius Politi
cum; Et quamuis in iure politico illud quoque ius includatur (ut diximus) quod natu
ra ipſa ſine ulla approbatione per ſe æquum, & bonum eſt, tñ illud non per ſe, atque abſo
lutè, ſed catenus tantum conſiderant, quatenus eſt approbatum. Oſtendunt hoc Vlp.
& Iuſti. qui ius Romanorũ in publicũ, ac priuatũ diſtribuunt, deinde priuatũ ex præce
ptis naturalibus, gentium, ac ciuilibus conſtare dicunt. l. 1. §. 1. ff. de iuſt. & iur. & §. huius
ſtudij inſt. eo. In quo ſatis demonſtrant hæc ſe omnia præcepta in eo tantùm conſideraſ
ſe, quod Romanorũ conſenſu, & approbatione maius quoddam robur aſſumpſerunt.

Poſtquã uidimus quo modo tùm à philoſophis, tùm à iuriſconſultis ius accipiatur,
uideamus quo modo utrorumque fine inſpecto ius ipſum diuidendum ſit. Si cum
Philoſophis ius per ſe, & quà iuſtum eſt conſideremus, id quod præcipuè facit Ariſtote- 3
les, qui de iuſto expreſſim loquitur, non poſſumus alio modo rectius illud diuidere, quã
ipſe Ariſtoteles diuiſerit, dum totum ius politicum in naturale, & legitimum diſtribuit.
Nam ſi ius aliquod proponatur, quod per ſe iuſtum futurum eſſet, uel ſi nullis unquam
humanis legibus fuiſſet approbatum, uerè illud dicemus eſſe naturale, cum quicquid ha
bet iuſtitię, totum illi natura dederit. Si uerò eiuſmodi ſit, ut niſi legibus comprehenſum
eſſet, non hunc potius quàm alium in modum iuſtitiæ conueniret, tunc quia ſolæ leges
ſunt, quæ iuſtum illud faciunt, meritò Ius legitimum appellatur. Quocirca iuri le-
gitimo neque ſola ea, neque omnia ea tribuenda ſunt, quæ ſingulę ſibi ciuitates con-
ſtituerunt. Dixi non ſola, quoniam ex ijs quoque quæ apud omnes gentes obſeruan-
tur nonnulla ſunt eiuſmodi, ut licet quantum ad utilitatem plurimi referat, itáne, uel ſe
cus ſeſe habeat, tamen quantum ad iuſtitiam, quam ſolam hic ſpectauit Ariſtoteles, nihil 4
prorſus id interſit, ſicut pauloante demonſtratum à nobis fuit. Accedit huic præterea
quod tradit idem Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 6. omnia planè acquirendi genera in
quibus pecunia adhibetur, peritię tãtùm, & arti, non autem naturę tribui debere. Ideoq;
non ad ius naturale, ſed ad ius legitimum, quod ab hominum inſtituto pendet, referen
da eſſe. Vnde ad ius legitimum refert emptiones, & uenditiones, locationes, & condu-
ctiones, quæ ab Hermogene, Iuſtiniano, noſtriſque omnibus iurigentium aſſignantur.
Sic uidemus non ſola illa legitimi iuris eſſe, quæ unaquæque ſibi ciuitas conſtituit. Quem
admodum uerò non ſola, ita non omnia ea concedimus ad ius legitimum referri poſ-
ſe, ſi ius conſideremus ut à philoſophis conſideratur; ſiquidem permulta ſunt ciuilia iura,
quæ uel ſi legibus non continerentur, eſſent tamen per ſe iuſtiſſima, quemadmodum de 5
tutela diximus ſupra. Quare ex ijs omnibus quæ a iure ciuili conſtituta ſunt, illa tantũ iuri
legitimo tribui poterũt, quæ nullã aliã ob cauſam iuſta ſunt, niſi quia legibus, uel moribus
illius ciuitatis introducta fuerunt, ut definit ibi Ariſtoles, ac rectè etiam exempla illa demõ
ſtrant, mina captiuos redimi, & Dijs capram potius, quàm duas oues mactari. Atq; huc
proculdubio referendæ erunt illæ regulæ, quas ſupra attulimus, ex artificio potius iuriſcõ
ſultorum confictæ, quam ex ratione ulla naturali depromptæ: Huc etiam ſpectabunt
quæ de pœnis irrogandis iure ciuili conſtituta ſunt; Tametſi enim delicta puniri lex
ipſa

ipſa naturalis, publicæque utilitatis ratio exigit. l. ita uulneratus. ff. ad l. Aquil. tamen
6 quod ſingulis delictis hæc potius, quàm illa pœna infligatur, cum illa æquè grauis ſit, hoc certè ſolis legibus, hoc eſt ſoli iuri legitimo tribuendum eſt. Ttibuenda ſunt etiam iuri legitimo quædam remedia, quæ ſingulæ ciuitates inuenerunt, atque ijs rebus applicuerunt, quibus tamen alia ratione occurri, ac prouideri potuerat. Quo in numero uſucapionum quoque remedium, iudicio meo, cenſeri poteſt; Quandoquidem licet bono publico inuentæ ſint uſucapiones, ne dominia ſemper incerta eſſent, neuè lites in infinitnm protenderentur. l. 1. ff. de uſuc. inſt. eo. in princ. l. ulti. ff. pro ſuo, tamen ad hanc
7 rem potuerat aliud aliquod remedium afferri, ut legimus fuiſſe factum ab Hebræis quibus erat uſucapio planè incognita, ſed loco uſucapionis (ne dominia eſſent incerta) ex diuinę legis præſcripto illud ſeruabant, ut poſt quinquaginta annos priſtinis dominis, omnia reſtituerentur. Ita enim legitur in Leuit. cap. 25. Reuertetur homo ad poſ- »
ſeſſionem ſuam, & unuſquiſque redibit ad familiam priſtinam, quia iubilæus eſt, & quin »
quageſimus annus. Itaque non aliter res proprias uendere ulli licebat, niſi habita eius ſpatij ratione, quod, cum uenditio fiebat, uſque ad annum iubilęi adhuc ſupererat; nam ſic ibidem ſubijcitur. Terram quoque non uendatis in perpetuum, quia mea eſt, & »
uos aduenæ, & coloni mei eſtis. Qua ex re concluditur, uel ſi ratio naturalis ſit, ob quã »
eſt introducta uſucapio, uſucapionem tamen ipſam ad ius legitimum referri poſſe. Verum hunc puto Ariſtotelis ſenſum in hac diuiſione fuiſſe, quæ ſola diuiſio, neque alia plane ulla ipſi iuri accommodari poteſt, cum illud per ſe ( ut ſemper philoſophi faciunt ) & quà iuſtum eſt, conſideramus. Diximus alio modo ius conſiderari à iuriſconſultis nempe quà efficax eſt, tantumque roboris, & uirium habet, ut licite illi nemo reclamare poſſit. Quodſi hoc modo accipiatur, uerè concludi poteſt, nullam eſſe diuiſionem quæ illi
8 magis conueniat, quàm diuiſio Iuſtiniani, ideoque non mirum eſt ab Ariſtotelis diuiſione illam differre, cũ nõ eadem utriuſq; in diuidendo iure intentio fuerit, ut neq; ab utroq; eodẽ modo naturale, & ciuile accipitur. Neq; enim id ſpectauit Iuſtinianus, quod Ariſtoteles, utrũ ſcilicet uel ſola natura, uel legibus fuerit illud iuſtum effectum, ſed cũ in iure efficiã potiſſimum conſideret, illud unum ſpectauit, nimirum quomodo ipſum ius efficax fie
9 ret. Quare quod à communi omnium gentium conſenſu oritur, appellat ius gentium, quod uerò ſingularum ciuitatum legibus, & inſtitutis, appellat ius ciuile: Quod quidem ius ciuile propterea duabus in rebus potiſſimum differt à iuregentium. Primo quia latius diffunditur, & commoditates ſuas pluribus impertitur: Præterea quia apertiorem Iuſtitiæ; & honeſtatis ſpeciem habet, apertiorem enim eſſe neceſſe eſt, quam non ſoli prudẽtes homines, ac legiſlatores in ſingulis ciuitatibus, ſed oẽs planè nationes, quãtumuis feræ, atque rudes & agnoſcant, & fateantur. Quam differentiam non obſcure inſinuat nobis Ariſtoteles lib. 1. Rhetor. cap. 13. quo loci ius in proprium, & commune diuidit, ac proprium eſſe ſtatuit, quod ſinguli populi ſibi ſeruandum pręſcripſerunt.
10 Commune uero quod abſque ulla uel pactione, uel ſocietate omnes homines quaſi uaticinantur, cuiuſmodi illud eſt, quod apud Sophoclem tradit Antigone, cum ſepulturæ Polinicem tradere iuſtum eſſe aſſerit. Nec eſt quod quiſquam miretur, ſi hoc in loco Ariſtoteles non eandem diuiſionem affert, quam attulerat lib. 5. Ethic. hìc enim non philoſophum inſtruit, ſed oratorem, qui ius non ſecus conſiderat, ac faciat iuriſconſul
11 tus, nimirum quà efficax eſt, & in uſu hominum uerſatur. Quare oratori Ariſtoteles eam iuris diuiſionem proponit, quæ à Vlp. parum diſcrepat, à Caio autem prorſus nihil. Nam

& Caius

& Caius totum ius in proprium, & commune partitur. l. omnes populi ſæpius adducta. At rectè quidem (inquies) ex prædictis apparet, quare Ariſtoteles in ſuperiori illa diuiſione diſcrepet à iuriſconſultis, at non adhuc intelligitur, cur iuriſconſulti à ſe ipſis diſcordent, nempè à Caio Vlpianus, qui præter ius gentium, & ciuile, hoc eſt pręter proprium, & commune aliud quoque ius adiecit, quod continet eos inſtinctus qui cum belluis, & feris nobis communes ſunt, idq; ius naturale nominauit. Dicam primò qua ratione id eum feciſſe exiſtimem, deinde magisne probem eius conſilium, qui hoc membrum ſuæ diuiſioni cenſuerit inſerendum, an uerò Cai, & Ariſtotelis in poſteriori ſua diuiſione, qui illud ipſum prętermiſerint. Cur ergo Vlp. membrum illud adiecerit, hanc cauſam fuiſſe arbitror. Iam diximus ipſum Vlpianum, ut & alios iuriſconſultos omnes ius conſideraſſe quà efficax eſt, atque id roboris ab hominibus accepit, ut neceſſariò obſeruandum ſit. Qua ratione ſingulis ciuitatibus non ĩmeritò aſſignauit quæ ab illis ſeorſum conſtituta ſunt, nam uel ſi prius iuſta eſſe potuerint, tamen anteaq̃ apud illos populos inſtituerentur, efficacia non fuerunt. Meritò etiam gentibus tribuit, quæ apud omnes gentes ſeruantur, quia licet ſeruentur etiam prima illa iuſtitiæ fundamenta, quæ ſola natura noſtris mentibus inſeruit, tamen id ipſum quod hac in re potiſſimum ſpectauit Vlp. nimirum quod ſeruentur, & quod perficiendorum iuſſorum ob pœnarum metum, quandam quaſi neceſſitatem afferant, ipſorum hominum cura prouiſum fuit, cum impunè antea ab omnibus paſſim uiolarentur. At conſiderauit Vlp. eſſe præterea non nulla adeò per ſe firma, atque efficacia, ut quo magis ſeruarentur, nullo hominum præſidio nullis inſtitutis, aut conſtitutionibus indigerent; qualia ſunt maris, & fœminæ coniunctio, liberorumq; educatio. Hoc enim robur, atque hanc efficaciam ſatis, ſuperq; ipſis naturam præbuiſſe, quæ ad ſpecierum propagationem uellet inuiolatè illa cuſtodiri, ac propterea quaſdam eiuſmodi rebus uoluptatum illecebras quaſi inſeruiſſe, quibus fit, ut quanuis hæc ipſa non minus, ac cætera omnia præcepta, quæ iuris materiam conſtituunt, ad alterum referantur, tamen in ijs ſeruandis, non tàm alteri, quàm nobis ipſis morem gerere uideamur. Hac ergo de cauſa Vlp. qui in hac iuris diuiſione primam huius efficaciæ originem ſpectauit, putauit ea rectius tribui poſſe illi naturæ, quæ nobis cum cæteris animantibus communis eſt. Neque uerò propterea ipſe Vlp. reprehendendus eſt, quòd feris etiam, & belluis ius tribuiſſe uideatur, nam nos ſuperius duplicem eius defendendi rationem attulimus. Primam, ut hoſce ille inſtinctus in hominibus quidem, at non in cæteris animantibus ius eſſe exiſtimauerit, quanuis materiã quæ in hominibus ius conſtituit, ipſis quoque beſtijs aliqua ex parte uoluerit conuenire. Secundam, ut dicamus ius etiam ad feras, & beſtias, ſin minus propriè, at impropriè ſaltem, & per translationem referri poſſe; Ac præter. l. 1. ff. de iuſt. & iur. quam ibi ad hoc perpendimus, rectè etiam hoc colligitur l. 1. ff. ſi quadr. pauper. feciſſ. dicatur. §. & generaliter dum ibi deciditur non eſſe locum illi actioni, qua petitur aut dari animal quod noxiã cõmiſit, aut æſtimationem noxiæ offerri, toties (inquam) illi actioni locum non eſſe, quoties ſecundum naturam animal nocuit, quaſi iuſtè feciſſe uideatur, quod ſecundum naturam ſuam fecit. Prudentia, uirtutibusq; alijs brutas animantes carere ſupra plenè docuimus, ſed tamen non negauimus quin appareant in illis quædam prudentiæ, aliarumque uirtutum quaſi ueſtigia, quibus perſequendis homines (ut fusè in quodam dialogo explicat Plutarcus) ueri iuris uiam multis poſſunt in rebus inuenire. Nam ſi hæc apparent in brutis, primùm, ut generationis cauſa coniungantur, deinde quod

12 13 14 15

procreatum

procreatum eſt ament, & nutriant, idq; faciant cum deſiderio, & ſimilitudine quadam ſolicitudinis humanæ, multò certè magis id homini natura præcipit, ut uxorem quærat, & ex ea liberos quos ſuſcepit, magno ſtudio alat, & ad ſubſidium generis tueatur. Potuerunt ergo hæc mouere Vlpianum, ut cùm maris, & fœminę coniunctionem, liberorumq; educationem iuri naturali tribueret, tùm etiam hoc ius naturale à iure gentium ſepararet. Habemus iam quid ſpectarit Vlpianus, cum triplicem hanc iuris tradidit diuiſionem, itemq; Iuſtinianus qui eandem diuiſionem amplexus eſt, & qua ratione defendi poſſint. Verùm ſi inter iuriſconſultorum ſententias liceat nobis diiudicare, ut certè
16 in eiuſmodi rebus, quę nullius facti deciſionem continent, deberet eſſe permiſſum, nos non tantum Vlpiano, & Iuſtiniano aſſentiemus, quantum Caio, & Ariſtoteli, qui hoc caput prorſus omiſerunt, ac ius totum diuiſerunt in commune omnium hominum quod eſt ius gentium, & proprium cuiuſq; ciuitatis, quod eſt ius ciuile. Sola enim ratio iuſti differentias nouit, ſolaq; diſpenſationē iuris ſibi uendicat, quare non ea omnia quæ animæ ſenſitiuę inſtinctu nobis innata ſunt, iuris eſſe ſtatuit, ſed tunc tantùm cum illa eadem iudicat iuſtitiæ, & honeſtati reſpondere. Quandoquidem (ut ſupra dictum eſt) quæ animæ ſenſitiuæ inſtinctu nobis innata ſunt, ita demum iuris eſſe dici poſſunt, ſi ab humana ratione tanquàm iuſta, & honeſta recipiantur; quod cum ita ſit, non uideo cur in iuris diuiſione non rectè cum illis coniungi potuerint, quæ naturalis ratio inter omnes homines introduxit. Quanuis enim conſiderentur hæc iura, ut efficacia ſunt, cum à iuriſconſultis diuiduntur, attamen certè ut iura conſiderari debent: Vnde negare non poſſumus, quin peccato debeat hoc aſcribi Iuſtiniano, quòd Vlpiani
17 potius, quàm aliorum hac in re ſententiam ſecutus ſit. Verùm hoc eiuſmodi peccatū eſt, ut facilè condonari debeat, cum præſertim hæc duplex diuiſio, licet quantum ad ius naturale redundet, pleniorem tamen, ac magis diſtinctam iuris cognitionem nobis afferat.

Excepto hoc uno capite, quoad reliqua duo Iuſtinianus cum Caio planè conſentit, itemq; tum Ariſtotele qui lib. 1. Rhetor. ius in proprium, & cōmune diuidit. At uidendū eſt cur his ab omnibus diſcrepet Gratianus, qui ius illud cōmune, ſeu gentium putat eſſe duplex, cum tamen prædicti omnes illud unicum eſſe ſtatuant. Atque ipſi Gratiano aduerſatur etiam Cicero lib. 3. offic. ubi cum ius gentium diſiungit à ciuili, appellatione iuris gentium tàm ea complectitur, quæ ſola naturalis ratio nos docuit, ac iuris gentium
18 primæui ſunt, quàm ea quę ab hominibus ipſis fuerunt conſtituta, ac poſteriori iuri gentium tribuuntur. Neq; uerò (inquit) hoc ſolum natura, id eſt iure gentium, ſed etiam legibus populorum, quibus in ſingulis ciuitatibus Reſpub. continetur, eodem modo conſtitutum eſt, ut non liceat ſui cōmodi gratia nocere alteri. Nos Gratiano hac in re prorſus aſſentiendum putamus, qui hęc iura diſtinxit, uerè enim illa inter ſe differre credimus; quod ipſum haud multò poſt perſpicuis argumentis demonſtrabimus. At nō iccircò tamen Ariſtoteles, Vlp. Iuſtinian. aliiuè ulli nobis reprehendendi eſſe uidentur, qui hæc iura, quantumuis inter ſe diuerſa, iuris gentium appellatione complexi fuerint. Nam cum ipſi iura conſiderarent, ut in hominum uſu uerſantur, cumque perſpicuum ſit, æquè utrunque ius gentium & prius, & poſterius apud omnes fermè gentes in uſu eſſe, nihil fuit neceſſe, ut prius à poſteriore in hac diuiſione ſepararent. Veruntamen ea inter ſe differre non modo negarunt, ſed ipſimet aliis in locis apertè indicarunt, ut Vlp. in l. manumiſſiones. ff. de iuſt. & iur. Iuſtinian. in §.
19 ius autem. inſt. de iur. nat. gent. & ciui. Propterea uerò dici poteſt ip-

R ſum

ſum potius Gratianum hæc iura diſtinxiſſe, quoniam id uidetur in animo habuiſſe, ut magis graphicè, ac quaſi hiſtoricè hanc diuiſionem traderet, ac temporum progreſſionem quandam conſideraret, Et quia primo tempore, anteaquàm homines quicquàm conſtituerent, aut à primo illo, naturaliq; ſtatu quicquàm immutarent, ſeruabantur ea quæ ſolo naturæ inſtinctu habebantur, iccircò ea omnia quæ hominum conſtitutiones præceſſerunt,unico tantùm capite,atque uno naturalis iuris nomine cōplexus eſt.Nec reſpexit utrum ſpectarent utilitatem,an uerò ſolam honeſtatem, item an īmutabilia eſſent, an uerò pro ipſorum hominum arbitrio in poſterum mutari poſſent. Inſuper uerò quoniam mortales, cumprimùm in cœtus congregari cœperunt,cœperūt etiam ſedes occupare,ædificare,munire,bella inter ſe gerere,connubia inter alienigenas prohibere, ideo ex his omnibus aliud ius conſtituit Gratianus, quod ius gentium nominauit, ac demum quia conditis iam ciuitatibus unaquæque ciuitas propria ſibi quædam diuina,humanaq; cauſa conſtituit,rectè ipſe ea omnia ( prout etiam iuriſconſulti omnes fecerant) ad ius ciuile retulit,quanquàm nō omnia quæ iurisgentium ſunt,ius ciuile anteceſſerunt,quemadmodum poſtea dicemus. Sequentibus deinde capitibus re 20
cenſet ius militare, ius quiritum, & alia, ſed hæc membra in diuiſione iuris non per ſe ſeorſum cenſenda ſunt, quandoquidem ad ſuperiora tria iura, ac præſertim ( ut mihi uidetur ) ad ius ciuile referri poſſunt. Itaque concludamus Gratianum hanc trimembrem iuris diuiſionem ſumma cum ratione tradidiſſe.

## ARGVM.

QVomodo Gratianus defendi poſſit, qui cum ius naturale primis tantùm temporibus obtinuiſſe ſtatuat,antequàm.ſ. dominia diſtinguerentur, tamen ipſi tribuat poſſeſſionem, ac rei depoſitæ reſtitutionem, quæ non niſi poſteriore tempore uidentur extare potuiſſe.Tum quomodo ius publicum accipiendum ſit,& an per ſe ſpeciem iuris ab alijs diuerſam conſtituat.

1 Vel anteaquàm dominia diſtinguerētur, rerum tamen omnium uſus erat.
2 Hodie quoque ſine dominio poteſt conſiſtere uſus, licet per eū res conſumatur.
3 Verè,& propriè poſſeſſio quæ ſit.
4 Cū poſſeſſioni adimis dominij cōtēplationē,nihil aliud niſi merus uſus remanet.
5 Poſſeſſio ſæpè accipitur pro ſimplici uſu, imò & pro mera detentione.
6 Qui in aliena ſunt poteſtate non uerè poſſident.
7 Solius uſus ratione conſiſtit depoſitum,& commodatum.
8 Opinio Franc. Connani.
9 Publica conuentio quę ſit.
10 Propter publicam utilitatem à iure tùm gentium tùm ciuili ſæpè receditur.
11 Velata Romanorum iniuſtitia.
12 L.conuentionnm.ff.de pactis.
13 Hoſtes ligant non quæ iure ciuili, ſed tantùm quæ iuregentium conſtituta ſunt.
14 Publica conuentio uerè iuris gentiū eſt.

## CAP. XXII.

AT Gratiano illud præterea obijciūt nōnulli, quod in tradēda hac iuris diuiſione naturali iuri quod primis tātū illis tēporibꝰ antè dominia diſtincta obtinuerit,nō rectè poſſeſſionē,ac depoſitū aſſignaſſe uideat̄. Sed in hoc quoq; expeditā eius defendendi

ſendẽdi rationẽ eſſe credimus quam ex ijs, quæ de primo illo, & aureo ſeculo ſupra do-
cuimus, facilè unuſquiſq; colligere poterit. Antiquitus ( quemadmodum ibi dixi-
mus ) uel anteaquàm dominia diſtincta eſſent, idem ipſe tamen, qui hodie eſt, rerum
1 omnium uſus erat, ſiquidem & herbas,& plantas, & brutas animantes, ac res denique
omnes non alia de cauſa fabricata eſt natura, niſi ut ijs homines uterentur. Vſum enim
ſolum,non dominium natura ſpectauit, ac præter uſum primis illis ſecundum naturam
uiuentibus, nihil aliud opus fuit. Quocirca ſi auem, feram, uel piſcem cœlo, ter-
ra, marive cœpiſſes, uel quocunque in loco rem aliquam inueniſſes, poteras ea pro
animi tui libidine uti, ac uel edendo, uel alia quacunque ratione abſumere, Eius ta-
men rei dominus non eras, quia nondum generali omnium conſenſu id receptum
fuerat, ut licet illa non egeres, ab eius tamen uſu eo nomine alios prohiberes, quòd
eam rem tibi propriam diceres. Neque abſurdum uideri debet, ſine dominio uſum ex-
2 titiſſe, quo res etiam abſumerentur, cum iſtuc ipſum hodie quoque cernamus in ijs re-
bus, quæ uſu conſumuntur. §. conſtituitur inſt. de uſufr. & toto tit. ff. de uſufr. ear.
rer. quæ uſu conſum. Ex hoc porrò intelligi poteſt, qualis fuerit eius temporis poſ-
ſeſſio, non enim eadem eſſe potuit, quam nos uerè, & propriè poſſeſſionem appel-
3 lamus. Verè, & propriè poſſeſſio à nobis dicitur, quoties non utimur ſimpliciter, ſed
utimur contemplatione dominij; cuius rei optimum ſumitur argumentum ex l. quæcun
que. §. interdum. ff. de pub. in rem act. & ex l. ſi ſeruus depoſitus. §. is qui pignori. ff. de
nox. act. Quare qui poſſidet aliquam rem, ſi eiuſdem rei dominus eſt, ea ipſa utitur ra-
tione dominij, quod iam habet; ſi non dominus eſt, ſed bonæ fidei poſſeſſor, utitur
ratione dominij, quod ſe habere arbitratur; quod ſi mala fide poſſidet, utitur ratione
dominij cuius prætextu eam rem poſſidet, & ad quod aſpirat, ſaltem poſt comple-
tam xxx. ann. præſcriptionem, qualecunque tandem id ius futurum ſit, quod in-
de in re poſſeſſa conſequuturus eſt, ut l. ſi quis emptionis. §. 1. C. de præſcrip. xxx. uel
xl. annorum. At uerò primis illis temporibus cum dominia nulla eſſent, non pote-
4 rant qui tunc erant homines re ulla uti contemplatione dominij, Quare dempto do-
minio eorum poſſeſſio in ſimplici tantùm uſu poſita erat; & tamen non abſurdè
poſſeſſionem illam appellabimus, namque uſus quicunque poſſeſſio dici ſolet, iu-
xta l. quęſtio. ff. de uerb. ſign. Itaque non eſt reprehendendus Gratianus, ut non-
nulli illum reprehendunt in l. 1. ff. de acquir. poſſeſſ. atque inter alios Franciſcus Conna-
nus lib. 1. cap. 6. quòd dixerit communem rerum poſſeſſionem tunc extitiſſe, Nam &
communis tunc rerum uſus erat, & uſus rectè poſſeſſio appellatur; imò uerò hæc uox
5 poſſeſſio non ad uſum tantùm, quo quis utitur ſibi, ſed ad meram detentationem ſæpiſ-
ſimè refertur, cum & ſerui dicantur poſſidere, & filij familias, & coloni, qui ex loca-
to, commodato, uel depoſito rem aliquam detinent. l. 2. §. quod uulgò. ff. pro hęrede. l.
communi. §. neque. ff. communi diuid. l. quòd ſeruus. l. cum hæredes. §. item quæro. ff.
illo tit. de acq. poſſ. l. ſtipulatio iſta. §. hi qui ſunt, & §. hæc quoque hoc tit. Atque
6 hi tamen nullo modo poſſident, neque propriè neque impropriè, ſed ſunt quædam
quaſi inſtrumenta, per quæ poſſident patres, uel domini, uel ij qui locarunt, depoſue-
runt, aut cõmodarũt. l. poſſeſſio quoque. l. 3. §. quod ſi ſeruus. l. ſi colonus. l. ſi de eo. §. 1.
l. peregrè. §. quibus explicitis. l. qui uniuerſas. §. quod per colonum. l. ſi id quod. §. 1. ff.
de acquir. poſſ. Vnde eam nos iuriſconſulti differentiam docuerunt, ut aliud ſit poſſi-
dere, aliud in poſſeſſione eſſe. l. ſi quis ante. §. idem Pomponius eod. tit. de acquir. poſſ.



Digitized by Google

Facilè etiam ex hoc defenditur Gratianus ab altero illo obiecto, quod non rectè exiſtimaſſe dicebatur depoſitum,& cõmodatum ad ius naturale pertinere. Nam cum uſus rerum tunc quoque eſſet, ut dictum eſt, ſicut ratione uſus acquirebantur ea, quæ cœlo, terra, mariq; capiebantur, in quibus tamen nihil aliud præter uſum acquirere poteram,
ita quantum ad hunc ipſum uſum poterat cenſiſtere depoſitum, uel commodatum. 7
Etenim ſi re aliqua, quam penes me haberem, uidiſſem mihi in poſterum opus fore, ac ꝓpterea aliquò fortè profecturus apud te interea illã depoſuiſſem,uel tibi cõmodaſſem, fidem in hoc tuam ſequutus, quòd eam te mihi reſtituturum promiſiſſes, negari certè non poteſt, quin tunc quoque tibi ratio dictaret, ut fidem mihi datam ſeruares, remq; illam mihi redderes, quam uel utendam,uel cuſtodiendam à me accepiſſes,quanuis ego nullum ea in re dominium haberem. Sic cõcedamus oportet non modo diuiſionẽ iuris rectè à Gratiano traditam eſſe, ſed etiam exempla quibus ipſe utitur, rectè ſingulis capitibus fuiſſe accõmodata. Alias quoque ſupra retulimus iuris diuiſiones, quas omnes nunc perſequi nimis longũ eſſet,ac minimè profectò neceſſariũ. Nã qui uarias ſpectarit eorũ intentiones,qui hoc,uel illo modo diuiſerunt,facilè per ſe cognoſcet,eas omnes diuiſiones aliquo modo defendi poſſe,& iuriſconſultorũ traditionibus nulla ex parte aduerſari. Vnũ tamen hìc non cenſeo prętereundum quod à Frãciſco Cõnano traditum reperio lib.5.cap. 1. quodq; à Iuſtiniani,aliorumq; omniũ ſententia in hac diuiſione iuris uidetur maximè abhorrere,& tamẽ,ſaltem primo aſpectu, uidetur maximè rationi con
ſentaneũ. Videtur ipſe conſtituere quãdã iuris ſpeciem ab ijs omnibus planè diuerſam, 8
quas hactenus cõmemorauimus,ac ius quoddam nobis proponere, quod uel ſi non à ſola naturali ratione introductũ,ſed ab hominibus fuerit conſtitutũ,tamen neq; ius gentiũ,neque ius ciuile dici poſſit,ſed magis ius quoddã tertiũ,quod ex his conflatur,atque
perficitur. Id uerò ita eſſe oſtendit exemplo publicæ conuentionis,quę per Principẽ fit, 9
aut quoties duces belli inter ſe paciſcuntur,in qua nec iuris ciuilis,nec iuris gentium ratio attenditur. Cum enim fiat cum hoſtibus ijs de rebus, quæ ad publicum cõmodum ſpectant, ideoq; dirigatur ad id quod prodeſt, & expedit Reip. cuius utilitas omnibus
omniũ utilitatibus antecedit, propter hanc cõmunem utilitatẽ receditur ſæpiſſimè non 10
tantũ à legibus ciuilibus,ſed etiã à cõmuni omnium gentiũ iure,hoc eſt ab ijs,quę de ſingulorũ contractibus ſcita ſunt in populis, & quæ omniũ moribus ea in re obſeruantur. Non uidetur ergo hæc conuentio iuris ciuilis eſſe poſſe, tùm quia in ea à legibus ciuilibus ſæpè receditur,tùm etiam quia cum hoſtibus fit,quibus cum nulla nobis conſociatio eſt iuris ciuilis; At neq; etiam iuris gentium uidetur eſſe, quia non poteſt fieri niſi ex legum ciuiliũ præſcripto,atque eo modo qui publicis legibus deſcriptus eſt. Is uerò iuri
gentiũ utplurimũ aduerſatur, quod optimè oſtendit pax Caudina ab Aul. Poſthumio 11
Conſule per ſponſionẽ cũ Samnitibus facta,cũ ſe ille cũ toto ſuo exercitu intercluſum uideret. Hanc enim populus Romanus ratam nõ habuit,ut author eſt Liuius,quòd diceret iniuſſu populi Romani quicquã ſanciri poſſe,quod populũ teneret. In hoc Romani proculdubio iuri gentium aduerſati ſunt: Vt enim hæc ſponſio ſine populi facta conſenſu non ualeret, legibus Romanis cautum erat, ſed hoc ad Samnites nihil attinebat, qui ijs legibus non tenebantur: Cum ergo nec iuris gentium,nec iuris ciuilis ſit publica conuentio,ut ad ius aliquod referre eam poſſimus,uidetur neceſſariò concedendum ius aliquod dari, quod ſit ab hominibus conſtitutũ, & tamen à iure gentiũ,ac pariter à
iure ciuili diuerſum ſit, Idque probari uidetur ex l. conuentionum. ff. de pact. 12

quo

quo loci duplex traditur eſſe priuata conuentio: ſ. iuriſgentium, & legitima; ſed quantũ ad publicam conuentionem hęc diſtinctio non adhibetur. Vera (iudicio meo) huius obiecti ſolutio eſt, ut dicamus non poſſe ex hoc tertium ius conſtitui, quod & à iure gentium differat, & à iure ciuili; Id enim hoc argumento certè non demõſtratur. Nam quę de publica conuentione legibus publicis conſtituta ſunt, uerè ſunt iuris ciuilis, cum ſæpe & ius ciuile ob publicam utilitatem ab alijs legibus ciuilibus recedat ar. l. 1. ff. de uſuca. & pleniſſime traditur in l. 1. ff. ſolut. matri. Quòd uerò fiat cum hoſtibus hęc conuen-
13 tio, cum quibus nulla nobis iuris ciuilis communicatio eſt, concluditur hinc quidem quæ de publica conuentione iure ciuili conſtituta ſunt, hoſtes non ligare (ligantur enim tantùm hoſtes ijs conuentionibus, quæ iuris gentium eſt) ſed non rectè ex hoc colligitur, quæ de bellorum gerendorum ratione in ſingulis ciuitatibus conſtituta ſunt, iuris ciuilis non eſſe. At, uel ſi non hoſtes, ciues tamen certè ligabunt, à quibus ea neceſſariò
14 obſeruanda ſunt. Quare conuentio ipſa quantumuis publica, ſemper iuris gentium eſt, ac uerè hoſtes obligat, quæ uerò de illius conuentionis forma à ſingulis ciuitatibus conſtituta ſunt, ea ſunt iuris ciuilis, & ſolos earum ciuitatum ciues adſtringunt. Itaque non rectè ſentiunt qui ius inde tertium conſtitui uolunt. Maximum uerò ad hanc ſententiam diluendam argumentum eſt quod Vlp. ipſe ex cuius reſponſo in l. conuentionum tertium hoc ius deſumebatur, præter ius gentium, & ciuile nullum aliud ius cognouit quod ab hominibus fuerit conſtitutum. Atque hanc ſolutionem ipſe quoque Connanus neceſſariò recipere debet, niſi apertè ſibi ipſi aduerſari uelit. Namque is lib. 1. cap. 4. expreſſim affirmat nullum ius publicum reperiri, quod non ciuile ſit, id quod uel ex ipſa uoce demonſtrari ait, cum dicatur publicum quaſi populicum, ac populus ſit multitudo iuris conſenſu congregata, quam ciuitatem appellamus.

## ARGVM.

EX iuriſconſultorum ſimul omnium traditionibus, iunctis etiam ijs, quæ hac de re Ariſtoteles, & Tullius docuerunt, poſſe perfectam iuris diuiſionem deſumi, ex qua rectè intelligatur, quot ſint iuris ſpecies, & quomodo illæ inter ſe diſtingui debeant.

1 Nulla à quoquam traditur iuris diuiſio, quæ omnes ipſius iuris differentias cõplectatur.
2 Quæ ſit rectiſſima iuris diuidendi ratio.
3 Ius quod ad hominum utilitates pertinet nõ æquè naturæ aſſignãdũ eſt, vt quod ſolam honeſtatem ſpectat.
4 Ius humanum idem & gentium dici poteſt.
5 Quæ ſint tùm primęui, tùm ſecundarii iuris.
6 Ius primæuum non diuiditur.
7 Iuris ſecundarii duæ ſpecies.
8 Modi acquirendi à iure ciuili introducti.
9 Non abſurde dicimus iuriſgentium appellatione etiam ius ciuile contineri.
10 An ius reſpiciens ſolam honeſtatem ſpecie differat ab eo, quod hominũ utilitates inſtituit.
12 Ciuium Romanorum differentiæ permultæ.
13 Tres differentiæ inter ius naturale, & ius gentium,
14 Effectus prouenĩetes ex diuerſitate iuris naturalis, & humani.
15 Authores grauiſſimi, qui in iure diuidẽdo hanc ipſam utilitatis atque honeſtatis diſtinctionem amplectuntur.
16 Verus Ariſtotelis ſenſus contra Connanum.
17 Refellitur Connan. circa intelligentiam. l. pen. ff. de iuſt. & iur.
18 Falſum eſt, ius ciuile à noſtris iuriſconſultis ſumi pro politico.
19 Perpeduntur uerba Iuſt. in §. ſingulorum inſt. de iur. nat. gent. & ciuil.

CAP.

## CAP. XXIII.

LIcet planiſsimum iam fecerimus non modò iuriſconſultorum, ſed & aliorum hac de re traditiones optimè defendi poſſe, ac tàm multas à uariis traditas diuiſiones diuerſas quidem, ſed minimè inter ſe contrarias eſſe, non tamen eò rem deduxiſſe uidemur, ut qui cupiat omnia, quæ ad iuris diuiſionem attinent, planè tenere, iis tan tùm quæ hactenus diximus, acquieſcere poſſit. Neque enim adhuc cognoſcimus quot iuris ſpecies ſint, aut qua ratione illæ inter ſe diſtingui debeant. Siquidem diximus nec Ariſtotelē nec Iuſtinianū, alioſuè iuriſconſultos id ſibi propoſuiſſe, ut omnes omninò iu ris differentias attingerent, ſed cum in iuris diuiſione uarii uaria ſpectarint, attigiſſe ſingulos eas tantùm differentias, quæ illorum intentioni conuenirent, reliquas uerò prę terijſſe, quas tamen extare ijſdem ipſi non inficiarentur. Itaque, ut haſce omnes differētias, ac iuris ſpecies probè cognoſcamus, operæpretium facturi uidemur, ſi Ariſtote le, & Cicerone in noſtrorum iuriſconſultorum numerum quaſi receptis (quod facere hac in re conſentaneum eſt) ex illorum ſimul omnium traditionibus perfectam colligamus iuris diuiſionem, omnibusque (quod aiunt) numeris abſolutam, in qua complectamur omnes differentias, quæ à quolibet eorum traditę, uel ob aliquos effectus, quacunque ratione fuerint conſideratæ. Et quanuis ſupra docuerimus eas uoces, quæ ad iuris diuiſionem adhiberi ſolent, cum ſcilicet dicimus naturale, gentium, & ciuile multis modis ſolere variari, nos de ijs in præſentia non magnopere ſolliciti erimus, ſed omiſſa uerbo rum ſuperſtitione, eius ipſius iuris quod in ſingulis capitibus ab altero iure diſtinxerimus, naturam, & ſubſtantiam uel exemplis, uel certa aliqua deſcriptione demonſtrabi mus. Ea igitur totius iuris diuidendi rectiſſima ratio eſſe mihi videtur, vt illud gene- 1
ratim, atque uniuerſè conſideratum duplex tantum eſſe ſtatuamus. Vnum ius eſt quo ea continentur, quæ determinatè (ut ita loquar) à natura vel imperantur, vel prohiben tur, ac propterea per ſe iuſtorum, vel iniuſtorum diſtinctionem habent, qualia ſunt ea, quæ ex Cicerone ſupra relata ſunt, ſparſimq; etiam in uarijs iuriſconſultorum reſponſis habentur l. veluti. l. vt uim. ff. de iuſt. & iur. l. ſed & ſi lege. §. conſuluit. ff. de petit. hæredi ta. Et hæc Cicero magis proprium quendam in modum naturali iuri tribuenda eſſe exi ſtimat. Alterum ius complectitur ea quæ natura non determinatè vel præcepit, vel pro hibuit, ſed hominum arbitrio, ac poteſtati tanquam indifferentia permiſit, ut id potiſſimum decernerent, quod ſibi magis expedire iudicarent. Quare ut in primo honeſtas po tiſſimum, & iuſtitia inſpicitur, ita in hoc utilitas maximè attenditur. Moderatur enim eas commoditates quæ ad uitam inſtituendam pertinent. Ideoque rectè ad hoc ius refe remus non tantùm dominia, commercia, bella, captiuitates, ſeruitutes, contractus, quæ noſtri interpretes dicunt eſſe iuris gentium ſecundarij, ſed etiam rerum omnium communionem, unam omnium libertatem, promiſcuos concubitus, acquiſitionem eorum, quæ cęlo, terra, marique naſcuntur, & ſi qua alia primo illo ęuo ſeruabantur, anteaquam homines ex illo naturali ſtatu quicquam immutaſſent. Nam hæc quoque in hominū poteſtate poſita erant, ita ut ſalua iuſtitiæ ratione mutari, corrigi, rurſuſque reſtitui, ac ſępius uariari poſſent. Hoc ius (ſi Ciceronis teſtimonio aliquid dabimus) ius naturæ 2
non propriè dicemus, is enim dum connumerat ea, quæ iure naturæ continentur, hęc non recenſet; Ac fortaſſe etiā minus propriè ius eſſe ſenſit, quòd ad uitę utilitates potiſſi mum dirigatur. Poterimus nos cum Ariſtotele ἀνθρώπινον hoc eſt humanum appellare, quandoquidem libero hominum arbitrio permiſſum ſit. Quod uerò humanum ius 3

eſt, idem

eſt,idem mihi videtur ius gentium non abſurde dici poſſe. Quòd ſi quis hoc ipſum ius
quantum ad ea,quæ primo illo ſeculo ſeruabantur naturale maluerit, quàm gentium no
minare,vt Gratianus fecit, ego in hoc illi non reluctabor,nec negabo,quin maiori cũ ra-
tione,ea ipſa poſſint dici iuris naturalis eſſe,quàm quæ poſterioribus temporibus ab ho-
minibus inuẽta ſunt, ut fusè infra explicabitur,dũmodo illud mihi concedatur,totũ hoc
ius, quod in hominum poteſtatem collatum eſt(ſiue priora,ſiue poſteriora tempora ſpe-
ctemus) ab illo iure naturali differre, de quo paulò ante loquuti ſumus, id quod neceſ-
ſariò concedendum eſſe, haud multò poſt demonſtrabimus. Quod attinet ad pri-
mum illud ius, quod ex Tullij ſententia diximus magis propriè naturale eſſe, ego illud
unicum ſtatuo,nec rectè ſubdiuidi poſſe iudico. Quod attinet uerò ad alterum ius,quod
Ariſtoteles ἀνθρώπινον nominauit, nos humanum,aut etiam gentium non abſurdè poſſu
mus appellare, Huic ego exiſtimo rectè conuenire diſtinctionem primæui, & ſecun-
darij quam noſtri frequentius probant. Primæui iuris ea ſunt, quibus homines primo
illo æuo utebantur anteaquam ex naturali, qui tunc erat,ſtatu aliquid mutaſſent.Quo tẽ
4 pore ſeruabantur hæc omnia, communis rerum poſſeſſio, una omnium libertas, concu
bitus promiſcui, acquiſitio eorum, quæ in cælo,terra, marique naſcuntur. Iuris uerò ſe
cundarij ea ſunt,quæ poſtea ſeruari cœperunt cum hominũ creuit malitia,ſuntq; ijs,quæ
proximè diximus penè contraria. Etenim loco illius uniuerſalis cõmunionis diſtinctio
dominiorum ſucceſſit,loco libertatis ſeruitus multos oppreſſit, indeq; etiá proceſſit ma-
numiſſio;quare cum uno naturali nomine homines anteá appellarentur, iure gentium
iura genera eſſe cœperunt liberi; & ijs contrarium ſerui,& tertium genus libertini, qui de
ſierant eſſe ſerui. Item cum prius eſſent promiſcui, ac cum omnibus fermè mulieribus
permiſſi concubitus, inuentis poſtea connubijs, tàm libera eorum poteſtas ſublata fuit.
Poteſtas etiam rerum acquirendarum ſin minus ſublata, at certè maxima ex parte reſtri-
cta eſt. ar.l.ult.ff.de uſucap.Nunc uideamus an ſingulæ iſtæ ſpecies iuris gentium, quas
hucuſque conſtituimus,rurſus diuidi poſſint. In quo breuiter dico, ius illud primæuũ,
5 quoniam peræque ab omnibus ſeruabatur,nullam amplius diuiſionem admittere. In ſe
6 cundario uerò duas adhuc ſpecies diſtinguo (& hanc poſtremam ſtatuo iuris diuiſionẽ)
nam aut commune,aut proprium eſt. Commune ea continet quibus omnes gentes utũ
tur;cuiuſmodi ſunt ea,quæ proxime commemorauimus,ſoletque hoc ius præcipuò quo
dam uocabulo ius gentium appellari. Proprium uerò eſt quod quiſque ſibi populus
conſtituit,atque in noſtris legibus paſſim ius ciuile dicitur.Nam quę utilitatis gratia poſt
primum illud.& aureum ſeculum ab hominibus fuerunt excogitata, aut ad communem
omnium utilitatem ſpectant, & iuriſgentium ſunt, aut ad uarias ſingularum ciuitatum
opportunitates inuenta fuerunt, & inde ius ciuile conſtituitur, qnod iuri communi ſo-
let ſemper aliquid uel addere, uel detrahere,ut ait Vlp. in l.ius ciuile.ff.de iuſt.& iure.Ad
7 dit,ut in uſucapione,& arrogatione,ſunt enim hi modi acquirẽdi,quos adiecit ius ciuile,
pręter eos,quibus iure gentiũ rerum dominia acquirebamus.Detrahit,ut cum donationẽ
prohibet inter uirũ &uxorẽ toto tit.de don.inter iur.& ux.& ff. & C. Quę iure gẽtium re
cepta erat,uel cũ mutuũ à filioſa. cõtractũ planè irritum atq; inualidum reddit,ita ut is ac
ceptam pecuniam reſtituere non teneatur toto tit.ff.& C. ad. S. C. Maced. Atque in hũc
modum proprias ſibi regulas ius ciuile conſtituit, quæ quanuis utplurimum conueniãt
rationi naturali,ex ijs tamen nonnullæ ſunt,quæ ex ſolo iuriſconſultorum artificio fuerũt
8 excogitatæ,cuiuſmodi nos aliquot ſupra connumerauimus. Nec cuiquam debet ab-
ſurdum

ſurdum uideri quod ſtatuerimus iuris gentium appellatione, ius quoque ciuile contine
ri, nam & quæ à ſingulis ciuitatibus conſtituta ſunt, uerè hominum dici poſſunt. Vnde
Ariſtoteles cum de humanis iuribus loquitur,non diſtinguit omniumnè hominũ ea ſint,
an uerò ſingularum ciuitatum.Si hominum ſunt, ergo & gentium dici poterunt; con-
ſtat enim hoc uocabulum non ſolum ad omnes ſimul populos, ſed ad ſingulos etiã poſ-
ſe referri,ut cum gentem Allobrogum dicit Cicero, imò & de ſingulis familiabus ſæpe
uſurpatur,unde Valeriæ gentis, Æmiliæ, Fabiæ, Claudiæ,& aliarum crebram mentionẽ
reperimus. Hæc, iudicio meo,uera, & perfecta iuris diuiſio eſt, differentiasque omnes,
quæ modò alicuius momenti ſint,planè complectitur. Verùm quoniam illa,uel ſi iuriſcõ
ſultorum ſententiæ maxime conueniat,(ut mox oſtendemus) à nemine tamen ipſorum
in hunc modum,& quoad omnes partes tradita reperitur,nonnulla circa eam cẽſeo ex-
plicanda,ex quibus rectius intelligetur, qua ratione hæc ſingula capita ſic à nobis diſtin-
cta fuerint. Primum omnium explicandum illud occurrit, qua ratione ius naturale, 9
quod à ſolius naturæ præcepto,uel prohibitione pendet, ab eo iure diſiunxerimus,quod
humanæ uitæ utilitates continet,atque inſtituit. Cuius dubitationis explicatio eo magis
neceſſaria eſt, quia legum authores hæc duo capita ſimul permiſcent, ac planè confu n-
dunt. Nam ſi loquamur de eo iure gentium, quod primæuum appellauimus,cum iu
re naturali illud apertè confundit Gratia. in c.ius naturale, ubi communem rerum poſ-
ſeſſionem,atq; unã omnium libertatem eidem iuri tribuit,cui etiam tribuit uiolentiæ per
um depulſionem, ac ſeruandæ fidei obligationem; ſi etiam loquamur de iure gentium
poſteriori,ex quo bella inducta, diſtincta dominia, contractus inuenti,ſolet hoc quoq;
cum iure naturali confundi,ut probatur legibus ſupra adductis in quinta dubitatione,nẽ
pè ex.§.ſingulorum inſt.de rerum diuiſ. & l. 1.iunctis quatuor.ll. ſequentibus. ff. de iuſt.
& iur. quas optimè ad hoc ipſum Areti.perpẽdebat, quemadmodum ibi retulimus. Sed
ego leue hoc obiectum eſſe iudico; neque enim ſi aliqua huius diuiſionis capita ab ali-
quibus diſtincta non fuerunt, rectè iccircò concludi poterit, ea diſtinguenda non eſſe.
Satis iam docuimus ſolere diuiſiones omnes, quę in quacunque re afferuntur, finem ali-
quem ſpectare,Quare qui diuidunt differentias tantum illas diuidẽdo comprehendunt,
quæ ad propoſitum ſibi finem pertinent, cum tamen alias quoq; eidem rei differentias
ineſſe non ignorent. Veluti ſi quis ciues Romanos in patricios,& plebeios diuiſerit,ne- 10
que huic diuiſioni aliud adiecerit,non male is diuiſiſſe exiſtimandus erit; tametſi inter
ciues Romanos aliæ extabant differentiæ,cum alij ſenatores, alij equites, alii priuati eſ-
ſent. Item alij uel ex plebeis nobiles, alij ignobiles,alii ingenui, alii liberti, aut liberti
ni, tum & alii capitecenſi, alii proletarii, alii diuites. Ex quibus omnibus differentijs
uariè diuidi poterunt ciues Romani, ut uarii erunt fines, ad quos eiuſmodi diuiſiones
inſtituantur. Qua uerò ratione factum ſit, ut iuriſconſultis non fuerit neceſſe hęc duo
iura ſeparare,ex iis conſtare poteſt,quæ pleniſſimè à nobis ſuperiori capite tradita fuere.
Attamẽ inter unum,& alterũ eiuſmodi extant differentię,& quę tanti momenti effectus
parere poſſunt,ut qui perfectam iuris diuiſionem tradere uelit,duo hæc capita ſimul con
fundere nullo modo debeat. Siquidem ius illud, quod diximus naturale, ſola per ſe 11
perficit natura, cum determinatè aliquid uel præcipit,uel prohibet. Hoc uerò, quod
humanum Ariſtoteles appellat, non tàm perficit ipſa natura, quàm hominum conſen-
ſui, ac poteſtati permittit. Præterea illud ad ſolam iuſtitiam, & honeſtatem dirigitur:
In hoc uerò quamuis honeſtatis etiam ratio habeatur, tamen utilitas potiſſimum inſpi-
citur,

Digitized by Google

tur, illud denique eſt immutabile, at hoc paſſim pro ipſorum hominum arbitrio quancunque mutationem admittit. Ac ſicuti quod primo illo, & aureo ſeculo ſeruabatur poſtea mutatū fuit, ita id quod poſteà ſeruari cœpit, quoties hominum uariaretur cōſenſus, uariari ſæpe, ac mutari poſſet; qua de re fuſius dicemus, cum ad ſecundam dubitationem reſpondebimus. Plurimùm etiam confert hæc prima diſtinctio ad eos effectus, qui à noſtris iuriſconſultis conſiderantur; idq; optimè demonſtratur ex ea differentia quam notant noſtri interpretes ferè omnes in l.1.ff. de acquir.poſſ. Etenim ſi quæratur qua ratione mortales, ſicut antiquam rerum communionem tollere potuerunt; itemq; captiuis in ſeruitutem redactis priſtinam libertatem penitus adimere, non ſic etiam na-
12 turalem ſeruandæ fidei obligationem in ipſis ſeruis perimere potuerint, curq; hęc obligatio, quam in ſeruis lex ciuilis nullius effectus eſſe uoluit, in ipſis tamen uiuat ſemper, atque uigeat, ut ſentit Triphoninus in l.ſi quod dominus.ff.de condict.indeb: nullam aliam poterimus ueriorem reſponſionem afferre, quàm ut dicamus alio ex fonte profluere hanc obligationem, alioq; diuerſo, ac longè firmiore fundamento niti; Habet enim naturæ firmiſſimum fundamentum, quod nullo modo ſubuerti, aut labefactari poteſt; quod certè non poteſt de ijs affirmari, quæ nos iuri humano tàm priori, quàm poſteriori aſſignauimus, cum hominum arbitrio, & poteſtati ea penitus commiſſa ſint. Quocirca mirari non debemus, quòd uideamus ſeruos ad poſſidendum ſeruitute ipſa inhabiles reddi, nam poſſeſſio quam propriè poſſeſſionem uocamus, ab ipſis gentibus eſt inducta. Vnde quam liberis hominibus poſſidendi facultatem ipſæ gentes dederunt, eandem ſeruis denegare potuerunt. Nec enim potuit quicquàm aptius fieri, quàm ut humano conſenſu inducta poſſeſſio, eodem pariter humano conſenſu in nonnullis infirmaretur ar.l. pro ut quiſq;.ff. de ſolut.l. nihil tam naturale cum ſimil. ff. de reg. iur. Sed fidei ſeruandæ obligatio, item obſeruantia erga parentes, & id genus alia quæ à naturali ratione præcipiuntur, uſqueadeò naturalibus quaſi radicibus inhærent, ut nulla ui humana euelli prorſus, atque extirpari poſſint. Et uerè hanc ſolam rationem (ni fallor) iuriſconſulti ſpectarunt cum inter obligationem ſeruandæ fidei, & poſſeſſionem eam differentiam conſtituunt, de qua in l.ſi quod dominus.ff.de condict.indeb. iuncta l. poſſeſſio quoque.§. qui in aliena.ff. de acquir.poſſ. l.ſtipulatio iſta.§. hęc quoque.infrà eo.quę differentia pluſq̃ par fuerat fatigauit noſtros interpretes in l.1.eodem illo tit. de acquir. poſſ. Habeo inſuper authores grauiſſimos, quorum teſtimonio
13 hoc primum diſtinctionis meæ caput confirmare poſſim, atque inter alios Tullium loco ſupra citato, ubi dum enumerat quæ iuri naturæ tribuenda ſint, de communi omnium libertate, alijſq; eiuſmodi quæ ad hominum ſtatum, ſiue utilitatem pertinent, nullam mentionem facit. Multoq; etiam magis quàm Ciceronis, debet nos Ariſtotelis authoritas mouere (ſi modo hac in re authoritati aliquid damus) qui lib.5.Ethic. cap.6. à turali iure apertè diſiungit hæc iura, quæ ad utilitatem ſpectant, eaq; & humana iura & non naturalia appellat: nam poſteaquàm de iure naturali locutus eſt, ſubijcit hæc uerba. Quæ uerò iura ob utilitatem, & ex inſtituto ſunt, eá ſunt menſuris ſimillima, non enim omnibus in locis æquales ſunt uini, triticique menſuræ, ſed quo in loco hæc emuntur maiores, ubi autem uenduntur minores; ſimili ratione ea quæ non naturalia ſunt, ſed humana iura non eadem ſunt ubicunque. Quę uerba ita mihi uidentur accipienda (quemadmodum & ab Euſtratio, alijſque expoſitoribus accipiuntur) ut uoluerit Ariſtoteles ea iura, quę dicit eſſe ob utilita-

S tem

tem inuenta à naturalibus ſeparare, tùm quia cum ad ea tranſit, dictione utitur ad-
uerſatiua, tùm etiam quia paulò poſt cum menſurarum ſimilitudinem applicat, ex-
preſſim uocat non naturalia, & humana iura. Atque hic mihi ueriſſimus Ariſtotelis
ſenſus eſſe uidetur, quicquid contra comminiſcatur Franciſcus Conna. lib. 1. cap. 6. 14
ubi horum uerborum (niſi ego fallor) totam ſententiam inuertit. Veruntamen hanc
quam nos hìc conſtituimus, differentiam inter ius naturale, quod determinatè iuſta
præcipit, iniuſtaq; prohibet, & ius gentium quod circa ea, quę natura permiſſa ſunt,
utilitates moderatur ad uitam degendam neceſſarias Connanus non modò non
improbat, ſed eam ipſe quoque ibidem probat, ac maximè inculcat, ampliuſque 15
exiſtimat eam rectè deſumi ex reſponſo Pauli in l. penul. ff. de iuſt. & iur. quo in
« loco. Ius (inquit) pluribus modis dicitur; Vno modo quidem cum id quod ſem-
“ per ęquum, & bonum eſt ius dicitur, ut eſt ius naturale. Altero modo quod om-
“ nibus, aut pluribus in quaque ciuitate utile eſt, ut eſt ius ciuile. Sed non auſim
ego affirmare Paulum ſecundo illius diſtinctionis capite uoluiſſe ius gentium com-
plecti, cum illud appellet ius ciuile. Tametſi enim fateor ius ciuile interdum pro iu-
re politico accipi, hoc eſt pro eo toto quod in ciuitate aliqua ſeruatur, ut docet
Cicero lib. 3. de Natu. Deorum, tamen non mihi uidetur in ea lege Paulus hoc mo-
do ius ciuile accepiſſe, Siquidem ius Politicum non modo illud complectitur quod
gentium omnium eſt, ſed etiam ius naturale; quod enim in quaque ciuitate ius ſer- 16
uatur, ex omnibus planè præceptis conſtat, ſiue ab inſtinctu naturæ, ſiue à natu-
rali ratione, ſiue ab hominum inſtituto proficiſcantur, & tamen ibi Paulus à iure
ciuili ius naturale diſiungit. Quare ſi ius politicum includit etiam naturale, ci-
uile autem de quo loquitur Paulus excludit naturale, conſequens eſt eum, cum ius
ciuile dixit, de iure politico non intellexiſſe: Verùm, licet Paulus hac in re nobis
non ſuffragetur, ſatis tamen hoc primum diſtinctionis caput ſuperioribus ratio-
nibus, & authoritatibus fuit confirmatum. Quibus omnibus accedit poſtre-
mò, quòd ipſe quoque Iuſtinianus, uel ſi in generali totius iuris diuiſione non ex-
preſſim hæc duo iura ſeparauerit, tamen hanc ſeparationem non obſcurè no-
bis inſinuaſſe uidetur in §. ius autem. inſt. de iur. nat. gent. & ciui. cum dicit gen- 17
tes humanas ſibi iura quædam conſtituiſſe, Si quædam, ergo non omnia; quod ſi
non omnia gentes conſtituerunt, quæ ab ipſis gentibus ſeruantur, cætera unde
profecta? certè à ſola natura ſentit Iuſtinianus ea profluxiſſe. Quod cum ita ſit, ta-
citè confitetur pręter humanum, gentiumq; ius, quod gentes humanæ ſibi conſti-
tuerunt, aliud eſſe ius naturale ſolis hominibus inter ſe commune, quod à ſola
naturali ratione emanarit, ac propterea ſit ab illo planè diuerſum. Primùm hoc
fuit in hac diuiſione, quod mihi explicatione egere uiſum eſt.

## ARGVM.

AN ius naturale, nimirum illud quod ad ſolam iuſtitiam, & honeſtatem ſpectat, atque à naturæ præcepto, uel prohibitione pendet, rectè in primarium, ac ſecundarium diuidi poſſit.

Num

1 Num ſtatim ab hominibus omnia ſeruari cœperint, quæ iuris naturalis erant.

2 Præcepta naturalia quocunque modo applicentur, ipſa ſemper per ſe eadē ſunt.

3 Iuris naturalis uis omnis, & natura in præcipiendo poſita.

4 Tres differentiæ ſupra conſideratæ inter ius primæuum, & ſecundarium nullam iuris naturalis diſtinctionem inducunt.

5 Dupliciter accipi poteſt, quod dicimus à natura aliquid deriuari.

6 Quæ à iure naturali deriuantur per modū concluſionis, pars iuris naturalis ſunt.

7 Quòd ratiocinatione egeant præcepta, uel non egeant, non facit ut ad diuerſa præcepta referri debeant.

8 Poteſt ius naturale non bene applicari, nec propterea tamē ius diuersū effici.

## CAP. XXIIII.

SEcundò explicandum illud occurrit, qua ratione illud ius, quòd ſolius naturæ præcepto, uel prohibitione perficitur, & quod per antonomaſiam diximus naturale, unicum eſſe ſtatuamus, ac non in primæuum, & ſecundarium id diuidamus, quemadmodum illud diuiſimus quod ad hominum utilitates dirigitur: Diximus hoc ius naturale omnia complecti, quæ ad honeſtatem ſpectant, & ratione naturali imperantur, uel prohibentur. At certè his non minus uidetur conuenire eiuſmodi diuiſio, quàm ijs rebus conueniat, quas iuri gentium aſſignauimus. Siquidem ex his ipſis, quæ nobis ratio præcipit, uel prohibet, quædam ſunt, quæ primo illo ſeculo ſtatim ſeruari cœperunt, ut Deum colere, parentibus parere, uim ui repellere, & id
1 genus alia. Quædam uerò quæ non niſi poſteriori tempore extare potuerunt, ueluti contractus fidem ſeruare, abſtinere ab ijs rebus, quæ in alterius dominio ſint, patriæ, ac magiſtratibus parere; Ita fit, ut hîc quoque ius primæuum à ſecundario diſiungendum uideatur. Cuius tamen obiecti facilis ſolutio eſt. Nam concedendum quidem eſſet quod dictum eſt, ſi hæc ultima præcepta ab illis primis differrent; ſed cum eadem planè & hæc & illa ſint, conſequens eſt, non debere ex illis diuerſa iura conſtitui. Ac ne quis fortè miretur, quomodo eadem eſſe poſſint, ad-
2 uertendum eſt diligenter, non inficiari nos, quin quantum ad applicationem inter ſe hæc differant: Eſt enim hoc neceſſariò admittendum, cum partim ad ea applicentur, ubi nulla hominum conſtitutio interuenit, ut ſunt Deum colere, parentibus parere, & ſimilia, partim ad ea, quæ ab hominibus excogitata ſunt, ut in eo quod contractus fides ſeruanda ſit, Item in alijs poſterius relatis. Sed tamen dicimus præcepta, quæ applicantur ipſa utrobique eadem eſſe, nec propter diuerſam applicationem diuerſa effici poſſe. Neque enim uidemus quo pacto id ſuſtineri poſſit, ut cum ius naturale omnibus in rebus fidem ſeruari præcipiat, præceptum illud quod in contractibus fides ſit ſeruanda, à primo illo, & naturali præcepto diuerſum ſit, aut ad diuerſum aliquod ius referri debeat. Fit quidem (fatemur) applicatio ad contractus, qui non niſi poſteriori tempore fuerunt, tamen nihil ex ea applicatione amplius inducitur, quod præcipiendi uim obtineat, Ideoq; ex ipſo iure nihil ĩmutatur,
3 cuius tota ſubſtātia in præcipiendo poſita eſt; Alioquin cogeremur eadem ratione fateri ius quoq; ciuile cū ad Titiū, Semproniū, aliasq; ſingulares perſonas accōmodat̄, diuerſum quiddam effici, neque illud idem eſſe, quod legum ciuilium ſcriptura continetur. Quod dixi de præcepto ſeruandæ fidei, non minus clarè perſpicitur & in alijs duobus exemplis ſupra adductis; nimirum à re aliena abſtinere, item patriæ, ac magiſtratibus parere. Nam hîc nullum planè aliud ius cernimus præter illud, quod nobis maiorum

obſeruantiam præcipit, & ius ſuum cuique tribuere iubet. Ac de omnibus denique naturæ præceptis idem prorſus affirmamus, quæ ſiue ad ea referantur, quæ merè naturalia ſunt, ſiue ad ea, quæ ab hominum conſenſu,& inſtituto pendent, ſemper unum,idemq; ius conſtituunt. Atquì certè ita ſenſiſſe Gratianum noſtri interpretes inficiari non poterunt, dum is in c. ius naturale 1. diſtinct. illi iuri naturali quod ſolo inſtinctu naturæ inductum eſt, neque aliqua hominum eget conſtitutione,aſſignat rei depoſitæ, & commendatæ reſtitutionem, nam depoſitum,& commodatum, quibus ibi ſeruandæ fidei pręceptum applicatur, non naturę inſtinctui, ſed hominum inuentioni paſſim omnes tribuunt. Quare non rectè diceret Gratianus hoc ius à ſolo naturæ inſtinctu prouenire,ſi illa depoſiti, ac commodati applicatio ad hoc ius inducendum, uel ſaltem aliqua ex parte immutandum momenti aliquid haberet. Nec mouere nos debent tres illę differentiæ, quas ſupra in quinta dubitatione diximus inter ius pri- 4
mæuum, & ſecundarium afferri poſſe,Quandoquidem non rectè ex illis demonſtratur poſſe iuris naturalis quatenus diuerſè applicatur, diuerſas ſpecies conſtitui, ut ſingulis percurrendis facilè intelligemus. Ex prima ergo differentia ſic poſſet aliquis argumentari;Quod contractus fides ſeruetur, quod nemini res propria auferatur, hæc, & eiuſmodi alia in modum concluſionis deriuantur à iure naturali,ergo ius à naturali diuerſum inducere debent, Sic enim & emptiones, locationes, ſocietates, & reliqua id genus,quæ à iure naturæ deducuntur,ius ab eo diuerſum conſtituunt,ut tradit diuus Thomas in p$^{a}$.2$^{a}$.quæſt.95.ar.4. Reſpondeo ſolere id duobus modis accipi, quod dicimus 5
deriuari aliquid à iure naturæ. Primùm eo modo quo accipit diuus Thomas in loco proximè adducto, cum.ſ.aliquid ratione naturali ſuadente inſtitutum eſt,ſed tamen ex legis præcepto in modum concluſionis non deriuatur, Veluti quòd dominia diſtinguerentur;Ratione enim id naturali factum eſt, ut contentionum tolleretur occaſio, utque homines (quemadmodum inquit Ariſtoteles) in rebus proprijs curandis diligentiores eſſent. Sic & emptionum inuentio naturali ratione nõ caruit,ut per eam permutationũ difficultatibus occurreretur;quanuis neque diſtinctio dominiorum, neque emptiones, aut alij contractus à præcepto iuris naturalis deſcendant,Et hæc ipſa fateor alterius iuris, quam iuris naturalis eſſe, hoc eſt ius aliud à naturali iure diuerſum conſtituere; Idq; optimè probatur ex ijs,quæ nos ſupra docuimus. Alio modo poſſumus intelligere aliquid deriuari à iure naturali, cum illud non modò ratione naturali inſtitutum eſt,ſed à præcepto, uel prohibitione rationis naturalis deducitur in modum cuiuſdam applicationis, ita ut illud quoque ad quod applicatio fit, uel imperatum, uel prohibitum eſſe neceſſariò inferatur, Quale eſt illud, ſocietatis fidem ſeruare,cum alijs eiuſdem generis. Atq; in his rebus nullo modo cõceſſerim ius diuerſum cõſtitui, nec de his loquiť diuus Thomas. Ratio huius diuerſitatis apertiſſima eſt,quia cũ à iure naturali neceſſariò hæc profluãt,ipſius iuris naturalis pars ſunt,nec aliunde quàm à iure naturali prohibitionis, 6
aut præcepti uim aſſumunt; ſed ſuperiora illa quãuis ratione naturali inſtituta fuerint, non tamen pars iuris naturalis ſunt, nec enim ab illo iure naturali profluunt, quod uerè eſt ius naturale, quodq; nobis imperat, ac pręſcribit quid quaque in re faciendum, aut uitandum ſit. Quare quod dicit diuus Thomas à lege naturali emptiones deriuari, itemque alia quę iuris humani ſunt, in eo non prorſus propriè locutus eſſe mihi uidetur; & de prima differentia hactenus. Secunda quoque differentia, quam ſupra retulimus, uidetur primo aſpectu iuri naturali accõmodari poſſe; nam prima illa rationis

princi-

principia, nempe Deum colere, fidem ſeruare, maioribus parere, ſola natura nobis cognita ſunt, at quę ad patriam, magiſtratus, contractus, aliaque commercia accommodantur, quanuis ipſa quoque hûc ſpectent, ut ſanctè, & iuſtè uiuamus, tamen egent ratiocinatione, ac non niſi poſt aliquē mentis diſcurſum à nobis approbantur. Ad hoc ita rectè reſpōderi poteſt, ut dicamus hāc ratiocinationem atque hunc mentis diſcurſum ad præcepta ipſa in quibus ſolis ſubſtantiam iuris poſitam ineſſe diximus, nihil pertinere, Siquidem illa ſemper abſque ulla hæſitatione paſſim concedimus; tunc uerò tantùm nos hæſitare contingit, cum inquirimus quo pacto ad hanc, uel illam facti ſpeciem eadem ipſa præcepta accommodemus. Quo fit, ut ab hac animi perplexitate, quæ non ius, ſed ſolum factum, ſolamq; applicationē reſpicit, diuerſas iuris ſpecies colligere non poſſimus. Tandem à tertia, & ultima differentia ita quis forſan argumentabitur, ut dicat prima illa, quæ mentibus noſtris innata ſunt, iuſtitiæ quaſi fundamenta, iuſtiſſima ſemper eſſe, at quæ inde deriuantur præcepta, & ad contractus, aliaque hominū inuenta applicātur, à uera iuſtitiæ ſemita ſepiſſimè declinare. Quæ differentia mouit Gratianum, ut ex ijs diuerſas iuris ſpecies conſtitueret, ut ex. c. ius naturale in ultimis uerbis uidetur apertè colligi poſſe. Sed cauendum eſt eo loci Gratianum inter ius naturale, & ius gentium conſideraſſe hanc differentiam, non autem inter naturę præcepta, & quę ex ijs deriuantur, nā imò ipſe hæc omnia ſimul confundit, ac iuri naturali meritò tribuit, cum ea pariter omnia iuſtitiæ, & honeſtati ſemper conueniant. Atque hîc non inficior ego, quin ob ma-
8 litiā, uel improbitatem malè hęc à multis applicari ſoleant; at quoties fieri hoc contingit, poſſumus quidem dicere illi facto non rectè ius reſpondere, ſed non rectè propterea dicemus ius eſſe mutatum, aut diuerſum inde inductum fuiſſe. Sic uidemus hoc noſtræ ſententiæ planè nihil obſtare, quo minus concludamus unum, atque idem ius conſtitui ex his omnibus, preceptis, quæ non ad uitę commoditates pertinent, ut quæ ab hominibus inducta ſunt, ſed eò tantum ſpectant, ut iuſtè, piè, & honeſtè uiuamus. Qua in re nobiſcum apertiſſimè ſentit Ariſtoteles loco ſupra citato, ubi ea tantùm iuri legitimo tribuit, in quibus nihil refert, ita nè, uel ſecus ſeſe habeāt; cętera uerò aſſignat iuri naturali, atque illud unicū eſſe ſtatuit, ac ſubindè ibi ita loquitur, ut apertè oſtendat ſe non modò non probare hanc differentiam inter prima rationis principia, & quæ ex iis deriuantur, ſed de ea ne ſuſpicatum quidem fuiſſe.

## ARGVM.

QVę cauſæ ſint, cur prædicta diuiſio primarii, & ſecundarii ad ius gentium rectius accommodetur, nempè ad illud ius, quod communes hominum utilitates metitur.

7 1 Quoties mutantur quæ iure aliquo inducta ſunt, an diuerſum ius efficiatur, & nu. 6.

2 Ius primæuum eſt naturale ſimpliciter, ſecundarium uerò ſecundum quid, & quo pacto hoc intelligendum ſit.

3 Vt quædam ſunt, quæ non niſi ratione ægritudinis corpori natura conueniūt, ſic quædam iura ſunt, quæ hominibus
8 non conueniunt, niſi ratione malitiæ.

4 Dantur ſeruitutes, quæ uerè naturales dici poſſunt ex Ariſtotele.

5 Seruitutes captiuorum contra naturam plerumque ſunt, uel ſaltem non ſimpliciter naturales.

6 Poſſunt ea ſubſtantia differre, quorū uno ſublato alterum inducitur.

7 Quàm multis in locis apud legum authores ius primæuum à ſecundario diſtinguatur.

Vtrum

Digitized by Google

Verũ leges quę à iure gẽtium ius naturale diſtinguunt, de illo iure naturali loquã- tur, quod eſt commune omnibus ani- mantibus.

9 Libertas naturalis beſtiis non communi- catur.

## CAP. XXV.

VNum tantùm reſtat, quod à nobis, quantum ad hanc iuris diuiſionem, explica- ri oporteat, nempè qua ratione ius, quod ad hominum utilitates dirigitur, atq; ab ipſorum arbitrio pendet( ſiue ius humanum illud appellemus, ſiue iuſgen- tiũ, ſiue alio quocunque modo; nam hìc de re ipſa, ut diximus, nõ de nominibus ſumus ſoliciti, quæ uidimus ſolere hac in re multis modis uariari )qua ratione, inquam, hoc ius diuiſerimus in gentium primæuum, & ſecundarium. Neque enim ſatis illud argumenti eſt, quod homines poſteriori tempore diuerſa, imò planè contraria ſeruare cœperint, ut propterea concludamus ius poſterius à priore diuerſum eſſe. Nam & in iure ciuili mul- 1
tas cernimus abrogationes, correctiones, ac mutationes, neque iccircò tamen in uarias ſpecies illud diuidimus, ut aduertit Barth. Soci. in l. 1. ff. de acquir. poſſ. Eodem modo ſi qui heri unum uoluerit ( ut conſiderat ibidem Soci. Iun. nu. 380) hodie aliud uelit, atque ut ait Horat. Quod petijt ſpernat, repetat, quod nuper omiſit, non propterea à ſe ipſo differre exiſtimari debebit, ſed quantumuis mutata uoluntate idem ſemper Titius erit. Hoc ultimum exemplum à propoſito noſtro prorſus alienum eſt, quia cum Titij ſubſtã- tia ab illo, uel illo actu ſuæ uoluntatis diuerſa ſit, neceſſe eſt manere eundem Titium, quã- uis uoluntatis actus uarietur; at ſubſtantia iuris perficitur iis præceptis, quæ ius illud con ſtituunt, quare non eodem modo hìc negari poteſt, quin mutatis præceptis ius quoque ipſum mutari potuerit. Congruit ergo magis primum exemplum, quod de iure ciuili 2
Socinus Patruus afferebat. Quo ſanè uidemur urgeri, ut ſicut fatemur ius ciuile, quantũ uis mutatis legibus, unicum manere, neque in plures ſpecies diuidi, ita etiam de iure gen tium idem concedamus; eoque maxime quia plures ſpecies ſimul eodem tempore exta re poſſunt. At nõ conſiſtunt ſimul ius gentium prius, atque poſterius; ſiquidem poſterio re introducto, neceſſe eſt illud prius, quod planè cõtrarium erat, ab hominum uſu, & mo ribus illicò recedere. Veruntamen, quicquid alij ſenſerint, nos ut hæc duo iura omninò crederemus eſſe diſtinguenda, non tantum Gratiani, & aliorum iuriſconſultorum autho ritate adducti ſumus, qui aperte ſentiunt ea inter ſe diuerſa eſſe, ut poſteà oſtendemus, ſed differentia quoque illa ſanè maxime inſigni, quam inter unum, & alterum ius extare animaduertimus, Ex qua etiam fit, ut paſſim legum authores, dum iusgentium prius à po ſteriore diſiungunt, naturale illud, hoc uerò magis præcipuo uocabulo ius gentium ap- 3
pellare soleant. Ea uerò eſt, quia quę primo illo, & aureo ſeculo erat una omnium li- bertas, rerumque communio, & ſi quæ alia eius temporis propria tum ſeruabantur, na turæ hominum ſimpliciter, & per ſe conueniebant. At bella, ſeruitutes, & alia, quæ poſt auctam hominum malitiam introducta fuerunt, non per ſe, ac ſimpliciter, ſed tan- tum ſecundum quid(ut ita dicam)humanę naturę congruunt, atque illi ſemper uitii ali- quid ineſſe declarant, cui remedio ipſa ſint. Nam nec ſine bellis communi ſaluti, ac ſecu- ritati ſatis conſultum fuiſſet, nec ſine dominorumdiſtinctione hominum induſtria ad res ſtrenuè gerendas excitari potuiſſet. Quapropter quæ ad ius gentium prius attinẽt ue re, & proprie naturalia ſunt, quæ uerò ad poſterius, non niſi ſecundum quid naturalia dici

Digitized by Google

dici poſſunt. Quam diſtinctionem ſolemus etiam in iis rebus adhibere, quę ad corpus re
3 feruntur. Nam quædã ſunt quę conueniunt corpori rectè ualenti, ut cibus, potus, quies nocturna, diurna exercitatio, & hæc ipſi corpori per ſe naturalia ſunt. Alia uero non niſi corpori morbo aliquo laborãti conueniunt, ut inedia, uigilia, pharmacum, Atq; hæc quidem omnia uel ſi corpus aliqua ex parte lædãt, tamẽ ratione ægritudinis multo magis illi proſunt, ac propterea ipſi corpori non ſimpliciter quidẽ naturalia, ſed tamẽ aliquo modo naturalia dicuntur. Perſimilem ergò rationẽ eſſe comperiemus horum quoq; iuriũ quas præ manibus habemus, cum inquiremus an ne hominũ ingenijs, ac moribus naturaliter congruant. Nam ſi ſani undequaq; eſſent hominũ mores, ijs certè nõ magis cõuenirent bella, & ſeruitutes q̃ ſano corpori pharmacũ, inedia, diurnus ſomnus, aut nocturna uigilia. Bella enim aduerſantur potius, q̃ conueniãt naturæ, quæ non ultra, quàm iuſtæ uindictę impetus ferat, ſæuire permittit. At in bellis ſæpe contra innoxios ſęuitur, & cur id liceat, ſatis cauſæ eſſe exiſtimatur, quod ciues ſint illius ciuitatis, contra quam bellum ſuſceptum fuit. Nec minus etiã ſeruitus naturæ aduerſatur, nihil enim naturali iuri tàm contra
4 rium eſt, quàm uiolentia, ac per uiolentiam ſeruitus inducitur; ſed facit hominum nequitia, atq; hæc quaſi totius humanis generis ægritudo, vt quę alioquin contra naturã uideri potuiſſent, natura ipſa permittat, nec permittat modò, ſed ſpontè etiã nobis tanquã illius ægritudinis remedia ſuggerat. Quare bella ratione naturali ſuadẽte introducta ſunt ſine quibus regum, ac populorũ in nos temere irruentium effrenatam libidinem cõpeſcere non potuiſſemus. Ac ſubinde ſeruitutem nõ tantũ immanitatis habere, nobis ratio perſuaſit, quin & ipſa in hominũ mores, & conſuetudinem induci debuerit. Imò uero ſeruare illos, quos licebat necare humanitatis potius, & clementiæ habitum fuit, licet ſeruati imperio noſtro ſubijcerentur, & hæc cauſa eſt, cur ſeruitus tùm naturalis, tùm etiam contra naturam dici poſſit (quorum utrunq; legibus uſurpari ſupra demonſtrauimus) Quanquã intelligimus eam non ſimpliciter, ſed tantũ ſecundum quid naturalem eſſe. Non me
5 latet ſeruitutẽ dari poſſe, quę uerè, ac ſimpliciter naturalis meritò dicẽda ſit, de qua loquitur Ariſtoteles lib. I. Polit. Aduertit ipſe eo in loco inter illa omnia q̃ creata ſunt alia ad imperandum, alia uerò ad parendum natura ipſa fuiſſe inſtructa, cum uideamus in omnibus fermè ſpeciebus maſculo fœminam parere, itemque cætera planè omnia animantia hominibus eſſe ſubiecta, ac uariis eorũ uſibus deſtinata. Quare eodẽ modo docet ibi Ariſtoteles ex hominibus alios liberos, alioſque ſeruos eſſe, propterea quòd eos, qui per ſe ad uitam ciuilem minus ſint idonei, alijs præſtantioribus hominibus ſeruire, nõ modò iuſtius ſit, ſed & illis ipſis qui ſeruiunt commodius. At nos in præſentia de eiuſmodi ſeruitute non loquimur, ſed de uiolenta illa, quam ibi Ariſtoteles quoque fatetur contra naturã eſſe poſſe, cum poſſit ſæpiſſimè contingere, ut indigniori dignior, ac præſtantior ſubijciatur. Quo fit, ut uel ſi ob eam, quã diximus rationem hæc quoque coacta, & uiolẽta ſeruitus aliquo modo naturalis ſit, non tamen ſimpliciter naturalis dici poſſit. At quæ primo ſeculo ſeruabantur planè omnia uerè, & propriè naturalia erant, maximeque naturali hominum ſtatui conueniebãt. Eſt certè eiuſmodi hęc differentia quam inter ius gentiũ prius, atque poſterius extare iam demonſtrauimus, ut prorſus ex ea concludere poſſimus non unicum, ſed duplex ius gẽtium eſſe, cùm præſertim uideamus ex multò tenuioribus differentijs diuerſas ſpecies ſolere conſtitui. l. I. ff. de prætor. ſtip. Nec nos moueat quod
6 antea dicebatur iuregentium poſteriore prius ſublatum eſſe, nam cum, gratia exempli, ex ligno terra, uel quippiam aliud generatur, poſteriore forma inducta, prior ſtatim perimitur,

Digitized by Google

mitur, & nemo tamen ob id affirmauerit terrã,& lignum ſpecie ſimul conuenire. Quod ſi hac in re non tàm rationes,quàm authoritates quæramus,reperiemus apud legum autores hæc duo iura,nimirum prius, & poſterius paſſim diſtingui ſolere, atque illud naturale ob eam,quam diximus rationem,hoc uerò magis peculiari nomine ius gentium ap- 7
pellari.Quin fecerit hoc Gratianus, nemo dubitare poteſt, is enim cõmunem rerũ poſſeſſionem, & unam omnium libertatem iuri naturali tribuit, ac ſola ea quæ poſteriori tempore introducta fuere, bella, ſeruitutes, & alia iuriſgentium eſſe ſtatuit. d. c. ius naturale iuncto.c. iusgentium 1.diſtinct. At uidentur mihi etiam ante Gratianum antiqui iuriſconſulti hoc apertè ſenſiſſe. Voluit enim proculdubio Triphoninus in d. l.ſi quod dominus. ff. de condict. indeb. hoc ipſum nos docere, cum dixit libertatem naturali iure con-
» tineri, dominationem uerò ex iure gentium introductam eſſe. Voluit hoc idem Vlp. in
» l. Manumiſſiones.ff. de inſt. & iur. Vtpotè(inquit) cum iure naturali omnes homines
» liberi naſcerẽtur, & paulò poſt. Sed poſtq̃ iure gentium ſeruitus inuaſit,ſequutum eſt beneficium manumiſſionis,& quæ ſequuntur. His legibus(iudicio meo) nullo modo reſpõ- 8
deri poteſt, neq; enim poſſumus dicere Triphoninum,& Vlp. cum de eo iure loquuntur, quo una omnium libertas erat, de naturali iure intellexiſſe,quod conuenit omnibus animantibus. Quæ res ab ipſorum ſenſu alieniſſima eſt,ut rectè aduertit Franciſcus Conna.lib. 1. cap. 5. ſiquidem nullum ius nullaque ratio dictat cæteras animantes liberas eſſe debere. Neq; enim libertas beſtijs communicatur,cum imò illæ ſoli hominum utilitati, & 9
ſeruitio natę eſſe uideantur.Loquuntur ergo de iure primęuo, nimirum illo,quod primo illo ſeculo cuncti mortales ſeruabant, & illud appellant ius naturale ob eam quam ſupra adduximus,rationẽ, diſtinguuntq; à iure gentium quod poſtea ſeruari cœptum eſt. Qua ex re optimè etiam colligitur non eſſe neceſſarium illud argumentum, ut quia alicubi iuriſconſulti iura aliqua nõ diſtinguant, exiſtiment propterea nullo modo poſſe illa diſtingui. Nam Vlp. in generali iuris diuiſione, quam tradit in l. 1.ff.de iuſt. & iur. duo hæc iura ſimul commiſcet, prius ſcilicet ius gentium,& poſterius,& tamen idem ipſe in hac.l manumiſſiones. unum ab altero apertiſſimè disiungit.

## ARGVM.

POſſe ex his omnibus,quæ hucuſque tradita ſunt,nonnullas elici concluſiones,quibus earum,quæ circa iuris diuiſionem propoſitę initio fuerunt,difficultatum explicationes continẽtur. Ac pleniſſimè inter cætera explicatur, quo modo unumquodque ius uel mutabile,uel immutabile dici poſſit.

1 Quodnam ius uel naturale, uel gentium unicum,aut duplex exiſtimandum ſit.
2 Quatenus unumquodque ius mutabile, uel immutabile dici debeat.
3 Concedit Ariſtoteles nonnulla eſſe iura, quæ nullo modo mutari,at ne uſu quidem deprauari queant.
4 Videtur interdum ius naturale mutari,cũ tamen facti non iuris ea mutatio ſit.
5 Quando licitè poſſimus fidem datam non ſeruare.
6 Non iiſdem rebus ubique pietas læditur.
5 Varii populorũ uſus quanti momenti ſint. & nu.9.
8 Alio ſenſu Cõnanus accipit uerba Ariſtotelis, atque ipſe loquatur.
9 Principum mutationes ad mutandos populorum mores qnantum ualeant.
10 Quare Ariſtoteles dixerit abſolutè ius naturale eſſe immutabile, nec deprauatæ conſuetudinis rationẽ ullam habuerit.
11 Ius gentium quod hominum utilitates inſtituit, ſalua iuſtitia liberè mutari poteſt.

Quæ

12 Quæ ad hominum utilitatem diſpoſita ſunt, menſuris rectè comparat Ariſtoteles.

13 Communium utilitatum ratio non patitur, ut ius gentium mutari poſsit.

14 Non ideò ius dicitur natura ſua mutabile, quòd facto ipſo, hoc eſt hominum uſu, uel conſtitutionibus mutetur.

15 Diſtinctio dominiorum quam cauſam habuerit.

16 Quæ Platonis mens fuerit in ſua Rep.

17 Aut philoſophos, aut diuino cultui addictos eſſe oportet, qui diù in communione permanſuri ſint.

18 Quomodo accipiendum ſit, quod ſentit Iuſtin. ſeruitutem tolli non poſſe, cum ea tamen Chriſtianorum moribus ſublata ſit.

19 Emptionum, ac nummorum utilitas inuariabilis.

20 Quæ ſunt iuris gentium, nũquàm hoc nomine corrigi poſſunt, quòd iniuſta ſint, ut quæ ſunt iuris ciuilis.

21 Circa legitimas ſucceſſiones quantoperè à legibus Romanis uariatum ſit.

## CAP. XXVI.

DE iuris ſpeciebus, ac differentijs ita hucuſque egimus, ut ex ijs, quæ diximus, illarum dubitationum omnium, quas ſupra excitauimus, facilè per ſe unuſquiſque ſolutiones colligere poſſit. Veruntamen ut ſummam eorum omnium, quæ dicta fuerunt, ac breuem quaſi epilogum habeamus, operæpretium facturi uidemur, ſi in ſingulis dubitationibus nonnullas ſtatuamus concluſiones, quibus illarum ipſarum ſolutiones contineantur; Quas concluſiones nouis rationibus probare non erit neceſſe, cum illę ferè omnes in totius tractationis progreſſu ſatis, ſuperq; fuerint demonſtratæ. Et quoniam ultima dubitatio propius ea attingit, quę proximè tradita fuere, ac quorum memoriam recentiorem habemus, ſatius erit ab illa exordiri, ac deinde ad reliquas conuerſo ordine progredi. Videtur ergò mihi ultimæ dubitationis explicatio his quinque concluſionibus contineri, ex quibus colligetur, quænam iuris ſpecies ſint, & quo pacto totum ipſum ius diuidi debeat. Prima eſt ius naturale, quo naturalis rationis principia continentur, ueluti fidem ſeruare, & id genus alia, differre ab illo iure primæuo, quod pro ipſorum hominum arbitrio mutari poterat; Ad quod diximus referendam eſſe cõmunem rerum poſſeſſionem, unam omnium libertatem, acquiſitionem eorum, quæ cœlo, terra, mariq; naſcuntur. Quocirca uidentur mihi errare Bart. & frequentius alij interpretes, qui hæc duo iura planè confundunt. Secunda eſt, hoc ipſum, quod proximè diximus, ius naturale non duplex, ſed unicum eſſe; Atque hinc falli eos arbitramur, qui præceptum illud, patriæ parere, non eidem iuri, cui & ſeruandæ fidei obligationem, ſed alij diuerſo iuri, nempè ſecundario tribuendum exiſtimant, ut communiori calculo noſtros ſenſiſſe aduertit Mari. Soc. in l.1.nu.389.ff. de acquir. poſſ. Tertia eſt ius humanum, ſeu ius gentium primæuum ab eo iure differre, quod ſibi gentes poſtea conſtituerunt. Ideoq; totum illud, quicquid iuris eſt, quod ad cõmunem omnium gentium commoditates ſpectat, & ab hominum pendet arbitrio, in primarium, & ſecundarium rectè diuidi. Quarta eſt, bella contractus, & id genus alia, quæ iuri gentium tribuuntur, non eodem modo ipſum ius gentium conſtituere, quemadmodum naturalis rationis principia, quibus aliquid imperatur, uel prohibetur, ius naturale conſtituunt, atque perficiunt. Quinta, & ultima eſt, poſſe in uno, eodemq; præcepto, utputà in eo quòd fidem de transferendo dominio datam ſeruare teneamur, duplicis iuris uim, naturalis ſcilicet, & gentiũ, quanuis diuerſa ratione, reperiri. Quæ duo iura, uel ſi ſubiecto interdũ conueniãt, ſubſtãtia tñ ipſa (ut diximus) planè ſemp inter ſe differũt. His

quinque concluſionibus addamus ſextam, & ultimam. Poſſe plures tradi diuiſiones iuris, quæ diuerſæ inter ſe ſint, & tamen omnes ſint rectè traditæ, neque inter ſe contrarię dici poſſint. Vnde plenè oſtendimus traditas ab alijs diuiſiones Iuſtiniani ſententiæ nulla ex parte aduerſari. Huic proxima erat illa dubitatio, quomodo Iuſtinianus in §. penult. Inſt. de iure nat. gent. & ciuil. affirmare potuerit, præter iura ciuilia, alia omnia iura quibus gentes utuntur, immutabilia eſſe. Cum ex iure gentium, imò etiam ex iure naturali nonnulla uideantur mutari poſſe, ut multis exemplis ſupra demonſtrauimus. Quatuor hîc ſtatuo concluſiones, ex quibus huius difficultatis explicatio deſumetur. Prima eſt, ius naturale, quod naturalis ratio inter omnes homines introduxit, ſi ꝑ ſe illud ſpectes, ſolamque ipſius naturam conſideres, haudquaꝗ mutabile eſſe. Secunda eſt hoc idem ius naturale, vel ſi minus per ſe mutabile ſit, ac ſola ipſius natura inſpecta, uiolenter tamen interdum populorum uſu, aliqua ex parte, quodammodo mutari. Tertia eſt, ius gentium, quod ſibi gentes conſtituerunt, poſſe dici mutabile, ſi in eo ſolius honeſtatis, & iuſtitię ratio habeatur, hoc eſt ſalua iuſtitiæ, & honeſtatis ratione mutari poſſe, ut clarius adhuc infra aperiemus. Quarta & ultima eſt, illud idem ius gentiũ habita utilitatis ratione non eam recipere mutationẽ, quin ſi iuri ciuili comparetur, uerè immutabile dici poſſit. Et quamuis hæ quoque cõcluſiones omnes, quas ad ſecundæ dubitationis explicationem attulimus, ex ijs colligantur quæ à nobis ſuperius tradita ſunt, ita ut pleniori non uideantur egere explicatione, tamen, ut omnes omnino ſcrupulos euellamus, ſi qui forte reliqui ſunt, ſingulas breuiter adhuc perſequemur. Quod primò diximus, ius naturale per ſe immutabile eſſe, non tantùm docemur à *Iuſtiniano* in d. §. penult. inſt. de iu. nat. gent. & ciui. ſed conuenit etiam ſententiæ Ariſtotelis, qui ius naturale illud eſſe definit, quod uim ubique obtinet eandem, non ſecus atque ignis, qui & hîc, & apud Perſas æquè urit. Et licet fateri poſtea uideatur, ius naturale mutari poſſe, non tamen id fatetur ſola ipſius iuris natura inſpecta, ſed tãtum ratione uſus, ut plenius ſequenti concluſione dicemus. At ne ratione quidem uſus omnibus in rebus mutationem concedit, quæ iuri naturali continentur, ſed uidetur admitte- 3
re quędam eſſe, quæ nullo planè modo mutari queant. Quod ipſum ſanè & rationi, & experientiæ maximè conſentaneum eſt. Quis enim tàm audax, aut improbus legiſlator unquam fuit, qui ſtatuere auſus fuerit, fidem non eſſe ſeruandam, uel parentibus honorem eſſe nullum exibendum? Qua in re cauendum eſt ne illud nos decipiat, ut quia mutationem in ijs aliquam cernamus, propterea naturæ præcepta mutabilia eſſe exiſtimemus; facti enim non iuris mutatio illa eſt. Ac tametſi ius quoque eadem mutatio uide- 4
tur attingere, hoc tamen non ea ratione contingit, quia ius naturæ mutabilę ſit, ſed quia non idem ſemper in qualibet facti ſpecie natura præcipit. Vnde meritò Alphenus in 5
facto ius poſitũ eſſe dixit in l. ſi ex plagis. §. in cliuo Capitolino. ff. ad l. Aquil. Iubet natura fidem ſeruari, ſed non cum illi promiſimus, qui malè poſtea de repub. meritus eſt, ut ſentit Triphoninus in l. bona fides. ff. depoſiti. Item nec quoties promiſſa illis ipſis inutilia futura ſunt, quibus promiſimus, quale illud eſt quod de Neptuno uetuſtas fabulata eſt, qui ſi Theſeo promiſſam fidem in eo ſeruare recuſaſſet, quod is de Hyppoliti filii interitu optauit, non tantos in luctus infœlix Theſeus incidiſſet, ut & Cicero lib. I. offic. animaduertit. Iubet natura ius ſuum cuique tribui, quod ipſum tamen nõ prorſus atq; abſolutè facit, neque enim hoc tunc iubet, cum unius petitio alterius iuſtiore petitione diſtrahitur, ut liquidò apparet ex d. l. bona fides, in ſecundo reſponſ.

ſponſ. Iubet natura parentibus honorem exhiberi, ac uel minimis in rebus pietatem lædi prohibet, Verùm ea quibus uel honos continetur, uel pietas læditur, uariè
6 apud uarios populos accipi poſſunt. Læſit pietatem Myrrha, cum proprio parenti uenereo complexu ſe copulauit; quod non æquè affirmari poſſet, ſi qua mulier apud Medos, Perſas, aut Parthos idem feciſſet, apud quos id maximè ſolẽne, & iuſtum connubium habebatur, quod cum maximè coniunctis, ſororibus, parentibus, & alijs conſanguineis eſſet contractum. Ita fit, ut mutari quidem, ac cum tempore, & perſonis uariari ea poſſint, ad quę naturæ præcepta applicantur, ſed præcepta ipſa, naturaliaque iura, (ut rectè ait Iuſtinianus in d. §. penult.) firma ſemper, atque immutabilia permaneant. Diximus præterea in ſecunda concluſione, idem hoc ius naturale (nam hìc quoque de eo loquimur, quod non in hominum utilitatibus poſitum eſt, ſed ad iuſtitiam, & honeſtatem ſpectat.) hoc (inquam) ius naturale, quanuis per ſe immutabile ſit, tamen uſu hominum ita interdum deprauari ſolere, ut quodammodo mutari uideatur. Huius concluſionis ratio ea eſt, quoniam uſus, ſicut multis alijs in
7 rebus naturam uincit, ita in hoc quoque ipſi naturæ quaſi uiolentas manus infert, eaq; propemodum oppreſſa ſolus uiget, ac dominatur. Potuit uſus apud Lacedęmonas furtum, quod per ſe turpiſſimum eſt, quodammodo honeſtate, ita ut qui apud ipſos à furto rerum mobilium abſtinuiſſet (in his enim tantùm rebus furtum permiſſum erat) nihilo propterea probior, & honeſtior, at multò quidem ſegnior, & ignauior haberetur. Nec minus inſigne eſt, quod de Medis, Perſis, & Parthis proximè diximus, apud quos potuit uſus id efficere, ut qui uel honeſtiſſimi eſſent, honeſtè ſe matrum concubitu uti poſſe arbitrarentur; Clariuſq; etiam hoc idem confirmat ibidem Ariſtoteles, cum ait apud ſolos Deos iura immutabilia eſſe, apud nos uerò quædam etiã eorum, quæ natura inſita ſunt mutari poſſe, Idque eo exemplo demonſtrat, quod & ſupra retulimus, quia cum ſiniſtrę dextra præualeat natura, tamen fieri poteſt, ut omnes utraque manu æque idoneè utantur. Diſſentit tamen à
8 nobis hac in re Franciſcus Connanus, qui alium ibi fuiſſe Ariſtotelis ſenſum interpretatur, nempè ut cum naturalia iura mutari poſſe concedit, de ijs loquatur, quæ naturali iudicio ad humanæ uitæ utilitatem hominum adinuenit conſenſus, ut ſunt bella, ſocietates, locationes, & alia eiuſdem generis, at non idem de ijs ſentiat, quæ iuſtorum, & iniuſtorum diſtinctionem habent, & quæ ſola nos in præſentia iuris naturalis appellatione complectimur: hæc enim Ariſtotelem immutabilia exiſtimaſſe affirmat. Sed non puto ego dubitandum eſſe, quin hac in re Connanus à uero Ariſtotelis ſenſu aberrauerit, ſiquidem ea quæ ad utilitatem ſpectant, & ab hominum arbitrio pendent, diſiungit Ariſtoteles ab ijs, quæ naturalia iuſta ſunt (ut apertiſſimis argumentis ſupra oſtendimus) Quare cum dicat ea, quæ natura iuſta ſunt, mutari poſſe, non poteſt uideri de ijs intellexiſſe, quæ eò ſpectant, ut commodè, & idoneè uiuamus. Itaque uerè ſenſit naturalia quoque iura uſu mutari poſſe, tantò magis quia ſolius uſus uim, & poteſtatem in hac mutatione conſiderauit, qui uſus interdum naturam propè uincit, ut rectè oſtendit exemplum illud de ſiniſtra, quæ non poteſt æquè fortis, ac dextra fieri, niſi uſus aliquis accedat, Vt puta ſi ſemper ſiniſtra iaculari annitamur, ut idem oſtendit lib. 1. magnorum moralium cap. 34. ubi eadem prorſus tradit, quę habentur lib. 5. Ethic. cap. 7. ſed tàm apertè loquitur, ut qui hunc quoque locum uiderit, de ipſius ſententia dubi-

tare non poſſit. Nam poſteaquàm hoc idem de ſiniſtra manu exemplum tradidit, illud ipſum applicat in hęc uerba. Idem (inquit) in natura iuſtis, ſi uſu mutentur. Ecce de natura iuſtis loquitur, non de ijs, quæ utilitatis gratia ab hominibus inſtituta ſunt, & ea dicit uſu mutari poſſe. Nec ſanè mirari debemus, tantùm poſſe hominum uſum, & conſuetudinem, cum hoc experientia quotidie nos doceat, ac præſertim principum, & regum mutationes optimè oſtendant. Nam cum ita comparatum ſit (quemadmodum rectè dicebat Plato) ut quales ſunt principes in Rep. tales utplurimum ciues exiſtant, uidemus ſæpenumerò mutatis regibus unà etiam ſubditorum uſus, & conſuetudines mutari, dum pro ſe quiſque ad noui Regis mores ſtudet ſe conformare, Facere uerò hanc mutationem, ut quæ uno imperante ut turpia uitabantur, alio mox ſuccedente glorioſa, ac quaſi palmaria haberi incipiant. Atquì certè non defuerunt Romani Imperatores, qui imperiali authoritate freti, non modò uiuendi uſum, ſed cum uſu ſimul totam honeſtatis rationem inuertere, ac laudabilem inuerecundiam (ut Caligula ſæpè appellabat) decoraque flagitia facere quodammodo attentauerint: Hoc ſpectaſſe Commodum Antoninum credibile eſt, cum prodendæ poſteris memoriæ cauſa, in acta publica referri iuſſit quæcunque turpiter, ac flagitioſè geſſiſſet; Sperauit enim forſan ita forè, ut quæ maximum Imperatorem olim probaſſe palam eſſet, ab alijs in poſterum minus grauatè reciperentur, & cum hac ratione in hominum mores, ac conſuetudinem eſſent inducta, minus iam inhoneſta haberi inciperent, minuſq; propterea eius ipſius memoriam apud poſteros dedecorarent. Quapropter cum Ariſtotele concludamus naturalia iura quanuis per ſe immutabilia ſint, tamen ab uſu, & conſuetudine eam quodammodo uim pati, qua ſi minus euelli, atque extirpari prorſus, at certè uariari ſæpè, atque in hanc, uel illam partem deflecti poſſe uideantur. At non iccircò certè Iuſtinianum reprehendere debemus, qui iura naturalia immutabilia eſſe abſolutè affirmauerit, cum enim non niſi ex prauo uſu, 5
corruptaque hominum conſuetudine eiuſmodi mutatio contingat, iuſtiſſimo Imperatori, & qui iuſtiſſimas leges uniuerſo propemodum terrarum orbi ſe tradere profiteretur, hunc paruum uſum, atque hanc morum corruptelam conſiderare minimè neceſſe fuit. Diximus in tertia concluſione ius gentium, nimirum illud quod ſibi 6
gentes conſtituerunt (nam hoc modo ius gentium in præſentia ſumimus) habita ſolius iuſtitiæ, & honeſtatis ratione mutari poſſe. Probatur hæc concluſio omnibus argumentis adductis à nobis ſupra in hac quarta dubitatione, quæ nullo modo dilui, aut labefactari poſſunt. Verſatur hoc ius (quemadmodum ſæpè diximus) in utilitate, atque eo ipſo aptiores efficimur ad participandum alium cum alio, & communicandum inter nos. Quare hominum arbitrio, ac poteſtati totum illud natura permiſit; quo fit, ut ſalua iuſtitia uariari paſſim, ac mutari ualeat, Neque enim, quia apud nos diſtincta ſint dominia, iccircò iuſtiores habendi ſumus, quàm ij eſſent, quibus (ut teſtis eſt Diodorus) omnia in Repub. communia erant, ut nec minus iuſti erant antiqui, qui permutationibus tantùm utebantur, quàm mox poſteriores fuerint, qui nummorum uſum inuenerunt. Vtilitatis quidem plurimum hæc quæ poſtea inuenta ſunt, ſed iuſtitiæ certè, atque honeſtatis nihilo plus attulerunt; ſicuti neque ex iuſtitia ipſa quicquam detraherent, ſi rurſus ab uſu tollerentur. Quocirca uerè dicere poſſumus quantum ad iuſtitiam, & honeſtatem nihil referre, itáne, uel ſecus ſeſe habeant. Hac de cauſa etiam Ariſtoteles hæc omnia, quæ

Digitized by Google

7 quæ ad utilitatem comparata ſunt, & quæ ab hominum inſtituto pendent, dicit eſſe ſimilia menſuris, quæ uarijs in locis uariæ ſunt, Quod ipſum rectè Euſtratius, alijque interpretes generatim accipiunt, ut non magis de iis loqui uoluerit Ariſtoteles, quæ in ſingulis ciuitatibus ſeruantur, quàm de ijs, quę ab omnibus recepta fuerunt, & quæ à nobis iuris gentiũ eſſe dicuntur. Nã hæc quoque metiuntur homines, & quatenus publico ſtatui uident conducere, amplectuntur. Vnde uidemus rerum communionem, tùm & uxorum, filiorũq; reieciſſe quidem fermè omnes, ſed nõnullos tamen retinuiſſe, fuiſſeq; etiam qui partim illam reiecerint, partim retinuerint, prout ſibi magis expedire arbitrati ſunt; Sicut populi illi, quos refert Ariſtoteles lib. 2. Polit. cap. 2. cõmunes tantùm habuiſſe uxores, ſed filios ex formæ ſimilitudine inter ſe diuiſiſſe. At ne quis propterea reprehendendum eſſe Iuſtinianum exiſtimet, qui dixit præter iura ciuilia alia omnia iura eſſe immutabilia, qua ratione is defendi poſſit, nos ſtatim in proxima concluſione oſtendemus.

8 Diximus ergo in quarta concluſione, idem hoc ius gẽtium, utilitate inſpecta, mutari non poſſe; cuius rei cauſa illa eſt, quia quanuis mutationi iuſtitia conſentiat, tamen utilitatis ratio aduerſatur, & ob id rectè Iuſtinianus abſolutè, ac ſimpliciter dixit illud immutabile eſſe, Nam ut uerè hoc affirmari poſſit, ſatis eſt illud mutari non poſſe, nec quicquàm refert, hæc ne potius quàm illa cauſa ſit, quæ mutationem impediat. At uidentur adhuc Iuſtiniano aduerſari illa exempla, quibus dilucidè ſupra demonſtrauimus, ea quæ iuris gentium ſunt, uerè à quibuſdam fuiſſe mutata, ex quo probè

9 intelligitur, ea in poſterum quoque mutationi obnoxia eſſe. Ego ante omnia cauendum hìc puto, non ſolum hac in re factum inſpici debere, quandoquidem ſi illud tantùm ſpectauerimus, cogemur fateri etiam iure naturali quæ ad iuſtitiam nos inſtruunt, atque honeſtatem, poſſe mutari; Quod tamen nemo concedit, nam quia huic mutationi naturale iuſtum aduerſatur, ideò dicimus ea per ſe, & [illegible] immutabilia eſſe. Ita ergo potius dicamus, hæc quoque iura, quæ [illegible] gentium [illegible]tuta ſunt, quantumuis mutentur, tamen ipſa per ſe, ſolaq; eorum natura inſpecta immutabilia eſſe, ea ſcilicet de cauſa, quia ſemper natura, qua cõmunes utilitates continentur, huic mutationi reclamabit. At durum eſt (inquies) utilitatis rationem huic mutationi ſemper reclamare, nam cum palam ſit, eiuſmodi mutationem apud aliquos fuiſſe factam, credibile non eſt, ullos unq̃ populos ſuæ utilitati aduerſatos fuiſſe, ac quæ ſibi utilia non eſſent, ſpontè ſeruaſſe. Ad hoc reſpondeo toties mutationi utilitatem aduerſari, quoties das extare, ac uigere adhuc cauſam illam, propter quam hæc quæ mutantur iura aliquando utilia exiſtimata ſunt, ac tanquam utilia in omnium gentium conſuetudinem in-

10 troducta. Cauſa ea fuit hominum malitia, ob quam de rebus cõmunibus diſcordiæ permultæ oriebantur. Itaque cum hanc malitiam ponis, illud quoque concedas neceſſe eſt, & dominiorum diſtinctionem, & alia omnia, quæ, ut huic malitiæ occurreretur, ab hominibus inuenta ſunt iura prorſus utilia eſſe, ac ſalua utilitatis ratione mutari non poſſe. Hanc malitiam poſuiſſe, ſpectaſſeq; Iuſtinianum non negabimus, cum is alioquin inanem condendarum legum curam ſuſcepiſſet, quæ nos à ſceleſtorum hominum iniurijs defenderent. Quod cum ita ſe habeat, neque illud negare poterimus quin rectè idem Iuſtin. ea omnia, quibus gentes utuntur, (licet ad ſolam utilitatem pertineant) immutabilia eſſe affirmauerit. Plurimùm ſanè ipſi in hoc ſuffragatur id quod tradit Ariſtoteles lib. 2. Polit. cap. 2. dum eam Platonis de communione ſententiam refellit, hominum naturæ, atq; ingenijs communionem uſqueadeò ad-

uerſari

uerſari dicit, vt uel ſi maximè in mores ciuitatis poſſet induci, non diù tamen ullo in loco poſſet cõſeruari. Sed nec Plato uidetur mihi ab hoc diſſentire; ſiquidẽ expreſſim ipſe 11
dicit non eam ſe nobis Remp. deſcripſiſſe, quę ullibi reperiri queat, ſed quã ipſe omniũ optimã animo, & cogitatione aſſequi potuerit. Quæ cũ ita ſe habeant, parũ nos mouere debent exempla ſuperius adducta, nam quod in cœnobijs uictus cõmunionem (ut uox ipſa indicat) rerumq; omn[illegible], quæ ad uitę uſum neceſſaria ſunt, cõſociationem eſſe uideamus, eamq; optimè cõſeruari, hoc ideò fieri puto, quoniã in ijs hominibus, qui ſe diuino cultui penitus addixerunt, longè minus uiget illa ratio, ob quam diximus dominiorũ diſtinctionem humano generi utiliſſimam fuiſſe iudicatã. Optimis enim diſciplinis ſanctiſſimiſque moribus ita illi uitam inſtituunt, ut animi affectiones, ac cupiditates omnes in ſe 12
ipſis q̃maximè coerceant. Quod ſi qui ſunt, qui id minus faciant, minimè dubito, quin ijs omnibus, quot quot ſunt, hoc genus uitæ maximum ſupplicium uideatur. De uarijs illis philoſophorum ſectis idem affirmandum eſt, nimirum Gymnoſophiſtis, Eſſæis, Brachamanis, Pythagoricis, apud quos eandem hanc uitæ, rerumque omnium conſociationem fuiſſe traditũ eſt. Diodorus quoque cum inſulam illam in Oceano meridiem uerſus deſcribit, in qua omnia erant communia, addit eos homines qui ibi degebant philoſophiæ admodum ſtudioſos fuiſſe. Itaque philoſophiam maximo illis præſidio fuiſſe exiſtimandum eſt, ut facilius, minuſque grauatè in eo uitæ genere perſeuerarent. At Iuſtinianus, cum hæc iura dixit eſſe immutabilia, non religioſorum, aut philoſophorum (ii enim Iuſtinianęis legibus parum indigerent) ſed generatim, atque uniuersè quorumcunque hominum cœtus conſiderauit, qui omnia (ut vulgò fit) ad utilitatem potius referãt, quàm ad honeſtatem, & qui propterea humanarum legum freno cohiberi, atque in officio retineri debuerint. Cum tales hominum mores nobis proponimus, bellorum quoque non modo utilitatem, ſed etiam neceſſitatem perſpicuè cernimus. Bellis inductis atque receptis, neceſſe eſt dari aliquam in eos poteſtatem, qui bello capti ſunt; & hanc poteſtatem potiſſimum conſiderarunt iuriſconſulti, cum ſeruitutem iuriſgentium, atque im 13
mutabilem eſſe dixerũt, ut ex eius diffinitione perſpicuè cognoſcitur. l. libertas. ff. de ſtat. homin. & inſtit. de iure perſ. in princ. Quod uerò capti potius cogantur ſeruire, quàm occidantur, & quod uel ſeuerius, uel benignius tractentur, uel accepta pecunia dimitti debeant (ut Chriſtinianorum moribus receptum eſt) hæc modum potius, ac menſuram illius poteſtatis (iudicio meo) attingunt. Quare hæc legibus, & inſtitutis poſſe mutari nõ negamus, at dicimus poteſtatẽ ipſam in captiuis per ſe conſideratam, cum ea potiſſimũ ſit, quę ſoleat hoſtibus terrorem incutere ad communem ſecuritatem præſidii tantum afferre, ut ab uſu nationum, & gentium, ſalua earum utilitate, haudquaq̃ poſſit amoueri. Ac ne multis exemplis recenſendis fruſtra tempus conteramus, concludimus abſolutè omnibus in rebus, quæ iuriſgẽtium ſunt, apertiſſimã ſemper utilitatem reperiri, adeoque perpetuam, & conſtantem, ut nulli nec locorum, nec temporum mutationi obnoxia ſit. Quod cum de omnibus affirmemus, complectimur etiam illa, quæ poſterioribus temporibus inuenta ſunt, ueluti emptionem, & uenditionem, qua ſicut antea homines maximo cum incommodo caruerunt, ita ſi apud populos fortè aliquos hodiè illa in uſu eſſe deſineret, propterea quòd nummorum forte uſum tollerent, communes certè utilitates ea re maximè læderentur, tùm quia non facilè concurreret (ut inquit Paulus) ut cum tu 14
haberes quod ego deſiderarem, ego inuicem haberem quod tu accipere uelles, tum etiã quia ſine nummis nullarũ fermè rerũ æquabilis æſtimatio iniri poſſet. Itaque ex his

omni-

Digitized by Google

omnibus clarè perſpicimus non erraſſe Iuſtinianum qui quamuis hæc iura ſalua Iuſtitiæ ratione mutari poſſe uideret, tamen ea immutabilia eſſe dixerit. Nam ut uerè dicantur immutabilia, ſatis eſt ſubeſſe aliquid quod eorum mutationem impediat. Nec Iuſtiniano aduerſatus eſt Ariſtoteles, nam cum ipſe iuſtum diuiſit, in ſua diuiſione, quid iuſtitiæ ratio ferat, ſolum conſiderauit. Quod ſi qui forſan ceruicoſi erunt, qui non ſolam utilitatem, ſed etiam iuſtitiam in hoc Iuſtiniauum ſpectaſſe contendant, ne hoc modo quidē erraſſe Iuſtinianum fatebimur, ſed aliam ipſius defendendi rationem afferemus, vt dicamus non abſurdè ius gentium poſſe dici immutabile, ſi iure ciuili comparetur, quemad-
20 modum ibi comparat Iuſtinianus, Quia quæ iuris gentium ſunt tanquam iniuſta nunquam corrigunt; at hoc nomine in iure ciuili frequentes abrogationes, correctiones, mutationesque fieri uidemus. Poſthumum exheredem facere, tanquam iuſtum olim permiſſum fuit, poſtea uerò tanquàm iniuſtum fuit reprobatum. l. ſi quis in ſuo. §. legis. C. de inoffi. teſtam. Ob id etiam in legitimis ſucceſſionibus uariatum ſæpè fuit, atque in eo præſertim, num deberent fœminę in ſucceſſionibus æquo cū maſculis iure cenſeri, nā lege
21 12. tab. media iuriſprudentia, edictis Prætorū, conſtitutione Iuſtiniani alia, atque alia conſtituta ſunt, & quæ prius correcta fuerant ſæpè reſtituta, ut refert ipſe Iuſtinianus in. §. cæterum inſt. de legit. agnat. ſucceſ. At non ęquè de illarum rerum iuſtitia ambigi poteſt, quæ iuris gentium ſunt. Nemo enim tam rudis eſt, qui probè non intelligat emptionem, aliaſque conuentiones iure gentium inſtitutas iuſtiſſimas eſſe; nemo eſt qui non cōcedat æquum eſſe res ablatas bello repetere, aut illatam iniuriam ulciſci, irruentes hoſtes ui repellere, armaq; armis opponere; nemo denique eſt, qui cum bella iuſta eſſe conceſſerit exortas inde ſeruitutes, ac manumiſſiones iuſtitiæ aduerſari contendat. Atque hoc ipſum uidetur Paulus indicare uoluiſſe in l. penult. ff. de iuſt. & iur. eum dixit aliud eſſe ius, quod ſemper æquum, & bonum, & bonum eſt, ut eſt ius naturale, aliud uerò quod omnibus, aut pluribus in quaque ciuitate utile eſt, ut eſt ius ciuile. Quibus uerbis oſtendit iuris gentium ſtabiliorem, apertioremque eſſe æquitatem, quàm iuris ciuilis ſit, Neq; enim dubito, quin ibi Paulus appellatione iuris naturalis id totum complexus ſit, quo gentes utuntur; namque ad hanc rem ſatis illud argumenti eſt, quòd à ſolo iure ciuili ius naturale diſtinguit. Sic uidetur mihi duplex eſſe Iuſtiniani, ſeu tribuniani potius defendendi ratio, ac prima etiam multò tutior eſt. Quanquam ego non is ſum qui uelim contendere Tribunianum, ac cęteros, quos illi Iuſtinianus conſociauit, tantum eruditione, ac ingenio ualuiſſe, quantum eos erat opus, qui tàm arduam prouinciam ſuſcepturi eſſent.

## ARGVM.

QVomodo unumquodque ius uel naturale, uel pręter, aut cōtra naturam dici debeat, Tum ſub quo membro ſuæ diuiſionis complexus fuerit Iuſtinianus prima illa iuſtitiæ, atque honeſtatis principia, quę ſola natura mentibus noſtris ingenita ſunt.

1 Duabus in rebus conueniunt ius gentiū, & ius ciuile.

2 Vnum, & idem ius iuxta uarios loquendi modos & naturale, & non naturale dici poteſt.

3 Ius ciuile quatenus iuſtitiam naturalē habet, naturale dici poteſt.

4 Ius gentium aliqua ſaltem ex parte iuri naturale aduerſatur.

5 Etiā pro qua parte naturę aduerſatur ius gētium

tium poteſt naturali appellat.

6 Longè inter ſe differũt,eſſe ſimpliciter naturale, & naturale ſecundum quid.

7 Macedonianum, Velleianum,& alia quæ uidentur iuſtitiæ aduerſari,iuſtiſſima tamen ſunt.

8 Non tantum Iuſti. ſed alii quoque ius gẽtium uocant naturale,dum à iure ciuili illud diſtinguunt.

9 Num quæ ratio ſit,cur magis ius gentium quàm ius ciuile naturale dici poſſit.

10 Nõ ſemper,aut neceſſario ex eo dignoſcitur ius gentium à iure ciuili, quòd uel magis commune ſit, uel prius introductum.

11 Iuris gentium utilitates quantò communiones,tantò firmioribus naturæ nituntur fundamentis.

12 Iuris ciuliis non tàm aperta iuſtitia eſt ſicut iuris gentium.

13 Quomodo accipiatur, quod dicit Iuſtin. ius gẽtium unam cum humano genere natura proditum eſſe.

14 An uerè Iuſtin. in ſua diuiſione prima naturæ præcepta fuerit complexus,& nume.16.

15 Ius commune omnibus hominibus dupli ci de cauſa appellatur ius gentium.

16 Quomodo Iuſtinianus ius gentium accipiat.

17 Declaratur. §. ius gentiũ inſt. de iur. nat. gent.ciuil.

## CAP. XXVII.

Tertio loco dubitatũ fuit,quid ita factum ſit, ut cũ Iuſtinianus ſæpè naturale appellauerit ius gentiũ,quod tamẽ ipſum non à ſola natura introductũ, ſed ab hominibus cõſtitutum eſt, non eodem modo ius ciuile dixerit naturale. Nam cum poſſit etiam ius ciuile naturali rationi eſſe conſentaneum,nulla uidetur fuiſſe ratio, cur iuri gentium potius,quàm iuri ciuili hoc tribueretur. Nam ſi dixeris ius ciuile ideò natu- 1
rale non uocari, quia à ſola naturam non ſit introductum, hac ratione nec debuerat dici naturale illud ius gentium, quod à ſola natura introductũ non eſt, ſed ab hominibus conſtitutum. Si uerò dixeris ideò ius gentium appellari naturale, quia quanuis illud ſibi homines conſtituerint, tamen,ut id facerent,naturali ratione inuitati fuere,inſtabo ego, debuiſſe hoc modo etiam ius ciuile dici naturale, quoniam & qui ſingulis ciuitatibus leges dederunt,rationẽ naturalem præ oculis ſemper ante omnia habuerunt;quare hęc dubitatio haud planè uidetur cõtemnẽda. Poſſunt ex noſtra theorica ſuperius tradita nonnullæ concluſiones deſumi, quæ huius difficultatis explicationem continẽt.

Prima concluſio eſt, ſex modis dici ius naturale, ideoque ſecundum uarios modos
rectè unum,idemque ius & naturale, & non naturale dici poſſe. Quod cum pleniſſimè 2
à nobis ſupra fuerit explicatum,nihil eſt quod diutius in eo commoremur. Ex hac prima oritur altera concluſio,nempè ius ciuile,ſi conſideretur tanquàm iuſtum (ut a Philoſophis ſemper ius conſideratur) habere multa,quæ uerè dici poſſunt iuris naturalis eſſe,
cum,uel ſi legibus non continerentur, per ſe ipſa tamen iuſtiſſima eſſent. Tertia eſt, 3
ideò Vlpianum,cum ius diuiſit,neque ius ciuile, neque ius gentium naturale appellaſſe, quia in hac diuiſione iura conſiderauit, ut efficacia ſunt. At neque ius gentium, neque ius ciuile à ſola natura roboris tantum,atque afficaciæ habuerunt, quantum ſatis erat,ut
ab hominibus ſeruarentur. Quarta eſt, ius gentium aliqua ſaltem ex parte iuri natu- 4
rali aduerſari,id quod perſpicuè tradunt Florentinus,& Iuſtinianus in diffinitione ſeruitutis. l libertas. ff. de ſtatu homi. & inſtitu. de iur. perſon. in princ. ſentitque ibidem hoc Theophilus; qui illa uerba,contra naturam,exponit contra ius naturale. Idem ſentiunt alii quoq; iuriſconſulti,ut Triphoninus in l. ſi quod dominus.ff.de condict.indeb.
& Vlpianus in l. manumiſſiones.ff.de iuſt.& iur. Quinta eſt ius gẽtium etiam pro qua 5
parte

parte contra naturam eſt, naturale dici poſſe. Docet hoc multis in locis Iuſtinianus, ac præſertim in §. ſingulorum. inſt. de rer. diuiſ. Vnde etiam Theophilus in §. quod uerò inſt. de iure nat. gent. & ciui. dum connumerat ea, quæ naturalis ratio inter omnes homines introduxit, inter alia hoc quoque recenſet, ut ſeruus domino obtemperet. Sicut ergo ſeruitutes, ita etiam captiuitates, & bella, & ſi quæ alia ſunt eiuſmodi, naturalia dici poſſunt. Veruntamen hoc ita accipiendum
6 eſt, ut non ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid ( ut ita dicam ) naturalia ſint. Simpliciter naturalia ideò non rectè appellaueris, quia ſi omnes homines ex naturalis rationis præſcripto uiuerent, hæc non modò ipſorum hominum naturę non conuenirent, ſed maximè aduerſarentur. Qua ratione etiam contra naturam conuenienter dicuntur. At quoniam poſita hominum malitia, rectè hæc omnia quaſi eius malitiæ remedia humano generi conueniunt, & ipſius naturæ propè conſilio, atque decreto ab hominibus inuenta ſunt, ideò poteris ea dicere naturalia ſecundum quid, ſicuti non abſurdè dixeris pharmacum, inediam, & id genus alia, quę corporis ſani naturæ aduerſantur, corpori ęgro naturaliter conuenire, non quidem quà per ſe illud conſideras tanquam corpus animatum, ſed quà infirmum eſt, atque ægritudine illa oppreſſum; Quandoquidem uidemus brutas quoque pleraſque animantes natura ipſa id doceri, ut cum ægrotant iiſdem iſtis, uel ſimilibus remedijs utantur. Multa etiam eiuſcemodi in iure ciuili reperies, quæ rationi naturali uidentur aduerſari, ueluti Macedonianum, quod pecuniæ mutuò filijsfamilias datæ denegat repetitionem, item Velleianum quod mulieri, quæ pro alio inter-
7 ceſſerit, fidem datam frangere permittit, Nihiloque iuſtior uidetur præſcriptio biennij, quæ facit, ut quam uerè mihi non numeraueris pecuniam, perinde ac ſi numeraſſes, reſtituere tibi compellar, id quod ſæpè etiam iudicati facit authoritas. Hęc omnia, ſi per ſe illa conſideres, ab omni iuſtitia uidentur alieniſſima, ſed quia ideò ſunt inſtituta, ut grauius quiddam, & iniuſtius declinetur, propterea uerè iuſtiſſima dici debent. Qua de cauſa etiam fit, ut ſimul & naturalia, & contra naturam dici poſſint, ut de bellis, captiuitatibus, ac ſeruitutibus proximè diximus, quę omnia iuris gentium eſſe perſpicuum eſt, atque in hoc ius gentium, & ius ci-
8 uile planè conueniunt. Vltima concluſio eſt, ius gentium magis naturale, quàm ius ciuile dici poſſe, ſi rectè alteri alterum comparetur. Idque pręter Iuſtinianum, qui ſæpè ius gentium appellat naturale, cum à iure ciuili illud diſiungit, tradit etiam Ariſtoteles lib. 1. Rhetor. cap. 13. quo loci cum diſtinguit legem propriam à lege communi, legem ipſam communem ſecundum naturam eſſe ſentit. Hoc idem ſentit diuus Thomas, cum quęrit qua de cauſa generali omnium hominum conuentu opus non fuerit, ut ius gentium conſtitueretur, quemadmodum ad ius ciuile inducendum ciuium conuentus fuit neceſſarius; Siquidem huius rei illam rationem affert, quòd ius gentium magis naturæ conueniat; quare dicit facere ipſam naturam ſine ullo concilio, atque conuentu, ut ſponte ad illud nationes omnes
9 ferantur. Cur uerò magis ius gentium naturæ conueniat, quàm ciuile, expeditiſſimum eſt, atque optimè colligitur ex iis, quæ ſupra diximus. Diximus ſupra totum quicquid habent mortales iuris humani, ſiue commune ſit omnium hominum, ſiue proprium ſingularum ciuitatum, ea occaſione inductum fuiſſe, quia multa homines tùm ad cōmunes, tùm ad proprias utilitates inuenerunt, eaq; omnia, quantum in ipſis fuit, natu-



Digitized by Google

rali rationi, atque honeſtati accommodarunt, ac propterea concluſimus tàm in iure gentium quàm in iure ciuili & utilitatem, & honeſtatem poſſe conſiderari. Iam uerò ſiue utilitatem, ſiue honeſtatem ſpectemus, facilè poſſumus animaduertere, maiorem quandam in iure gentium, quàm in iure ciuili naturæ uim extare. Nec ſanè alia res ulla eſt, ex qua rectius ius gentium à ciuili, quàm ex hoc diſtingui poſ-
ſit. Nam quòd commune aliquid ſit omnibus gentibus, aut quòd prioribus ſeculis fue- 10
rit introductum, non ſatis indicij eſt, unde cognoſcamus iuris gentium potius, quàm iuris ciuilis illud eſſe; Cum quæ iuris gentium ſunt, poſſint eſſe poſterius inuenta, ut de emptionibus, & manumiſſionibus dictum eſt ſupra, Itemque è conuerſo, quæ ſunt iuris ciuilis, poſſint eſſe ab omnibus gentibus approbata, ut de ſtipulationibus omnes fatentur. Itaque ueriſſima, ac maximè propria ea differentia eſt inter ius gentium, & ius ciuile, quia multò clarius, atque euidentius in iure gentium quàm in iure ciuili & quantum ad utilitatem, & quantum ad honeſtatem ſeſe natura
oſtentat; Siquidem utilitates, quas complectitur ius gentium, quantò magis com- 11
munes ſunt (ad omnes enim planè nationes ſeſe diffundunt) tantò magis naturalibus ex cauſis proueniunt. Multa ex iure ciuili tanquàm inutilia partim correcta fuerunt, partim ab uſu paulatim receſſerunt, ut quæ de emancipationibus, de uarijs teſtandi modis, de nuptiarum ſolennitatibus, de actionum, exceptionum, fœderum, ſponſionum formulis, atque alijs permultis inuiolatè à ueteribus ſeruabantur, Quod nequaquàm in ijs contingere poteſt, quæ iuris gentium ſunt; Nemo enim non ſtultiſſimus hucuſque repertus eſt, at neque in poſterum unquam reperietur, qui bella, contractus, atque alia, quæ ad communes omnium hominum utilitates excogitata ſunt, tanquàm inania, atque inutilia improbare auſus fuerit. Cuius rei non alia cauſa eſt, niſi quia quæ iure gentium continentur utilitates firmioribus naturæ fundamentis nituntur. Quod ſi pariter honeſtatem ſpectemus, cuius ſemper præſcripto quammaximè homines accommodarunt quæcunque utilitatis gratia inuenerunt, in hac parte quoque reperiemus iuri gentium magis, quàm ciuili ſuffragari naturam. Nam quæ ciuilibus legibus continentur, uel ſi rectiſſimè,
ac iuſtiſſimè tradita eſſe poſſint, non tamen ſemper eam continent iuſtitiam, & 12
honeſtatem, quæ ſolius naturæ ope omnibus omninò nationibus etiam rudibus, & agreſtibus perſpecta, & planè cognita ſit; Neque enim ſanè omnes rectè diiudicabunt, iuſtiusnè ſit repudiatam legati portionem alteri legatario accreſcere, qui repudianti re, uel uerbis coniunctus ſit, an uerò illa magis penes hæredem reſidere debeat; tametſi quæ de iure accreſcendi, uel non decreſcendi noſtris legibus comprehenſa ſunt, rectè, ac iuſtè conſtituta fuerunt. Fateor etiam (ut ſupra obijciebatur, & ueriſſimum eſt) tutelarum leges rationi naturali conuenire, attamen de tutelis multa tradita reperies, in quibus iuſtitiæ non ſatis expedita ratio eſt. Hæſitabit enim forſan imperitus, & in iure ciuili rudis, ſi rogetur iuſtumnè ſit compellere illum rurſus ad ſoluendum, qui ſemel pupillo creditori ſoluerit ſine tutoris authoritate. At quę iure gentium conſtituta ſunt, tàm apertam iuſtitiam, atque honeſtatem præ ſe ferunt, ut cum primum nobis proponuntur, moueant approbationem noſtram, ſponteque ab omnibus nullo alio docente, ac ſolo naturæ quaſi decreto, quæ haſce noſtris animis notiones impreſſit, tanquàm iuſta recipiantur, atq; uſurpentur. Hanc ego cauſam eſſe arbitror, cur ius gentium ſæpè Iuſti-

nianus

Digitized by Google

nianus appellet naturale, ius uerò ciuile planè nunquàm, quin potius illud à iu-
13 re naturali ſemper diſiungat. Potuit etiam id eſſe cauſę, cur dixerit idem Iuſtinia-
nus in §. ſingulorum. ius gentium unà cum humano genere à natura proditum eſſe,
cum tamen ibi non tantùm de eo iure loqueretur, quod ſola nobis naturæ uis in-
ſeruit, ſed etiam de eo quod ſibi gentes conſtituerunt. Ac certè non debet abſur-
dum uideri, quod cum humano genere nata eſſe iura affirmauerit, quæ uideret non ſo-
los prudentes homines, ſed etiam rudes, atque imperitos, ac non ſolas aliquas ciuita-
tes, ſed ubique terrarum nationes omnes, non cuiuſquam exemplo, uel authoritate,
ſed ſolo quaſi naturæ conſilio non dubitanter recepiſſe, atque approbaſſe, ſem-
perque poſteà uſurpaſſe. Quanquàm poſſumus etiam dicere Iuſtinianum, cum ſic lo-
cutus eſt, illa tantùm iura reſpexiſſe, quæ à naturali ratione inter homines introdu-
cta ſunt, ſed quoniam illa ad unum, idemque ius refert, cui etiam omnia tribuit,
quæ ab hominibus conſtituta ſunt, idque unicum eſſe ſtatuit, propterea id quod
ibi dixit, rectè potuit de iure gentium ſimpliciter affirmare: ſemper enim hoc ue-
rum, erit ius gentium, uel ſi non totum, attamen aliqua ſaltem ex parte cum hu-
mano genere proditum eſſe. Itaque ex his omnibus tertia hęc difficultas (iudicio
meo) penitus ſublata eſt. Proximè dubitatum fuit, quare Iuſtinianus in ſua diui-
ſione prima illa rationis principia non fuerit complexus, ueluti Deum colere, pa-
14 triæ, ac maioribus parere, & alia eiuſdem generis: uidetur autem illa non eſſe
complexus, quia in §. ius autem gentium. ſtatuit iure gentium ea tantùm contine-
ri, quæ gentes ſibi conſtituerunt, quod de prædictis certè haudquaquàm affirma-
ri poteſt. Vt plenius hoc totum explicetur, duas ſtatuo concluſiones, quas pariter
ex ijs, quę ſuprà docuimus, rectè deſumemus. Prima eſt ius gentium, ſi pro iure
humano accipiatur (quemadmodum poſſe illud accipi antea diximus) ea omnia
complecti, quæ ab hominibus profecta ſunt, ſiue apud omnes gentes communi
omnium nationum conſenſu, & approbatione recepta ſint, ſiue in ſingulis ciuita-
tibus fuerint conſtituta; Sed à nobis in præſentia non hoc modo ſumendum eſt
ius gentium, cum de Iuſtiniani ſententia diſputamus, nam nec ciuiles leges, nec ca-
nones in hac ſignificatione unquàm illud uſurpant, ſed à iure ciuili ſemper diſiun-
15 gunt. Secunda eſt concluſio, ius gentium, quatenus à iure ciuili ſeiunctum eſt,
duabus de cauſis hoc nomine appellari, atque iccircò duobus modis accipi poſſe:
Primò appellatur ius gentium ea ratione, quia illud ſibi gentes conſtituerunt, &
hoc modo accipit illud Gratianus in c. ius gentium pª. diſtinct. ut clarè ipſe oſten-
dit in c. ius naturale, ubi quæ ſolo naturæ inſtinctu habentur, tribuit iuri natura-
li, ac ſeparat ab ijs, quæ ab hominum conſtitutionibus profecta ſunt, quæ ſo-
la iuris gentium eſſe ſtatuit. Alia de cauſa dicitur ius gentium, quòd eo iure gen-
tes omnes utantur; latiorq; eſt hæc ſignificatio, qua continentur ea quoque, quæ
à gentibus conſtituta non ſunt, ſed ſola natura noſtris mentibus ingenita. In hac
ſignificatione ſemper ius gentium accipiunt noſtri iuriſconſulti; nam quicquid omni-
bus gentibus commune eſt, iuri gentium aſſignant, ut Vlp. in l.1.in fin.ff.de iuſt.& iur:
cuius ſententia clarius etiam explicatur duabus in legibus ſequentibus, itemq; in l. om
nes populi, quo loci Caius. Quod uerò (inquit) naturalis ratio inter omnes homines «
conſtituit, id apud omnes peræquè cuſtoditur, Vocaturq; ius gentiũ quaſi quo iure oẽs «
16 gẽtes utunt. Hinc ſatis intelligit Iuſtinianũ, cũ de iure gẽtiũ loquutus eſt, ea quoq; princi



Digitized by Google

pra complexum fuiſſe, quæ ſola nos docuit naturalis ratio. Nam cum in hac tota diuiſione authores habuerit Caiũ, & Vlpianũ, quorum non modò ſequitur ſententiam, ſed & uerbis utitur, non in alia ſignificatione ius gentium accepiſſe exiſtimandus eſt, quàm in hac ſecunda, & latiori, in qua illi quoque ius gentium uſurparunt. Idq; probatur ex §. quod uerò. inſt. de iur. nat. gent. & ciui. Neque illud nos moueat quòd uideamus ipſum Iuſtinianum in §. ius gentium. ea tantùm connumeraſſe, quæ gentes humanæ ſibi conſtituerunt, nam uoluit ibi (ut mihi uidetur) demonſtrare, ius gentium omni humano generi commune eſſe; Quod quia de religione, de pietate, & alijs primis iuſtitiæ fundamentis perſpectiſſimum erat, meritò illa tantùm ibi recenſuit, quæ ab hominibus conſtituta fuerunt, ſed non propterea ſenſit ijs ſolis rebus ius gentium contineri. Imò enim contrarium tàm clarè expreſſerat paulò antè in §. quod uerò, ut de ipſius ſententia nullatenus dubitari poſſit. Reſtaret una illa dubitatio, quã primo loco propoſueramus, nimirum qua ratione illud ius, quod eſt nobis commune cum omnibus animanti bus, ab eo iure diſiunxerit Vlp. quod naturalis ratio inter omnes homines introduxit, ſed eam fuſius nunc proſequi non eſt neceſſe. Quid enim hac in re concludendum ſit, & an debuerit Iuſtinianus Vlpiano prorſus aſſẽtire, ſupra à nobis pleniſſimè explicatũ fuit. 17

## ARGVM.

DE æquitate iuriſconſultos, aliosque probatos autores, tàm uariè loquutos eſſe, ut ex illarum traditionibus uariæ ſententiæ oriri poſſint, quæ hìc enumerantur, ac ſigillatim reprobantur.

1 Quid differant inter ſe æquitas, atque æquum, & bonum.
2 An æquitas uirtus ſit.
3 Virtutis diffinitio.
4 Aequũ, & bonum eſt obiectum æquitatis.
5 Ex obiectis uirtutes inter ſe diſtinguũtur.
6 Sitne ęquum, & bonũ idem quod ius, ſiue iuſtum. & nu. 9.
7 Aequitatis deſcriptio ex Tullio.
8 Et Ariſt. & noſtrorum iuriſconſultorum ſententia eſt, æquum, & bonum à iuſto differre,
9 Laus Sulpitij, quòd omnia ad facilitatem, ęquitatemque referret.
10 Sunt qui putent æquitatem eſſe actum rationis.
11 Aequitatem naturalem à ciuili quomodo Duarenus diſtinguat.
12 Aequitatis diffinitio ex Saliceto, & Iaſone
13 Multæ ſunt leges, quæ ſeueritati æquitatẽ opponant.
14 Recte æquitas appellatur etiam quæ ad ſeueritatem propendet.
15 Aequitate dicitur uti etiam qui propter criminum atrocitatem legitimas pœnas ſupergreditur.

## CAP. XXVIII.

NIhil aliud iam reſtat, niſi ut ad æquitatẽ ueniamus, erat enim hoc ultimũ ex iis tribus, quę nobis initio propoſuimus explicãda. Promiſcuè uerò tùm de æquitate agemus, tùm etiã de æquo & bono, quæ duo uſq; adeò inter ſe cõnexa ſunt, ut q unũ probè tenuerit, alterũ ignorare nõ poſſit. Ita. n. reſpondet æquitas æquo & bono, queadmodũ iuſto reſpõdet iuſtitia; quare ſicut iuſtũ iuſtitiæ obiectum eſſe perſpicuũ eſt, iuſtitiã uerò habitũ, & uirtutẽ, qua apti ſumus ad res iuſtè gerẽdas, ut docet Ariſt. ita æquitas eſt uirtus, cuius obiectum eſt æquum & bonum. Attamen confunduntur hæc interdum à Cicerone, & alijs, qui æquitatem, pro ęquo & bono nonnunquam aſſumũt, ut in noſtrę huius tractationis progreſſu apertiſſimũ fiet. Nõ me latet ſolere nõnullos diſpu 1

tationis

Digitized by Google

2 tationis gratia in dubium reuocare, uerè ne æquitas uirtus ſit, id quod facit inter alios
Diuus Thomas in 2ª2ª quæſt.120.art.1. Sed nos eiuſmodi diſputationes omnes omittere
decreuimus, quæ neque ad id quod nobis propoſitum eſt, neque ad noſtrarum legum
cognitionem ulla ex parte pertinebunt. Ac præſertim cum difficultatis habebunt parũ,
ut hæc ipſa ferè nihil habere mihi uiuentur. Nam æquitatem uerè uirtutem eſſe, omni-
bus compertiſſimum eſſe poteſt ex ipſius uirtutis diffinitione, quam lib.1. Rhet. & aliis
3 multis in locis tradit Ariſto. cum dicit uirtutem eſſe habitum electiuum, quo propenſi ſu
mus ad id, quod laudabile eſt, ac rationi conſentaneum, eaque ſeruamus pariter omnia
quid, quãdo, quantum, & cum quibus, quæ Græci ὑπάρχοντα, nos uulgò circumſtantias
appellamus. Etenim hoc ipſo habitu, quem dicimus æquitatem, inclinamus ad id, quod
æquum & bonũ eſt, atq; illud porrò ſemper eſt laudabile, & rationi conſentaneum, eaq;
omnia diligenter inquirit, quæ proximè relata ſunt, quo quidq; tempore, quo lo-
co, quatenus, & cum quibus factum, dictumue fuerit, ut latè infra explicabimus. Itaque
4 cum æquitas uirtus ſit, qua propendemus ad id quod æquum & bonum eſt, non abſur
dè facturi uidemur, ſi promiſcuè in hac tota tractatione, modò æquitatẽ, modò æquũ
& bonum uſurpauerimus. Nam ex eius quoq; cognitione quod æquum & bonum eſt,
5 cognoſcemus quid ſit æquitas, aut quid ab aliis uirtutibus differat. Conueniunt enim
genere uirtutes omnes, ſed quia ad uaria referuntur obiecta, ex obiectis ipſis inter ſe di-
ſtinguuntur. Multi ſunt non modò iuriſconſulti, ſed & alij probatiſſimi autores, qui de
æquitate, ac de æquo & bono crebram mentionem faciunt; qui tamen omnes tàm ua-
riè hac de re loquuntur, ut ex eorum traditionibus uix certi aliquid colligere, at in diuer
ſas potius ſentẽtias diſtrahi poſſe uideamur. Primùm uideo in eã ſententiã facilè quẽ-
piã adduci poſſe, ut exiſtimet, nõ rectè nos hanc æquitatis tractationẽ à ſuperiore ſepa
raſſe, in qua de iure loquuti ſumus, cum primo aſpectu nihil aliud æquitas uideatur eſ
6 ſe, quàm ius, & iuſtum. Videtur enim hoc rectè demonſtrari ex ea diffinitione, quam
Tullius in Topicis accommodat æquitati, cùm dicit æquitatem eſſe, quod naturalis ra
tio perſuaſit. At quod naturalis ratio perſuaſit, noſtris ius eſſe conſtat, cũ eodem hoc pla
nè modo ius gentium Caius. & Iuſtin. definiant ut l. omnes populi. ff. de iuſt. & iure
& §. quod uerò inſt. de iure nat. gent. & ciu. Nec minus dilucidè hoc oſtendit idẽ
7 Tullius in part. oratorijs, ubi & æquitati iuſtum tribuit, & iuſtũ ita exponit, ut uelit illud
eſſe æquum, & bonum. Æquitas eſt (inquit) cuius uis, directi, ueri, & iuſti, & (ut dicitur)
æqui, & boni ratione defenditur. Ac ne aliorum potius, quàm noſtrorum iuriſconſulto
rum autoritates afferamus, uidetur hoc idem apertiſſimè ſentire Vlp. in l.1.ff. de iuſt. &
iur. vbi cum definit ius eſſe artem æqui, & boni, nihil aliud uidetur, quàm iuſtum ſigni
ficare uoluiſſe; vt rectè demonſtrãt uerba quæ ſequuntur, Iuſtitiam namque colimus &c.
quæ ratio haudquaquam concludens eſſet, niſi Vlp. ibi æquum & bonum pro iuſto ac-
cepiſſet. Si pro iuſto ſumitur, ergo & pro iure rectè ſumi poteſt. & ita docet Bald. poſt
Iacob. Beluis. in c.1. §. ad hæc de pace iuram. firm. in uſibus feud. alias in c. unico. de
allodijs. nu. 18. uer. quarto dicitur. Quo loci ait, æquitatem poſſe dici ipſum ius, ſiue iu
ſtum, adeò enim connexa ſunt ius, & iuſtum, ut ſemper mutuò ſe conſequantur, & ubi
unum ſit, ibi pariter adeſſe alterum ſit neceſſe. Poſtremò non differre à iuſto æquũ
& bonum, hac ratione demonſtratur, quæ iudicio meo, plurimùm urget. Satis conſtat,
neque hoc quiſquam (ut opinor) inficiabitur, tàm æquo & bono, quàm iuſto illum fi-
nem eſſe propoſitum, ut cuique quod ſuum eſt, tribuatur. Atqui profectò hac in re ne
ceſſe

Digitized by Google

ceſſe eſt dari certum aliquem modum, quem ultra, citraue nihil eſſe poſſit, quod laudẽ
vllam mereamur. Quod ipſum in Minoe docet nos Plato, cum dicit ius in uero poſi-
tum eſſe, & qui à uero recedit, eum ſemper & à iuſto, & legitimo declinare. Hoc ita con
ſtituto, ſi ponamus æquum & bonum à iuſto differre, neceſſe erit fateri, ex his ſaltem alte-
rutrum ab eo, quem diximus ſcopo aberrare. Neque enim poſſent eſſe diuerſa, ſi ambo
eundem ſcopum, non modò ſpectarent, ſed planè etiam attingerent. Quod ſi alterutrũ
concedis à prædicto ſcopo aberrare, non rectè dixeris id quod aberrat, eſſe rectum, &
honeſtum, Imò enim prauum, & iniquum illud eſſe oportebit, ac non laudem ullam, ſed
potius uituperationẽ mereri. Quod ipſum tamẽ perabſurdum eſt, ſiquidem nulli unquã
rectè uitio dabitur, quod uel iuſtum, uel æquum & bonum ſeruauerit. Quocirca ne
ad hoc abſurdum redigamur, uidetur illud potius concedendum, hæc duo non poſ-
ſe inter ſe differre, ſed planè unum & idem eſſe. Atque in hunc modũ mihi uidetur Ari-
ſto. uoluiſſe argumentari (licet aliquantò preſſius agat) lib. 5. Eth. cap. 10. quo loci.
“ Abſurdum uidetur (inquit) æquum & bonum laudabile eſſe, ſi a iuſto illud differre
“ concedas: nam aut iuſtum non eſt rectum, aut à recto declinat ęquum & bonum,
“ ſi à iuſto diuerſum eſt, Quod ſi utrumque rectum eſt, non poteſt unum ab altero
differre. Sunt hæc certè probabilia, ſed non adeò urgent, ut propterea conclu-
dere debeamus æquum & bonum idem prorſus eſſe, quod ius, ſeu iuſtum; Namque neq; 8
in hac ſententia perſiſtit Ariſt. neque cum ea conueniunt traditiones noſtrorum iuriſcõ
ſultorum, qui multis in locis, ius ab æquitate diſtinguunt. Facit hoc inter alios Modeſt.
in l. nulla. ff. de legi. Nulla (inquit) iuris ratio, aut æquitatis benignitas patitur. &c.
“ Idem facit Conſtant. in l. 1. C. de legib. cum ait. Inter ius, & æquitatem interpoſi-
“ tam interpretationem nobis ſolis & licet, & oportet inſpicere. Separat hæc pariter idẽ
Conſtant. in l. placuit. C. de iud. ac denique multę aliæ leges ſunt, quæ dilucidè oſten-
dunt ius ab æquitate differre, quas paſſim in huius tractationis progreſſu adducemus.
Atque idipſum confirmat etiam Ariſt. eo argumento, quia uulgò cum dicimus, aliquem
eſſe iuſtũ & bonũ, ſolemus eũ ita laudare, ut qui iuſto ſit anteponendus, idq; omniũ con
ſuetudine receptũ eſt; quæ ſanè cõſuetudo prorſus inepta, & abſurda eſſet, niſi æquum &
bonũ iuſto eſſet præſtabilius, Quod ſi præſtabilius eſt ab eo differat, neceſſe eſt. Hoc no- 9
mine Cicero in oratione pro Cecinna laudat Sulpitiũ, quod quæ proficiſcebantur à legi
bus ſemper ad facilitatem, æqualitatemque referret; qua in re non ſolam iuſtitiæ laudem,
ſed maiorem quandam uidetur illi tribuere uoluiſſe. Adde quòd neminem audiemus
ideò condemnari, quod nimium ſit ęquus, & bonus; at damnatur interdum, qui nimiũ
iuſtus eſt, iuxta illud Salomonis Eccleſ. 7. Noli eſſe iuſtus multùm, neque plus ſapias, quã
neceſſe eſt. Quibus ex rebus omnibus facilè intelligitur, ęquum & bonum, à iuſto iureq; 10
differre, atque ob id primam hanc ſententiam minimè recipiendam eſſe. Huic primæ
maximè finitima eſt illorum ſententia, qui uoluerunt æquitatem eſſe actum ratio-
nis. Voluit hoc Bald. inter alios, qui licet uarijs in locis uariè de ęquitate loquutus
ſit, tamen in l. 1. ff. de iuſt. & iu. ubi accuratius illam definit, dicit æquitatem eſſe
animi applicationem ad directum iudicium, intellectu non errante in ſubſtantia, ne-
que in circumſtantijs facti, ſicut rectum eſt (inquit) iudicium Eccleſiæ claue non
errante. In hac ſententia eſt etiam Franc. Duar. qui in l. 1. ff. de pact. cùm declarat illa uer 11
ba Vlpiani. Huius edicti æquitas naturalis eſt, ſtatuit naturalem æquitatẽ eſſe iudicium
rationis, ac ueluti legem de iuſtis, & iniuſtis, noſtris mentibus inſculptam, cui ſponte

imperiti

Digitized by Google

imperiti etiam ſine ulla probatione conſentiunt. Ciuilem uerò æquitatem dicit eſſe probabilem rationem, quę non omnibus hominibus naturaliter cognita eſt, ſed paucis qui prudẽtia,& uſu præditi ſunt. Negari non poteſt, quin ſemper, cum quis utitur æquitate, animi iudicium adhibeatur; ſed quod ipſa ſit animi iudiciũ, nõ propterea admittendũ eſt. Iudicio rationis egent uirtutes omnes, ut pote quæ prudentiæ adminiculo utuntur, ſed illæ tamen diuerſæ inter ſe ſunt; quandoquidem ex uarijs obiectis inter ſe diſtinguuntur. Quare cum non minus ad iuſtitiam perficiendam, quàm ad ęquitatem, rationis munus ſit neceſſarium, & tamen à iuſtitia,& à iure æquitas differat (ut proximè oſtendimus) uidendum eſt, quidnam illi præcipuum inſit, unde & à iuſtitia,& ab alijs uirtutibus ſeiũgi poſſit. Tertia eſt opinio, eaq; frequentius à noſtris recepta, æquitatẽ in quadã clemẽtia,& benignitate poſitã eſſe, ideoq; iuris rigori, atq; ſeueritati, tãquã ſuo cõtrario eſſe opponendam. Nam cum poſſit iuſtitia & ad ſeueritatem uergere, & ad humanitatem, tunc tantùm uolunt eam æquitatis nomen ſibi uendicare, cum ad humanitatem propendet
12 & inclinat. Quocirca Salic. & Iaſon in l. placuit. C. de iudic. definiunt æquitatem eſſe iuſtitiam dulcedine miſericordiæ temperatam, quam diffinitionem ex antiquorum ſententia tradit etiam Bald. in c. 1. §. ad hoc. nu. 18. de pace iur. fir. in uſibus feud. Habet hęc ſentẽtia multas leges, quibus plurimùm iuuari uideatur; atque inter alias maximè ipſi fauet illa l. nulla. ff. de legib. paulò ante adducta, in qua dicitur, nullam ęquitatis benigni-
13 tatem pati, ut quæ ſalubriter pro hominum vtilitate introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeueritatem; ſicque Modeſtinus ſeueritati æquitatem opponit. Facit hoc etiam Paulus in l. quod ſi minor. §. 1. ff. de minoribus, ubi. Non ſemper (inquit) quæ cum minoribus geruntur, reſcindenda ſunt, « ſed ad æquum & bonum redigenda ſunt. Quod reſcindantur quæ cum minoribus ge « ſta fuere, hoc rigoris,& ſeueritatis eſt, quod ſuſtineantur clementiæ,& benignitatis; quare cùm dicat ea non eſſe reſcindenda, ſed ad æquum & bonum redigenda, perſpicuè demonſtrat uerbis illis, ęquum & bonum clementiam, lenitatemque ſignificari. Idem ipſe Paulus in l. ſi ſeruum §. ſequitur. infra tit. noſtro, dum loquitur de moræ emẽdatione damnat eos qui recedunt à bono & æquo, ac ſub autoritate iuriſſcientiæ perencioſè ſępenumero errant, quaſi innuere uelit, ſeueritati benignitatem eſſe anteponendam. Huc itidem ſpectat, quod Terentianus ille conqueritur. Nimium (inquit) durus eſt, pręterq; æquum & bonum. Atq; alibi dicit idem Terentius. Æquũ eſt uos cognoſcere, atque ignoſcere. Nec porrò ſpernendũ eſt Senecæ hac in re teſtimonium, qui clemẽtiæ ęquitatem quaſi connectit, ac de clementia ita loquitur. Hęc, inquit, liberum arbitrium « habet, non ſub formula, ſed ex æquo & bono iudicat. At licèt probabilia uideantur «
14 hæc omnia, haudquaquam tamen iſtis aſſentiendum eſt, qui ęquitatem in clementia, & æquitate ponunt. Reclamant enim noſtri iuriſconſulti multis in locis, qui ſeueritatem quoq; appellant æquitatẽ, atque in pœnis irrogandis interdũ æqui & boni nomẽ uſurpãt. Sic Vlp. in l. 1. ff. de eo per quem fact. erit. Æquiſſimum (inquit) putauit prætor, dolum « eius coercere, qui impedit aliquem iudicio ſiſti. Idem Vlp. in l. 1. §. hæc actio. ff. ſi quis te- « ſtam. lib. eſſe iuſſ. dicit prætorem tunc uti æquitate, cum, punit eum qui alioquin, ciuili tãtùm iure inſpecto remaneret impunitus, eius porrò uerba hęc ſunt. Hæc actio (ut Labeo ſcripſit) naturalem potius, quàm ciuilem in ſe habet æquitatem ſiquidem ciui- « lis defuit actio, ſed natura æquum eſt, non eſſe impunitum eum, qui audacior hac ſpe fa « ctus eſt. Omnium uerò optimè id oſtendit Suetonius Tranquillus in Claudio, ubi nõ minus

Digitized by Google

minus aſperitatis nomen tribuit, uult enim eum quoque ex ęquo & bono interpretari, qui pœnas legibus comprehenſas ſupergreditur, earumque lenitatem exaſperat, quod interdum feciſſe Claudium aſſerit. Nec ſemper (inquit) præſcripta legum ſequutus duritiam, lenitatemque mulctarum ex bono & æquo, perinde ut afficeretur, moderatus eſt. Ex æquo & bono ita iudicaſſe Claudium perhibet, ut non modò legum duritiā lenitate, ſed etiam lenitatem duritia moderari ſolitus fuerit, quod expreſſius etiam oſten- 15
dit cum protinus hæc uerba ſubijcit. Nam ex ijs, qui apud priuatos iudices præpetendo, formula excidiſſent, reſtituit actiones, & in maiore fraude conuictos, pœnam ſupergreſſus ad beſtias condemnauit. Aliud poſtremò addi poteſt, ex quo perſpicuè demonſtratur, à clementia, & benignitate differre æquitatem; Nam æquitatis uſus uidetur omnibus eſſe conceſſus. l. in omnibus. ff. de reg. iur. l. placuit. C. de iudic. l. ſi ſeruum §. ſequitur inf. eod. cum alijs multis, quas adducemus infrerius, cum hac ipſa de re fuſius agemus. Clementia uerò, & miſeratio ſolius principis eſt, aut populi, eorumuè magiſtratuum, qui parem cum principe habent poteſtatem, ut olim habuit ſenatus Romanus. Et hoc rectè oſtendit Cicero in orat. pro Ligario, cùm ait neminem apud iudices ita cauſam agere ſolere. Ignoſcite iudices, errauit, lapſus eſt, non putauit, ſi unquam poſthac. & poſtmodum ita ſubſequitur: In ſenatu uerò, & apud populum, & apud principem, & ubicunque iuris clementia eſt, habet locum deprecatio.

## ARGVM.

CVr hæc duo uocabula ſimul iungantur, æquum & bonum, ac quid propriè illud ſit, quod æquitatem, ſiue æquum & bonum appellamus.

1 Accurſii ſententia refertur, & reprobatur.
2 Budęi laus.
3 Bonum non eodem modo ſemper uſurpatur.
4 Quomodò Ariſtoteles definiat æquum & bonum.
5 Altera æqui & boni definitio ab eodem Ariſt. tradita.
6 In factis ius ineſt, & pro ipſorū uarietate uariatur,
7 Quàm multa lege exprimēda eſſent, ſi perfectè omnia complecti uellet.
8 Vt rerum ſingularum propè infinita eſt multitudo, ita noſtrarum operationum uarietas incredibilis.
9 Duo legis peccata.
10 Intell. l. ex ijs l. nam ad ea & l. quoniam. ff. de legib.
11 Ex eo quod de pupilli obligatione conſtitutum eſt, ac de muliere pro altero intercedente, primum legis peccatum demonſtratur.
12 Alterū ad eam rem exemplum ex Ariſto.
13 Quomodo accipiendum ſit ſtatutum, quo puniuntur facientes ſanguinem in Palatio.
14 Fieri non poteſt, quin imprudentibus legumlatoribus multa excidant, quæ exprimi debuiſſent.
15 Exempla nonnullarum legum, in quibus uerba deficiunt, & ſententia tamen extenditur.
16 Naturaliter id fit, ut prudentum interpretationem leges deſiderent.
17 Legitimæ conſtitutionis ſpecies apud Rhetoras.

## CAP. XXIX.

VT ergo hæc omnia, quæ ſpectant ad æquitatem penitus cognoſcantur, duo uidēda ſunt. Primò, quid uerè hoc ipſum ſit, quod æquitatem, ſiue æquum & bonum appellamus. Secundò quinam ſint illi, qui poſſint uti æquitate, atque ex æquo & bono iudicare. Sed anteaquàm ad hęc ueniamus, ut rectè huius uocis uim teneamus,

Digitized by Google

neamus, breuiter illud nobis explicandum eſt, cur hæc duo uocabula, æquum & bonum
ſimul ferè iungantur. Accurſius in l.1.in uer.ius.ff. de iuſt.& iur. cum explicat illa uer-
1 ba, æqui & boni, bonum interpretatur eſſe, quod utile eſt, & ab æquo illud diuerſum
eſſe ſtatuit. Exiſtimat uerò hæc duo ideò ſimul iungi ſolere, quia multis in rebus ęqui-
tas utilitati conſentit, licet ſępenumero etiam ipſi aduerſetur. Datur (inquit) quod bo
num ſimul, & ęquum eſt.l.ſi & me.ff. ſi cert. petat. idq́; ut plurimum ita euenit. Datur
quod bonum eſt, ſed non æquum.l.1.ff.de uſucap. item contra, datur interdum quod
æquum tantummodò, & non bonum eſt.l. hac lege.C. de pact. conuen. quo loci ha-
betur, eſſe quidem bonum, atque utile mulieri res ipſius à marito gubernari, uerùm id
fieri æquũ non eſſe, ſi mulier aduerſetur. Ita Accurſius. Quẽ hac in re toto cœlo erraſſe,
2 iam apud omnes uulgatiſſimum eſt. Primus hunc errorem detexit Guliel. Budęus in illa
ipſa l.1.ff.de iuſt.& iur. ubi de æquitate ita locutus eſt, ut quemadmodum alijs multis
in locis, ita in hoc quoque quoddam ueritatis quaſi ſignum ſuſtulerit. Quare illum mul
ti poſteà ſequuti ſunt, Vld. Zaſius, & Marius Solomon. in d.l.1. Alciat.lib.1.parerg.cap.
xi. Franc. Conna. lib. 1. comment. iur. ciuil. cap. xi. Itaque cum Budæo concluden-
dum eſt, duo hæc uerba æquum & bonum, quoties ſimul iunguntur, illud ſignificare
quod Ariſtot. uocat ἐπιεικής, cuius Græci uocabuli uim quoniam non uno tantùm uo
cabulo Latini exprimere poſſunt, ſolent hæc duo adhibere, quibus non duæ, ſed una
eademq́; res ſignificatur. Sępè etiam, dempta copula, dicunt æquum bonum, ut poſt
Donatum idem Budæus animaduertit, ſic enim Cicero in Bruto. Deinde (inquit)
æquum bonum teſtamentorum ſententias uoluntatesq́; tutatum eſt. Hinc formula il-
la, æquum bonum & æquius melius in arbitrio rei uxoriæ; hinc etiam alij permulti lo
quendi modi fluxere, qui perſæpè apud Terentium, Tullium, Liuium, alioſq́; proba-
tiſſimos autores reperiuntur. Græca illa uox ἐπιεικής, facilitatem exprimit quandam,
cum æqualitate coniunctam: quare cum Latini uertunt æquum & bonum, æqui ap-
pellatione exprimunt parilitatem, boni facultatem; Idem enim dicitur uir bonus, qui
facilis, & qui de iure ſuo nonnunquam decedit. Atque hoc ita eſſe optimè ex eo intel-
ligitur, quia ita uidemus interdũ Ciceronem hoc uocabulo uti, & quod alibi bonita-
tem uocat, facilitatem appellare, ut in oratione pro Cecinna, quo loci (ut & ſupra
retulimus) Ser. Sulpitium commendat, quòd ea quæ proficiſcebantur à legibus,
& à iure ciuili, ſemper ad facilitatem, æquitatemq́; referret. Sicq́; quæ alibi dicitur
3 bonitas & æquitas, ipſe ibi facilitatem, & æquitatem appellat. Quod ſi ſeorſum de bo-
no mentio fiat, tùm quidem concedendum eſt id, quod tradit Accurſ. nimirum hac
uoce illud tantùm quod expedit, atque utile eſt, ſignificari, ut in d.l. hac lege.C.de pact.
conuent.l.naturæ in fi.ff.de reg.iur.l.1.ff.de uſucap. Non idem de æquitate affirmari po
teſt, quę uel ſi ſeorſum uſurpetur, poteſt tamen idem ſignificare, ac ſi cum bonitate con-
iungeretur, ut cum Cicero in eadem orat. pro Cecinna, ait ſe ex campo æquitatis ad
uerborũ anguſtias reuocari. Quanquàm non inficiamur ad alia quoq́; hoc uerbũ refer-
ri poſſe, quemadmodum poſtea oſtendemus. Quoniã igitur huius uocis rationem iam
probè tenemus, uidendum eſt, quidnam hoc ſit, quod Græci uocarunt ἐπιεικής, ac no-
ſtri pariter à facilitate, & parilitate nominarunt. Fuit enim hoc primum ex illis duo-
4 bus, quæ nobis paulò antè explicanda propoſuimus. Ariſtot. lib. 1. Rhetor. cap. 13.
ἐπιεικής, quod nos appellamus æquũ & bonũ, illud eſſe definit, quod ꝑter legẽ ſcriptã iu-
ſtũ eſt: Quæ tñ diffinitio primo aſpectu ſuboſcura uidet̃, imò nec uidet̃ ſatis cõuenire cũ
5 eo, quod tradit idẽ Ariſt.lib.1.Ethic.cap.x cũ dicit æquũ & bonũ eſſe emẽdationẽ legiti

mi iuſti. Aliud.n.uidet̃ eſſe,quod ꝑter legẽ q̃d ſit,aliud quod legẽ emẽdet. Itéq; illud uidet̃ eſſe dubiũ, q̃uo Ariſt. uelit æquitatẽ eſſe emẽdationẽ legitimi iuſti. Et nũquid in hoc ſentiat,æqui & boni appellatione contineri actũ illũ,quo lex aliqua corrigit̃,& antiquat̃ uel abrogat̃. Neq;.n.certè hoc ſenſu æquitatẽ uidet̃ Paulus accepiſſe ĩ l.ĩ oĩbus.ff.de reg. iur. cũ dixit,In oĩbus quidẽ,ſed ꝑſertim in iure ſpectãdã eſſe ęquitatẽ. Itẽ nec Cicero,cũ Sulpitiũ cõmendauit,quòd omnia quæ proficiſcebãtur à legibus ad æquitatẽ referre ſolitus eſſet: Nã nec Pauli,nec Ciceronis ſenſus ſatis cõgruerent,ſi cũ de æquitate loquunt̃, de correctione legis,& abrogatione intellexiſſent. Sed minimè dubitandum eſt,quin ueriſſima ſint quæ utro q; in loco Ariſtot.tradit. Verè ęquitas eſt emendatio legis,uerè etiã æquitas pręter ipſam legem eſt,nec ſanè pugnant hæc inter ſe, ſed optimè ſimul conueniunt,ut nõ tantùm ex ipſo Ariſtotele,ſed etiã ex noſtris iuriſcõſultis demõſtrari poteſt. Vt uerò cõmodius intelligamus, quomodo hæc emendatio accipienda ſit (qua ex re tota huius nodi explicatio pendet)duo ſeorſum,& diſtinctè nobis conſideranda ſunt. Primò qui ſint legis defectus,ſeu quæ uitia,quibus emendatio adhibetur. Præterea quid illud ſit,unde hæc emẽdatio deſumitur. Defectus legis,qui egent emendatione, duo ſunt (ut docet ipſemet Ariſtot.)qui tamen ambo ab eadem cauſa proficiſcuntur. Conſiderã dũ eſt, leges quaſcũq;, ut & alia oĩa iura,ſiue à ſola natura prodierint,ſiue ab hominibus 6
inducta ſint,ad facta ſemꝑ aliqua referri, neq; uerò ſemꝑ factis oĩbus æquè cõuenire, ſed ꝓ ipſorũ uarietate uariari,ac ꝓpterea fieri,ut quod ĩ qualibet facti ſpecie ius ineſt,ea mutata,ſępiſſimè illud mutet̃,atq; ex iure iniuria efficiat̃. Quocirca neceſſe eſſet,ut q̃ pfectas uellet leges condere, quæ per ſe ſatis eſſe poſſent,& quæ omni carerẽt ambiguitate,*quoſ* cũq; prorſus indiuiduos,ac ſingulares rerũ euẽtus enumeraret, oẽſq; illas,quas uulgò di 7
cũt circũſtantias,exprimeret, Vt ſi percuſſorẽ uellet punire,deberet illa oĩa legis ſcriptura cõplecti,lignonè,uel arundine,an ferro percuſſerit; quòd ſi ferro, quãto,aut quali,anne enſe,uel mucrone,aut haſta,alijſve ſimilibus. Exprimẽdum præterea eſſet, qualẽ hominẽ, itẽ quo loco,quo tẽpore,qua occaſione,uel neceſſitate,quoue cõſilio,uel animo percuſſerit: Quæ q̃dẽ tã multa ſunt,& tã multis modis uariari poſſunt,ut nemo uel prudẽtiſſimus legiſlator q̃cquã poſſet unquã tã ꝑfectè ſcribere,cui nõ multa,& addẽda,& detrahẽda eſſent. Nec ſanè legiſlatoris culpa hoc cõtingit,ſed ob rerũ agẽdarũ propè infinitã multitudinẽ (ut rectè ait Ariſtot.) quia quẽadmodũ,ſi res ſingulas à natura proditas cõ- 8
tẽplemur,reperiemus eas nõ modò incertas,& inſtabiles, ſed & ferè ĩnumeras eſſe, ita ẽt ſi ad ſingulas ſingulorũ hominũ operationes, animũ cõuertamus,uidebimꝰ illarũ cũ numerũ propemodũ infinitũ eſſe,tũ uerò incredibilẽ uarietatẽ,& incõſtãtiã. Facit uerò hęc ipſa cauſa (quẽadmodũ anteà dicere cœpimus) ut ſcriptæ leges duobus modis ſint imperfectæ,duoq; contineant peccata,quibus emendatio adhibenda ſit. Atq; horum alte- 9
rum uolentibus legumlatoribus contingit, alterum inuitis. Volentibus ijs contingit legem peccare,cum generatim illi aliquid decernunt, conſultò enim ſæpenumero id faciunt, quandoquidẽ uidẽt nõ poſſe ſe omnes prorſus factorũ ſpecies enumerare. Atqui cũ has regulas generatim cõſtituũt,ea potiſſimũ ſpectant,quæ frequẽtius contingunt, & (ut dicit Theophraſtus) ἐπὶ τὸ πλεῖον id quod Pomp. Celſ.& Pau.animaduertunt.l.iura cõ 10
ſtitui.l.ex ijs.l.nam ad ea.l.quoniam.ff.de legib.quibus in locis uidentur mihi non tantùm de ijs legibus loquuti eſſe , in quibus aliquid omittitur ( qua de re dicemus paulò poſt, cùm de ſecundo legis peccato agemus ) ſed etiam de illis, quæ generaliter loquuntur. Nam & illæ ad ea, quæ plerunq; accidunt,accõmodantur,quicquid contra

ſentiat

ſentiat Fran. Conna. qui putat hęc inter ſe differre; quod lex aliquid ſtatuat ἐπὶ τὸ πλεῖστον & quod generaliter loquatur. Nobiſcum uerò hac in re perſpicuè ſentit Ariſt. qui lib. I. Rhetor. cùm loquitur de hoc ipſo peccato, quod uolentibus legiſlatoribus cõtingit, his utit̃ uerbis. Volentibus autẽ, cùm nequeant determinare, ſed neceſſe ſit uniuerſaliter «
dicere id, quod nõ ita ſemper, ſed ut plurimùm cõtingit. Idẽ etiã lib. 5. Ethic. dicit, le- «
gẽ ideò generatim cõcipi ſolere, quia cũ lex non poſſit omnia perfectè enumerare, nihil tutius facere poteſt, quàm ut generaliter loquat̃, illudq; in uniuerſum aſſumat, quod plerũque cõtingit, quãuis in hoc peccatũ ipſa ſuũ nõ ignoret. Si potuiſſent legiſlatores ca-
11 ſus omnes recẽſere, quibus pupillus contrahẽdo fraudẽ incurreret, uel mulier pro alio intercedẽs uerè deciperet̃, certè in illis ſolis caſibus, id quod geſtũ eſſet, infirmaſſent: ſed q̃a non permittebat incredibilis rerum uarietas, ut id facere poſſent, propterea id ipſi quod utplurimũ ſolet euenire tantũmodò ſpectarunt. Et quoniã uiderunt ita fieri plerũque, ut pupillus cõtrahẽs ſine tutoris autoritate lædat̃, itẽ mulier decipiat̃, quæ pro alio intercedit, ideò generatim oẽs mulierũ interceſſiones irritas fecerũt, ac quæcũque cũ pupillis ſine tutoris autoritate geſta eſſent, in q̃bus modò deterior pupillorũ conditio fieri poſſet, nullius planè momẽti eſſe uoluerũt. l. obligari. ff. de autorit. tut. inſt. eod. in princ. toto tit. ff. & C. ad S. C. Velleian. Nam uel ſi poſſit interdũ contingere, ut nec fraude ulla mulier circũueniat̃, neq; ullũ pupillo ex ea re dãnũ inferat̃, nõ tamẽ id conſiderarũt legũlatores, ſed uoluerunt illi periculo occurrere, quod utplurimũ pupillis, uel mulieribus ĩminere animaduerterũt. Et ita intelligi poteſt, quod ex Theophraſto, refert Paul. in d. l. quoniã. ff. de legib. τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσι οἱ νομοθέται. Quapropter euenit ſæpenumero, ut quæ in hunc modum à legibus generatim, atque uniuersè ſtatuũtur, tẽperanda ſint, atque interpretatione coãguſtãda, quod demõſtrat Ariſtot. hoc exẽplo. Fac pœnam
12 contra omnes generali lege cõſtitutã eſſe, qui ferro percuſſerint, atque ita poſtmodò cõtigiſſe, ut qui digito annulũ ferreũ fortè geſtabat, inter loquendũ extulerit manũ, aliũq; percuſſerit. Si ſola hìc legis uerba ſpectes, erit iſte certè hoc nomine condemnandus, ſed quia non malo id conſilio fecit, ex ipſius legiſlatoris ſententia nullam pœnam meretur. Huic perſimile eſt exemplum, quod attulit Bart. in l. omnes populi in 2ª. quæſt. 6ª. quæſt. princ. ff. de iuſt. & iur. & in l. non dubium. C. de legib. paſſimque illud referunt cæteri interpretes, ac præſertim in l. quanuis. ff. de in ius uocan.
13 Extat Bononiæ ſtatutũ, quo cauetur eum qui ſanguinem fecerit in palatio, eſſe capite plectendum. Iam uerò cùm fortè quidam in palatio ęgrotaret, è tonſtrina quidam accerſitus eſt, qui ex medici præſcripto è uena illi ſanguinem mitteret. Dicit Bart. hæſitatum diù fuiſſe, eſſet ne ille qui ſanguinem miſit in palatio, ſtatuti pœna afficiendus, ac tãdem fuiſſe eum liberatum hac ratione, quòd uerba legis captanda non ſint, aut contra ipſius legis ſententiam accipienda, Sententiam uerò ſtatuentium fuiſſe, ut eum ſolum puniret qui per iniuriam, non eum qui ſalutis gratia ſanguinem emiſiſſet. Habemus iam primum, in quo lex peccare ſolet, ita ut emendatione indigeat. Alterum ipſius legis peccatum eſt, atque id non uolentibus, ſed inuitis legumlatoribus contingit, ut ibidem docet Ariſtot. cùm aliquid ipſos legum latores effugit, quod propterea imprudentes omittũt. Itaque fit ut in legibus condendis, non ea de cauſa peccare ſoleant, quòd caſus nonnullos tanquàm rarò euenientes conſultò omittant, ut in illo exemplo, quod de Lazaro in uitam reuocato tradit Accurſ. in l. ex ijs. ff. de legib. uerumetiam quia nõnulla imprudẽ-
14 tibus excidunt, quæ maximè exprimere fuiſſet opus, cum homines non ea mentis acie ſint, ut omnia animaduertere, omniaque prouidere poſſint. Vnde Iuſtin.

hac de re loquens dicit mortalis ingenij imbecillitati eſſe aliquid condonandum.l. 2.§. ſed & ſi quid forſan prætermiſſum.C. de vet. iu. enucl. Quare ſicut primum illud legis peccatum poſitum eſt in eo, quod plura, quàm oporteat legis ſcriptura fuerint comprehenſa, ita hoc ſecundum in eo conſiſtit, quod fuerit aliquid prætermiſſum. Ac ſicut ibi uerba legis coanguſtanda ſunt, ita hic ſuppleri, ac dilatari debent. Docemur hoc à Iuliano in l.non poſſunt.ff.de legib.Cum dicit non poſſe omnes articulos ſigillatim aut legibus, aut S.Cõſultis cõprehendi,ſed cũ in aliqua cauſa ſentẽtia eorũ manifeſta eſt,ad ſimilia procedendum eſſe. Traditq; hoc idem Vlp.ex Pędij ſententia in
“ l.ſeq.ubi ita inquit. Nam,ut ait Pædius,quoties lege aliquid unum,uel alterum intro-
“ ductum eſt, bona occaſio eſt cætera quæ tendunt ad eandem utilitatem, uel interpreta-
“ tione,uel certa iuriſdictione ſuppleri. Vt uerò exemplis clariùs hoc totum reddatur,cõ- 15
uenit maximè inter alia exemplum,quod affert Vlp.in l.ſi quis id quod.ff. de iuriſd.om. iud. Pœna quingentorum aureorum edicto prætoris conſtituta erat in eum, qui quod propoſitum erat, in albo prætoris corrupiſſet:corrupit uerò aliquis,non cum propoſitũ eſſet, ſed cum proponeret, uel anteà: quoniam conſtat hos caſus non conſultò,ſed imprudenter fuiſſe prætermiſſos,ideò dicit Vlp.edicti quidem uerba ceſſare,ſed ſententiam edicti & ad hæc porrigendam eſſe. Simile etiam exemplum habetur in l.2.§.ſi mater.ff. ad Tertul. quo loci emendat Vlp.defectum illius reſcripti,quod matri ius denegat uendicandorum bonorum inteſtatorum filiorum, ſi ipſis uiuentibus idoneos tutores non petierit,aut prioribus excuſatis,uel reiectis,non cõfeſtim aliorum nomina ediderit: emẽdat (inquam)in eo,quod de tutoribus tantùm loquitur, ac de curatoribus *mentionem* nullam facit, ſuppletq; ipſe Vlp.quod Imp. minùs animaduerterat. Quid ſi curato-
“ res(inquit)non petijt? uerba reſcripti deficiunt,ſed dicẽdum eſt,ſiquidem impuberibus
“ curatores non petijt,eandem eſſe rationem. Cernitur hoc idem & alijs multis in legibus,ut in §.penult. inſt. de eo cui lib. cauſ. bo. addic.item in l.ſcire etiam oportet.§.ſed
“ & ſi maximè.ff.de excuſ.tut. Sed & ſi maximè ( ait ibi Modeſtinus ) uerba legis hunc
“ habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud uult. Itaque naturalis ſemper cauſa eſt,quod lex ſcripta egeat emendatione,& quod uel coanguſtari,uel ſuppleri debeat, cum ſemper id contingat uel propter humanarum operationum nimiam uarietatem,& 16
inconſtantiam, uel propter humani ingenij imbecillitatem, ut iam plenè explicuimus. Et hoc eſt quod dicit Pompon.in l.2.§.his legibus latis.ff.de orig.iur.poſt latas leges.12. tabul.eueniſſe,quod naturaliter euenire ſolet,ut earum interpretatio prudentum autoritatem, neceſſariamq; diſputationem fori deſideraret. Hinc Rhetores inter alias conſti- 17
tutionum ſpecies legitimam ſtatuunt,in qua cùm multis alijs ex rebus oritur controuerſia,tùm præſertim ex ſcripto,& ſententia. Exemplum affert Cicero, quod eſt eiuſmodi: Lex ſit quæ iubeat eos,qui propter tempeſtatem nauem reliquerint,omnia pdere;quod ſi nauis conſeruata ſit, eorum nauim,cęteraq; eſſe,qui manſerunt in naui. Magnitudine tempeſtatis omnes perterriti nauem reliquerunt & in ſcapham conſcenderunt, præter unum ægrotum,is propter morbum exire, & fugere non potuit; caſu,& fortuna nauis in portum delata eſt incolumis, illã ægrotus poſſidet,nauim petit ille, cuius fuerat. Hæc conſtitutio legitima eſt ex ſcripto, & ſententia: hic.n. ea de re agetur anne uerba legis, quãuis nullam contineant reſtrictionem, tamen ex ipſius legis ſententia coanguſtanda ſint,atq; in ijs ſolis accipienda,qui cõſultò in naui mãſerũt,cũ uideat legislator id egiſſe, ut eorum induſtriam, qui in naui eſſent,eius ſpe premij ad ſeruandam nauim excitaret.



Digitized by Google

## ARGVM.

QVibus ex rebus ſumatur illa legum emendatio, ſiue directio ( Greci ἐπανόρθωμα, uocant) in qua æquitatis uis omnis poſita eſt.

1 Debet legis emendatio legiſlatoris ſentẽtiæ conuenire.
2 Scire leges non eſt ſola earum uerba tenere.
3 Aliis legibus aliæ rectiſſimè declarantur.
4 Optima legum interpretes conſuetudo.
5 Ciuilis æquitas quæ ſit.
6 Ciuilis æquitatis maior eſt autoritas, quã naturalis.
7 Vbi alia omnia ceſſent, ex iure naturali, legum interpretatio deſumenda eſt.
8 Mutua quaſi cognatio inter ius naturale & ciuile.
9 Verba legum interpretationis facilitate laxanda ſunt.
10 Qua in re maximè æquitatis uis poſita ſit.
11 Non ſeueritati, ſed ſtricto iuri æquitas opponitur.
12 Laxamentum uerborum appellat Cicero æquitatẽ, quòd per eã à uerborũ anguſtiis recedatur.
13 Exempla nonnulla ex Ariſt. & Euſtratio, quibus æquitatis exercitium rectius demonſtratur.
14 Quid ſibi uelit Vlp. cum dicit ius eſſe artem æqui & boni.
15 Regula Lesbia, quid ſit, & quàm congruẽter illam æquitati comparet Ariſtoteles.

## CAP. XXX.

DE duplici legis peccato, cui legis emendatio adhibetur, ita hucuſque egimus, vt ex iis quæ diximus intelligi poſſit, hanc emendationem non contra legem, ſed præter legem eſſe, ac legiſlatoris ſi minus uerbis, at certè menti, ac rationi conuenire, ideoque legem non tàm corrigere, quàm dirigere, & moderari, hoc enim ſignificat Græca illa uox ἐπανόρθωμα, qua utitur Ariſt. Vnde Diuus Thomas, Ioannes Burid. aliiq; pleriq; Ariſtotelis interpretes eã non emendationẽ, ſed directionem nominãt. Videndum modò eſt, unde hęc legis tùm ſuppletio, tùm reſtrictio deſumenda ſit, ſiue emendatio appelletur, ſiue directio, namque hoc non multum refert. Ex quo etiam ſimul intelligetur, quando illa uerè æquitas dici poſſit. Et an hoc eodem modo, quo ſumitur ab Ariſtotele, à noſtris quoq; iuriſconſultis ęquitas accipiatur. Poſſemus generatim hìc concludere, hanc ſuppletionem, & reſtrictionem ex ipſius legiſlatoris mente deſumi.
1 ut ſæpe inculcat Ariſt. recteque etiam colligitur ex legib. ſupra adductis. Sed quia hæc mens uariè coniici poteſt, ut magis diſtinctè loquamur, dicamus tria eſſe, ex quibus ſumi poteſt recta legis expoſitio, (ſic enim non abſurdè poſſumus appellare, quam alij emendationem, alij directionem uocant) ſiue ſuppletione, ſiue reſtrictione lex indigeat. Primò ſumi poteſt ex iis, quæ in eadem lege uel pręcedunt, uel ſequuntur, arg. l. ſi ſeruus plurium. §. ult. ff. de leg. 1. Et tunc crediderim non rectè æquitatis nomen uſurpari poſſe. Nam æquitas pręter legem ſcriptam eſt, ut rectè docet Ariſt. At quod ex ijs, quæ eadem in lege ſcripta ſunt, ſaltem per interpretationem deſumitur, non poteſt uideri præter legem eſſe, imò rectè legitimum appellatur, perinde ac ſi expreſſim lege illa cautum eſſet, ut diſertè tradit Iuſtin. inſt. de leg. patr. tute. paſſim, & in tit. ſequenti. Neque enim
2 ſola uerba legis legem perficiunt, cum nec ſcire leges ſit uerba earum tenere, ſed uim & poteſtatem, ut ait Celſus in l. ſcire leges. ff. de legib. Et hoc eſt primum, quod ſpectare debet legis interpres, anne quod in lege dubium eſt, ex alia legis parte declarari poſſit. Quod

Quod ſi minus fieri poſſe videat, ſecundò animaduertere debet, poſſitne caſus in ea le- 3
ge omiſſus, quam ſibi interpretandam proponit, alia aliqua lege determinari: & ſi lex
ſcripta nulla exſtabit, ad mores, & conſuetudinem confugiet, inſpicietq; quo iure ciuitas
retrò in eiuſmodi caſibus vſa ſit. l. de quibus. ff. de legib. Eſt enim optima legum interpres
conſuetudo l. ſi de interpretatione. ff. de pœnis. Quid porrò dicemus de hac ipſa inter 4
pretatione, quæ vel ex alia lege, vel ex conſuetudine ſumitur, dicemus ne illi æquitatis
nomen conuenire? Putarem ego id planè negandum eſſe, quoties id quod una lege
prætermiſſum fuiſſet, vel obſcurè traditum, alia lege, vel conſuetudine, planè deciſum re-
periretur. Verùm, ſi non illud idem reperiretur eſſe deciſum, rectè poſſet æquitatis nomen
vſurpari: quamuis vel in ſupplendis ijs, quæ lege prætermiſſa eſſent, vel ijs coanguſtandis,
quæ nimis generatim fuiſſent tradita, alias aliquas potius ciuiles leges, quàm naturalia 5
præcepta præ oculis haberemus. Ita ſentit Triphon. in l. bona fides. ff. depoſiti. Bo-
„ na fides, inquit, quæ in contractibus exigitur, æquitatem ſummam deſiderat, ſed eam
„ vtrum æſtimamus ad merũ ius gentiũ, an verò cum præceptis ciuilibus, vel Prætoriis? &c.
ac tunc poterit appellari æquitas ciuilis: Siquidem hoc modo accipi æquitatem ciuilem
oſtendit Vlp. l. 1. ff. de pactis: dum ibi naturalem æquitatem appellat, quæ ex præceptis
naturalibus emanat, quaſi velit eam diſiungere ab æquitate ciuili, quam ex præceptis ci-
uilibus oriri ſentit. Expreſsius verò idem Vlp. tàm de ciuili, quàm de naturali æquitate
mentionem facit in l. 1. §. hæc actio. ff. ſi quis teſt. lib. eſſe, iuſſ. fuerit. Atq; hîc præter- 6
eundum non eſt, huius ciuilis æquitatis maiorem eſſe autoritatẽ, quàm naturalis. Quan-
doquidem ſi videantur aliquando inter ſe diſſidere, præcepta ciuilia, & *naturalia, præfe-*
runtur ciuilia; Nunquam enim à iure naturali leges recedunt, niſi ex maxima cauſa, &
cum alioquin in præceptorum naturalium explicatione maximum aliquod abſurdum
contingeret: veluti ſi publicæ vtilitati non aliter proſpici poſſet, niſi à naturę ſimplicitate
aliqua ex parte recederetur. Qua de re dicetur à nobis fuſius, cúm de obligationibus pro
pius agemus. Illud uerò conſtanter retinendum eſt, quod & aliàs diximus, leges ciuiles
ne tunc quidem, cũ uidentur naturalibus præceptis aduerſari, naturali iure deſtitui, imò
tunc quoque illis naturam ſuffragari, quæ ſemper monet, & inſtat, ut patrijs legibus pa 7
reamus. Vidimus iã duo, ex quibus legũ emendatio deſumẽda eſt. Tertium, & poſtremũ
illud eſt, ut quoties neq; ex eadẽ, neque ex diuerſa aliqua lege, aut cõſuetudine deſumi ali
quid poteſt, ex quo legis uitium tẽperando, vel ſupplendo emendetur, ad ius naturale de
curramus. Quod ut fieri omninò debeat, facit duplex illud quaſi mutuæ cognationis
uinculum, quod (ut aliàs diximus) inter ius naturale, & ius legitimum intercedit, Vnum, 8
quod hac potiſſimum de cauſa conditæ fuerunt leges ciuiles, ut iuri naturali præſidio eſ-
ſent, quod alioquin improborum iniuriis minis patuiſſet, ita ut illorum labor omnis, &
ſtudium conſumatur in conſeruatione naturæ. Alterum (& in hoc ius naturæ, quod le-
gum ciuilium pręſidio munitum eſt, ipſis mutuum quodammodò pręſtat officium) quia
leges ciuiles non aliunde robur, neq; honeſtatem, ac iuſtitiam aſſumunt, quàm à iure na
turæ, illarumque ius omne à ſola natura, petendum, atque impetrandum eſt. Quapro-
pter cum leges ciuiles à iuſto naturali quaſi uitam, & ſpiritum aſſumant, contraq; etiam
totis uiribus in naturæ conſeruationem inclinent, nihil tàm rationi conſentaneum eſt,
quàm ut quoties illæ aliqua in re peccant, à iuſto naturali emendentur, & ad rectam qua
ſi naturæ ſemitam dirigantur, ita ut natura legibus ciuilibus ſemper cõſentiat, ſemperq;
in illis regnet, ac dominetur. Ac propterea uerba legum non tàm ſtrictè, & ſuperſtitioſè
obſeruanda

9 obſeruanda ſunt, ſed quadam interpretationis facilitate laxanda, & quammaximè fieri
poſſit,ad naturæ legem accommodanda. Hoc uerò cùm facimus, ac cùm ex præſcripto
naturę ea temperamus,ac moderamur, quæ non rectè à legibus generatim definiri po-
tuerunt, quin uel prætermiſſum aliquid, uel quid amplius fuerit comprehenſum,quod
10 à legislatoris mēte abhorreat, tunc uerè dicuntur uti æquitate, & ex æquo bonoq; inter-
pretari, ut docemur à Scæuola in l.de acceſſionibus.ff. de diuerſ. & tempor.præſcrip.De
acceſſionibus poſſeſſionum(inquit) nihil in perpetuum,neque generaliter definire poſſu
mus,conſiſtunt enim in ſola æquitate. Qua ex re intelligitur, æquitatem non ſeuerita
11 ti, ſed potius ſtricto iuri tanquam ſuo contrario opponendam eſſe, ut concludit etiam
Diuus Thomas in 2ª 2ᵉ. quæſt.120. art. 1. & probatur in l. placuit. C. de iudiciis. Pla-
cuit omnibus in rebus (ait ibi Conſtant.) pręcipuam eſſe iuſtitiæ,æquitatiſque quàm ſtri
cti iuris rationem. Stricto iure utimur, cùm uerborum anguſtias tantùm attendimus,
idque etiam appellatur ſummum ius,unde factum eſt tritum ſermone prouerbium. Sum-
mum ius, ſumma iniuria,quod Terentius, Tullius & alii perſæpe uſurpant. Æquitas ue-
rò ab anguſtiis uerborū recedit, nimiſq; arcta legum quaſi uincula relaxat, & non tàm
litterarum angulos, quàm naturalē, rationem atque honeſtatem ante oculos ſibi propo
nit. Quod probè explicat Cicero in oratione pro Cecinna. Iſtum locum (inquit) fu-
gis,ac reformidas,& me ex hoc (ut ita dicam) campo æquitatis, ad iſtas uerborum an-
guſtias,& ad omnes literarum angulos reuocas, in his ipſis includere uis inſidiis,quas mi
12 hi conaris opponere. Hac de cauſa æquitas legis laxamentum rectè dici poteſt, & ſic
appellat Cicero, qui in oratione pro Cluentio his uerbis utitur. Non modò cauſæ,ſed
ne legi quicquam per tribunos plebis laxamenti datum eſt. Quod laxamentum multis
in rebus neceſſarium eſt, ut ſupra diximus, idque hoc exemplo optimè demonſtratur. Le
ge punitur,& quidem meritò, qui alienas nuptias adulterio polluerit. Verùm ſi quis for
tè cum uxore Tyranni ideò rem habuerit,quòd uideret ea ratione maximè fieri poſſe, ut
13 ipſius uxoris ope Tyranno interfecto patriam liberaret, ac uerè idipſum poſtea præ-
ſtiterit, certè in hac ſpecie uerbis laxamenti nonnihil dandum eſt, pœnaque huic con-
donanda,qui benè de Repub.meritus ſit,ut Euſtrat. in lib. 5. Eth.animaduertit.Dubita-
ri uerò non oportet,qum tunc quoque uerba legum laxanda ſint, cum de odio, ac pœ-
na agitur, ſi id modò ratio fieri ſuadeat. Eſt enim æquiſſimum eam ſumere interpreta-
tionem,ne qui delinquit pœnam euadat,ut habemus in l.1.§.hæc actio.ff.ſi quis teſtamē.
lib. eſſe iu. fu. Hæc actio in factum (ait ibi Vlp.) naturalem potius, quàm ciuilem ha-
bet in ſe æquitatem, ſiquidem ciuilis deficit actio, ſed natura æquum eſt, non eſſe impu
nitum eum, qui audacior hac ſpe factus eſt. Maximè etiam hîc quadrat exemplum illud,
quod de peregrino Euſtatius affert. Lex ſit, ut ſi peregrinus murum aſcenderit, impunè
à ciuibus interfici poſſit.Cum hoſtes in eam ciuitatem irruiſſent, peregrinus murum aſcē
dit, & pro ciuium ſalute ſtrenuę,ac fortiter dimicauit.Hunc poſtea ciuis interfecit,quòd
eum legi aduerſatum eſſe diceret. Quæritur an impune hoc ciui eſſe debeat. Si uerba
legi s ſpectes, nullo ciuis ſupplicio affici poteſt; apertiſſima enim uerba ſunt, quæ ipſi
impunitatem concedunt. Sed ęqui boniqúe ratio huic impunitati reclamat, monetq;,
& inſtat, vt impia, atque ingrata interfectoris acerbitas ſeueriſſimè puniatur. Itaque ui-
demus in legum ſcriptarum interpretatione, ac quaſi temperamento hanc, quam quæri
14 mus, æquitatem elucere. Vnde meritò Vlp. in l. 1. ff. de iuſt. & iu. dixit, ius eſſe artem
æqui & boni, cum ii qui hanc artem intrepretantur, ex æquo & bono leges profiteri de
beant.

Digitized by Google

beant. Neque uerò ibi eum habuit ſenſum Vlp. quem Beluiſius, & Bald. exiſtimarunt. in
ca. 1. §. ad hoc. de pace iur. firm. ut æquum & bonum pro iure accipere uoluerit, ſed ui-
dit eorum, qui hanc artem profitentur (quàm idcircò dicit eſſe æqui & boni) propriũ mu
nus eſſe, ut miſſa uerborũ ſuperſtitione, ex naturalis rationis præſcripto interpretentur, di
latent, reſtringant, moderentur, inflectant, ac denique id unum agant, ut naturali ra-
tioni, atque honeſtati legis ſcriptura in primis aptetur, atque ex omni parte cohæreat.
Quocirca mirificè conuenit ſimilitudo illa de regula Lesbia quam æquitati Ariſtoteles 15
comparat, ut ipſius æquitatis proprium munus, & officium apertiſſimè nobis ante ocu-
los ponat. Cum in Lesbo inſula lapides omnes, quos in ædificiis conſtruendis adhi-
bebant, uarii, atque inæquabiles eſſent, quippe qui propter duritiẽ non commodè incidi,
neque expoliri, aut ad certam figuram redigi poterant, ſolebant qui ædificabant plum-
bea norma uti, quæ ad inæqualem lapidis figuram flectebatur, ut ea ratione lapides
mox alios inuenirent uel eadem figura, uel non prorſus diſſimili, qui cum primis aptè co
hærerent. Perſimilis certè æquitatis ratio eſt, nam quemadmodum norma illa Lesbia,
non ad regulam ſuam, quę ipſi nulla certa erat, ſtructuras exigebat, ſed illis potius ſe ac-
commodabat, facileque ex omni parte cedebat, Ita facit ęquitas, ut quandò hominũ
actiones tàm uariæ, tàmq; inter ſe inæquales, ac diſſimiles ſunt, ut quaſi Lesbii lapides,
nullis certis regulis aptari poſſint, nulliſque legibus perfectè, atque definitè comprehen-
di, facit (inquam) ęquitas, ut ipſis ſaltem factorum ſpeciebus aptentur congruẽter quæ
à legibus traditę ſunt regulę, ac pro negotiorum natura uariè flectantur, atque mutentur,
quo magis rebus ipſis, atque negotiis conueniant. Quare propius quàm *cæteri uide-
tur* mihi Bald. æquitatis naturam attigiſſe. in l. ſi defunctus col. ulti. C. de ſuis & legit.
cum dixit æquitatem eſſe certum modum, & rationem, qua leges, & pacta interpreta-
ri rectè poſſimus.

## ARGVM.

BReui deſcriptione aliquantò clarius, & luculẽtius ęqui & boni naturam exprimi poſſe, ex cuius deſcriptionis explicatione mox demonſtretur, unde illud ipſum ſumendum ſit, & ad cuius iuris emendationem adhibeatur.

1 Nullum aliud æqui & boni genus eſt, quã iuſtum.
2 Aequum & bonum nõ poteſt abſolutè dici iuſto melius, ſed melius aliquo iuſto.
3 Quod eſt ſimpliciter iuſtum, per ſe ſtat, ſed æquum & bonum refertur ad alterum.
4 Quid ſit, quod ſibi potiſſimũ æquitas proponit.
5 Nõ iuri naturali, ſed tantũ legitimo ęquitatis remedium adhiberi.
6 Natura non peccat, ita ut hominũ emendatione indigere poſſit.
7 Declaratur l. bona fides. ff. depoſiti.
8 Vt in natura, ſic in iure naturali monſtra interdum nonnulla contingunt.
9 Si ius naturale recipit interdum emendationem, nõ id facit ut naturale, ſed ut legis ſcriptura comprehenſum.
10 Diſtinctio naturalis, & ciuilis æquitatis non ex iuſto, quod emendat, ſed tantùm ex iuſto quòd emendatur, deſumi poteſt.
11 Poſſitne ius gentium ex æquo, & bono emendari.
12 Connani ſententia reiicitur.
13 Quòd nudæ conuentiones omnes efficaces eſſent, non iure gentium, ſed *iure* ciuili inductum eſt.
14 Solius utilitatis ratione æquitas non adhibetur.
15 An ſicut lex ſcripta, ita etiam conſuetudo ęquitatis temperamentum recipiat.
16 Quid à lege differat conſuetudo.

Ipſa

17 Ipſa quoque conſuetudo ad ſimiles caſus extenditur.
18 Duo quæ ad æquitatem neceſſaria ſunt, in conſuetudine nũquam interueniũt.
19 Quantum ad æquitatem pertinet, conſuetudinis, & iuris naturalis, eadẽ ratio eſt.
20 Aliud eſt ſcripturam conſuetudinis, aliud eſt conſuetudinem ipſam ex æquo, & bono moderari.
21 Nunquid ſi deſcribatur ęquitas, ęquitatis nomen amittat.
22 Differt æquitas tùm à correctione legis, tùm etiam à diſpenſatione.
23 Longè aliter in diſpenſatione cauſa conſideratur, quàm in interpretatione ex ęquo & bono.
24 Sunt caſus quos ab Eccleſiæ præcepto propria autoritate excipere poſſimus.

## CAP. XXXI.

VErùm ut nos breui deſcriptione plenius aliquãtò hoc totũ complectamur, quod
de ęquitate, ſiue de æquo & bono hucuſque traditum eſt, dicamus æquũ & bo-
nũ eſſe iuſtum, non quidem per ſe, neque prout ſimpliciter iuſtum eſt, ſed quate
nus ea, quæ lege præcipiuntur, non præter ueriſimilem legiſlatoris mentem, uel dilatãdo,
1 uel coanguſtando moderatur. Diximus: iuſtum; quia uerè nullum aliud eſt genus æqui
& boni, quàm iuſtum, ut probè explicat Ariſtot. qui quanuis dixerit æquum & bonum
eſſe iuſto melius, non tamen intellexit, debere illud ad præſtantius aliquod genus referri.
Neque enim abſolutè dixit illud eſſe iuſto melius, ſed eſſe melius aliquo iuſto. At non id-
circo negari poteſt, quin quod æquum, & bonum eſt, idem ſemper & iuſtum ſit. Quem-
2 admodum etiam negari non poteſt, quin homo animal ſit, quanuis ueriſſimè dici poſ-
ſit, eſſe ipſum aliquibus animalibus, imò cæteris planè omnibus præſtantiorem. Dixi-
mus poſteà, iuſtum non per ſe accipiendum eſſe, neque quatenus tantummodò iu-
ſtum eſt, ut poſſit dici æquum & bonum. Quod ipſum ea ratione affirmauimus, quia
ſi nulla in re differret æquum & bonum ab eo quod ſimpliciter iuſtum eſt, non poſ-
ſet eſſe iuſto præſtabilius, ut uerè illud præſtabilius eſſe demonſtrat Ariſtot. ex com-
muni loquendi conſuetudine; Itemq; non rectè iuri opponeretur, quemadmodum
opponitur in l.1.C.de legib.& in l.placuit.C.de iudic. Quare licet genere cum iuſto con
ueniat æquum & bonum, imò non tantùm genere, ſed & ſubiecto, & effectu conue-
3 nire poſſit, tamen ratione ab ipſo differt. Siquidem iuſtum per ſe ſtat, totumq; ſuum
eſt, at æquum & bonum non per ſe ſtat, ſed ad legis emendationem refertur; qua-
re inter ea percenſeri debet, quę cum altero conferuntur: nulla enim æquitas eſt,
quæ non ſit alicuius legis æquitas, ut è contrario nulla eſt lex, quę non ſit alicu-
ius æquitatis lex, hoc eſt cuius interpretatio æquitatis præſidium non expoſcat;
Cùm nihil tam enucleatè, tamq; definitè, atque accuratè ſcribi poſſit, quod non multa
4 temperandum ſit ęquitate, Cuius quidem hoc unum negotium eſt, ut ad id quod ratio
ni conſentaneũ eſt, ſcriptarum legum ſenſus accommodet. Id uerò certè facere non poſ-
ſet, ſi ſola per ſe ſtaret, nec legis alicuius ſcripturę ſemper aptaretur. Quare æquum
& bonum dempta illa ſcriptura, in cuius interpretatione poſitum eſt, remaneret qui-
dem iuſtum, ſed æqui & boni nomen prorſus amitteret. Diximus inſuper, referri
æquum & bonum ad ea, quæ legibus præcipiuntur, ut demonſtraremus, non iu-
ſtum naturale, ſed tantùm legitimum ex æquo & bono emendari poſſe. Qua in re
5 autorem habemus Ariſtot. in locis ſupra citatis. Namque is lib.5. Ethic. dicit æquum
& bonum emẽdationem eſſe legitimi iuſti, ac lib.1.Rhet. illud definit eſſe ęquũ & bonũ,
quod præter legem ſcriptam iuſtum eſt. Cur uerò iuſtum naturale nullam expoſcat,



Digitized by Google

imò nec admittat æquitatem, ratio ea eſt, quia ſi etiam in iuris naturalis interpretatione adhibendam eſſe æquitatem concederemus, cogeremur ea ratione fateri, peccare naturam, atque humana emendatione indigere; At hoc fieri non poteſt, ſiquidem (ut docet Auerroes lib. 12. metaph.) à Deo ſummo, & opt. tota natura dirigitur, 6
quem peccare nec uelle, nec poſſe unquàm compertiſſimum eſt. Quod ipſum ea quoque ratione confirmatur, quia ſi ęquum & bonum præter legem ſemper eſt, lex uerò naturalis ea planè omnia tacito monitu nobis præcipit, atque ſuggerit, quę ad piè, ſanctè, & honeſtè uiuendum neceſſaria ſunt, ut alias pleniſſimè diximus, conſequens certè eſt, hoc quod æquum & bonum appellamus nullo modo poſſe ad legem naturalem accommodari. Attamen in contraria ſententia uidetur eſſe Triphon. in l. bona fides. ff. depoſiti, quo loci ſentit iuſtum illud naturale, quo iubemur depoſiti fidem ſeruare, à ciuilibus præceptis coanguſtari poſſe, Nam ſi cuiuſpiam bona ex iuris ciuilis præſcripto publicata fuerint, non eſſe illi rem depoſitam reddendam aſſerit, 7
" ſed in publicum deferendam. Verba ipſius hæc ſunt. Bona fides, quę in contractibus exi
" gitur, æquitatem ſummam deſiderat, ſed eam utrum æſtimemus ad merum ius gentium,
" an uerò etiam præceptis ciuilibus, & prætorijs? Veluti reus capitalis iudicij depoſuit
" apud te centum, is deportatus eſt, bona eius publicata ſunt. Vtrum nè ipſi ea redden-
" da, an in publicum deferenda ſunt? Si tantum naturale gentium ius intueamur, ei qui
" depoſuit reddenda ſunt, ſi ciuile ius, & legum ordinem, magis in publicum deferenda
" ſunt; nam malè meritus publicè, ut alijs exemplo ſit, & egeſtate laborare debet.

Hanc difficultatem Ioan. Buridanus autor non contemnendus lib. 5. quæſt. *moralium* quæſt. 27. ita explicat, ut dicat iuſtum naturale duobus modis accipi poſſe. Primò quidem pro eo, quod in unaquaque facti ſpecie ſingulari, atque indiuidua dictat nobis, atque præcipit ratio naturalis; Et hoc modo concedit ius naturale nullam æquitatem deſiderare, ac ne quidem admittere; tùm quia nulla legis ſcriptura perfectè id unquã poteſt comprehendi, ad quam mox adhibeatur interpretatio ex æquo & bono, tùm quia quod nobis natura ſuggerit, ſemper ęquum & bonum eſt, ſemperq; iuſtitiæ, atque honeſtati maximè conſentaneum. Vnde nihil continet, quod detrahi, uel ſuppleri, aut ulla ratione emendari poſſit. Secundò dicit Buridanus poſſe accipi ius naturale pro ijs præceptis, quæ uel ſi plerũq;, atque in uniuerſum, nõ tamen ſemper, atq; in ſingulis factorũ ſpeciebus naturæ cõueniũt, quale eſt illud, cuius proximè meminimus, depoſitum reddere. Et hoc modo putat poſſe nos ius naturale æquitate moderari. Ceſſant enim illæ duæ rationes, propter quas in ſuperiore huius diſputationis capite diximus æquitatis uſum impediri. Nam & rectè hæc præcepta naturalia in ſcripturam redigi poſſunt, & iuſtitiæ, ac rationi naturali non ſemper conſentiunt. Eſt enim interdum, cum depoſitę rei reſtitutionẽ naturalis ratio interdicit, Idq; ſubiectæ materiæ uitio cõtingit, ſicut & in rebus corporalibus materiæ uitio fit interdum, ut cũ ſex digitis homo naſcatur, aliaque eiuſmodi monſtra nonnunquam conſpiciantur. Quod quoties in præceptis naturalibus contingit, toties uidetur ius ipſum naturale æquitatis adminiculo indigere. 8
Verùm ſi hanc ſententiam amplecteremur, ac concederemus ius naturale aliquo modo ſaltem æquitatis præſidium deſiderare, poſſemus Ariſtotelẽ non immeritò accuſare, qui iuri tantùm legitimo æquitatem tribuit; dicit enim æquum & bonum, emendationem eſſe legitimi iuſti. Siquidem parum ipſi ſuffragatur Buridani defenſio, qui dicit Ariſtotelẽ, cùm de iure legitimo loquutus eſt, eatenus tantùm ius naturale excludere uoluiſſe, quatenus

primo

primo modo ſumitur, non quatenus uniuerſalibus naturę præceptis continetur,
cum abſurdum ſit à natura ſeparare præcepta illa naturalia, quę natura noſtris men-
tibus inſeruit, & quæ nihil planè ciuile continent, ſed in ſola natura conſiſtunt; ne-
que enim ea ſola de cauſa iuri legitimo tribui debent, quia lege ſcripta comprehendi,
ac definiri poſſint. Exiſtimo igitur ego ſimpliciter, ac propriè accipiendum eſſe id,
9 quod ſentit Ariſtot. ſolius iuſti legitimi æquitatem eſſe, naturalis uerò non eſſe. Nam
ſi præceptum naturale per ſe conſideres, ut naturale eſt, nulla certè eget emendatio-
ne, aut reſtrictione: non enim egreditur illos fines, quos ipſi natura præſcripſit, ne-
que in ijs ſpeciebus naturale dici poteſt, in quibus natura illud ſeruari prohibet. Quod
ſi illud conſideres ut in ſcripturam redactum eſt, in eo quod peccat emendari de-
bet. Peccat uerò in eo, quod nimis generaliter conceptum eſt. At hoc non na-
turæ peccatum eſt, ſed legis, atque ſcripturæ. Quare, uel ſi naturale ſit præceptum,
nunquam tamen ut naturale, ſed ut legitimum emendatur. Ideò rectè ſentit Ariſtot.
ad ius legitimum tantùm æquitatem adhiberi, nulli enim planè iuri, niſi quà lege
ſcripta comprehenſum eſt, adhibetur illa interpretatio, in qua diximus æquitatis mu-
10 nus omne, atque officium expleri. Diſtinctionem ergo illam, cuius ſupra memini-
mus, naturalis, & ciuilis æquitatis, ex iuſto quod emendatur deſumere non poterimus,
cum illud ſemper uel legitimum ſit, uel ut legitimum conſideretur. Rectè autem il-
lam deſumemus ex eo iuſto quod ad alterum emendandum adhibetur. Id enim ſi ci-
uile eſt, ciuilem, ſi naturale, naturalem æquitatem conſtituit, ut ſentit Vlp. in l. 1. ff.
de pact. & in l. 1. §. hęc actio. ff. ſi quis teſt. lib. eſſe iuſſus fuerit. Sumi uerò hanc
emendationem, non modò ex naturalibus, ſed etiam ciuilibus præceptis docet Tri-
phon. in d. l. bona fides. ff. depoſ. Sed erunt qui hac de re forſan addubitent, nam
quod diximus ius naturale non poſſe ex æquo & bono emendari, niſi qua legis ſcri-
ptura comprehenſum eſt, id quidem expeditiſſimum eſt, ſi loquamur de eo iure na-
turali, quod noſtri ius gentium primæuum appellant, ſed ſi loquamur de illo quod
ſecundum nominant, uidetur hoc dubium; Imò Franc. Connanus concludit ius
11 gentium ſecundum uerè à legibus ciuilibus emendari poſſe. Cum enim illud à ſim-
plicitate naturæ aliquantum receſſerit, ut hominum utilitati ſeruiret, propterea pu-
tat rurſus poſſe ex ęquo & bono à legiſlatoribus quaſi emendari, atque ad natu-
ræ ſimplicitatem reuocari, licet iudicibus non eandem poteſtatem concedat.
Exempli gratia (inquit) naturæ ius eſt, dictorum omnium fidem eſſe præſtan-
dam. Ius gentium reſtrinxit hoc ad eos contractus, qui frequentiores erant, & ma-
gis ad hominum uſum neceſſarij, quos uocamus nominatos, & ad eas conuentio-
nes, quas iam aliqua ex parte rei interuentus confirmarat, quo iure gentium ob-
ſtringitur iudex, nec poteſt illud decreto ſuo mutare; at lex potuit, quæ ſtipu-
12 lationibus uim addidit obligationis. Itaq; Connanus meo iudicio non rectè ſenſit,
putauit enim illam reſtrictionem iure gentium fuiſſe factam, ut prętер nonnullas
13 frequentiores aliæ nudæ conuentiones, in quibus res nulla interuenit, inefficа-
ces eſſent, ſed totum hoc falſum eſt, ut plenius oſtendemus in Rub. de uerb. obli-
gat. (ubi niſi noſtra nos fallit opinio) planum faciemus hac in re & Connanum,
& alios à ueritatis ſcopo longiſſimè aberraſſe. Quantum uerò ad hoc attinet,
quod nobis in præſentia propoſitum eſt, conſtanter affirmari poſſe credimus,
ut non iuri naturali, ita nec iuri gentium ęquitatis moderationem adhiberi. Quod

 & Ariſtot.

Digitized by Google

& Ariſtot. ſentit, & ex ijs, quę alias docuimus, rectè colligi poteſt. Demonſtratum à nobis alias eſt, huius iuris inducendi, quod gentium appellatur, eam fuiſſe occaſionem, quia multa ad communem utilitatem homines inuenerunt, in quibus tamen ſedulò id egerunt, ut ea omnia ad ius naturæ accommodarent. Quare duo ſunt præcipua, quæ in hoc iure gentium conſiderari poſſunt, utilitas, & honeſtas. Exigit utilitas emptiones in uſu eſſe, fidem uerò in ijs datam ſeruare, non tantùm utilitati, ſed etiam iuſtitiæ, & honeſtati conſentaneum eſt. Iam uerò cum ad ius gentium moderationem, & temperamentum æquitatis adhiberi poſſe dicis, aut utilitatis cauſa id fieri aſſeris, aut iuſtitiæ, & honeſtatis. Si ſolam utilitatem ſpectabis, non rectè huic moderationi æquitatis nomen tribues; ſiquidem æquum & bonum non utilium, ſed iuſtorum 14
genere continetur, ac cum illud definit Ariſtot. in ipſius diffinitione iuſtum tanquam genus aſſumit. Si uerò iuſtitiam ſpectabis, & honeſtatem, cum iuſtitia, & honeſtas omnis à iure naturali pendeat, nihil in hoc concludere poteris diuerſum ab eo, quod ſupra de iure naturali concluſum fuit. Poſſet tamen forſan defendi hæc opinio Connani quantum ad ea, quæ de bellis, & ſeruitutibus iure gentium introducta ſunt, quæ uerè à naturæ ſimplicitate nonnihil declinarunt, ſi modò utilitatis ratio pateretur, ut ea mutari aliqua ex parte, atq; emendari poſſent; qua de re copiosè ſupra diſſeruimus. Poſt hæc, quæ de iure naturali, ac de iure gentium diximus, alia ſimilis dubitatio excitari poteſt. Nunquid conſuetudo, quæ eſt lex ciui- 15
lis, ſed non ſcripta, æquitatis temperamentum recipiat, ita ut ex ęquo & bono, & extendi, & coanguſtari poſſit. Primo aſpectu hoc affirmandum uidetur: Nam æquitas proculdubio adhibetur legi ciuili, & eſt emendatio iuſti legitimi. At ipſa quoque conſuetudo lex ciuilis eſt, & iuſtum, ac legitimum conſtituit, neq; inter le- 16
gem, & conſuetudinem cernimus aliam differentiam, niſi quia in lege populus ſuffragio uoluntatem ſuam declarat, in conſuetudine uerò factis, ac rebus ipſis, ut aduertit Iulian. in l. de quibus. ff. de leg. Hinc uidemus non minus conſuetudinem, quàm legem ſcriptam, ad ſimiles caſus extendi l. 1. C. quæ ſit long. conſuet. Quam 17
extenſionem ad ſolam ęquitatem pertinere diximus. Sed non dubito ego, quin contrariam ſententiam potius recepturus ſit quicunque æquitatis naturam accuratius conſiderauerit, Sicut apertè concludit Ariſtot. contrarium lib. 1. Rhetor. cum dicit æquum & bonum eſſe quod præter legem ſcriptam iuſtum eſt; nec enim negari poteſt, quin legis ſcriptę appellatione conſuetudinem excludat. Cur uerò ad conſuetudinem æquitas non pertineat, ratio ea mihi uidetur eſſe, quia ut æquitas ſit, duo requiruntur. Primò debet eſſe emendatio legitimi iuſti. Deinde ab illius mente, & 18
conſilio nulla ex parte aliena eſſe debet, qui illud decreuit, quod nobis emendandum proponitur. At hæc ſimul ambo nunquàm in conſuetudine concurrunt, quod ita demonſtratur. Satis conſtat conſuetudinem pluribus actibus induci. d. l. 1. C. quæ ſit longa conſuet. l. an in totum. C. de ædific. & fusè hac de re agit Bart. in d. l. de quibus. ff. de legib. Et Pet. Rauennas in tract. de conſuetudine in 3. ſect. Quo ſic conſtituto, aut das eos actus ad indiuiduam illam facti ſpeciem prorſus pertinere, quam ex æquo & bono à generali conſuetudine excipere uolumus, dum æquitatis temperamentum ad ipſam conſuetudinem adhibemus, Et hoc non pręter, ſed cōtra conſuetudinem erit, ac populi ſententiæ prorſus aduerſabitur, qui ſpeciatim illud induxerit, quod nos fruſtrà per interpretationem declinare contendimus. Quod ſi actus

illi,

illi, quibus conſuetudo introducta eſt, non eamdẽ hanc planè facti ſpeciem attingat, de qua controuerſia eſt, ſed diuerſas caſus reſpiciant, non rectè dicetur hæc facti ſpecies ullo modo conſuetudine illa contineri. Quare uel ſi diuerſum hîc reſpõdeatur, nulla tamẽ cõſuetudinis reſtrictio fiet, aut emendatio. Fit quidẽ in lege ſcripta hæc emẽdatio, quia cùm lex uerbis exprimatur, poſſunt ea uerba plus, minuſuè cõplecti, q̃ par ſit, ſed in conſuetudine nõ poſſumus uerba damanare, quod uel nimis generalia ſint, uel minus anguſtè concepta, cùm perſpicuum ſit conſuetudinẽ nullo modo loqui, ſed tacito populi conſenſu perfici, quẽ diuidui, ac ſingulares actus declararint. Itaq; hac in re cõſuetudinis, & iuris naturalis par ratio eſt. Ideò ius naturale æquitatis præſidio non eget (quemadmodũ diximus) quia nec quicquã prętermittit, qđ ſuppleri debeat, nec nimis generales conſtituit regulas quæ mox ex eiuſdem naturæ præſcripto cõguſtari poſſint. At eadem ratione nec conſuetudo locũ dabit æquitati. Nam quod nimis reſtricta ſit, ſæpiſſimè quidem continget, ſed non erit hoc conſuetudinis uitiũ, quę ad ſingularia tantum facta dirigitur, priuſq; illa ſpeciatim decidit, atq; exequitur, q̃ in uniuerſum aliquid decernat. Quod autẽ nimis pateat, aut nimis generaliter aliquid ſtatuat, quod reſtrictionẽ mox deſideret, hoc cõtingere nullo modo poteſt, niſi proponas conſuetudinẽ aliquã, qua in ſcripturã redacta fuerit, ut redactæ fuerunt conſuetudines feudorũ; poteris enim reſtringere, & dilatare, non quidẽ cõ

20 ſuetudinẽ, ſed ſcripturã illã qua cõſuetudo continetur, ut de iure naturali ſupra diximus. Quod ſi ſcriptis mandetur, æquitatis moderationem expoſcit, non quidem quà naturale eſt, ſed quà legum ſcriptarum monumentis eſt conſignatum: Hæc igitur omnia nos ſpectauimus, cúm in hac æquitatis deſcriptione diximus ęquitatem ad ea pertinere, quę legibus ſcriptis præcipiuntur. Id enim nobis propoſitũ fuit, ut ius naturale, & ius gentiũ, & ius conſuetudinis excluderemus. Diximus præterea, uel dilatãdo, uel coanguſtãdo; ut magis diſtinctè exprimeremus duo illa legis uitia, quorum alterũ reſtrictionem deſiderat, ac uolente legiſlatore concipitur, nimirũ cum ille dedita opera generatim, atq; uniuersè legis uerba concipit, ut in exemplis ſupra allatis. Alterum uerò uolente legiſlatore inducitur, cum ſcilicet ille imprudens aliquid omittit, in quo poſteà ſuppletione opus ſit, ut l. ſi quis id quod. ff. de iuriſdict. omni. iud. l. 2. §. ſi mater. ff. ad Tertull. cùm aliis quas ſuperius adduximus. Solet hîc dubitari, quo pacto hæc tùm amplificatio, tùm reſtrictio facienda

21 ſit, ut æquitas dici poſſit; & an ipſa æquitas, ſi fortè deſcribatur, æquitatis nomen retineat: Qua in re nos breuiter cõcludimus, manere adhuc æquitatem, quoties ab eo deſcribitur, qui nullam condendæ legis poteſtatem non habuerunt, ut Accurſ. & alii, qui Iuſtiniani leges ſcriptis interpretati ſunt. Si uerò qui leges condere poteſt, priores leges ex æquo & bono interpretetur, idq; eo animo faciat, ut uelit in eundem modum ab omnibus illas ſeruari, hæc interpretatio amittit ęquitatis nomen, legis aſſumit. Incipit uerò ipſa quoque egere alia interpretatione, cui pariter hoc ipſum æquitatis nomen rectè tribuemus. Quod ſi hæc quoque incipiat uim legis obtinere, aliam æquitatem deſiderabit. Sic ſemper æquitas in legem conuerſa nouę æquitati initium, atque occaſionem præbebit. Conſtat ius prætorium ab æquitatis quaſi radicibus pullulaſſe, ut docet Papinianus in l. ius autẽ. ff. de iuſt. & iu. cum dicit illud adiuuandi, uel ſupplendi, uel corrigẽdi iuris ciuilis gratia propter publicam utilitatem à prætoribus fuiſſe introductum; Nihil enim aliud ſibi proponebant Prætores, quàm ut leges ciuiles à nimia illa ſubtilitate ad ius naturæ ex ęquo & bono reuocarent. Poſteà uerò ęquitas Prętoria autore Diuo Adriano deſcripta fuit à Saluio Iuliano, atque in Edicti illius perpetui formam redacta, de quo tàm

tam crebram in noſtris legibus mentionē habemus,ut in l.2.C.de uet.iur.enucl. l.ſi quis ſeruum.C.de condict.indeb.l.2.ff.de ſtatu hom.l.ult.inf.de appellat.recip.l.5.ff.de extraor.crim.Quare poſteà Vlpiani opera fuit neceſſaria,qui Edicta prætorū ex æquo & bono interpretaretur,vt ēt aliorū,qui ante Vlpianū id fecerunt. Vlpiani rurſus traditiones imperiali autoritate probatæ noſtrorum interpretum induſtriam excitarunt, ut in ijs explicandis æquitatis munus exercerent. Poſtremò quoniam eo res hodiè redacta eſt, ut cōmunes noſtrorum interpretum ſententiæ multis in locis pro legibus obſeruentur, quamuis reclamante Iuſtin. in l. 1. §.ſed neq; ex multitudine. C. de uet. iure enucl. propterea non ſecus ac ſi uerè leges eſſent, iſtæ ipſæ pariter interpretum traditiones æquitatis moderationem deſiderabunt. Diximus; non præter ueriſimilem legislatoris mentem; ut ſimul 22
cum Ariſt. oſtenderemus, æquitatem à legis abrogatione, & correctione differre. Item etiam a diſpenſatione; Diſpenſare enim non eſt ex æquo & bono interpretari, ſed à lege excipere quempiam ex ſubditis, eique licentiam,& facultatem concedere, ſine qua legi eſſet obnoxius. Ac quamuis habeamus non poſſe Prælatum ſine cauſa diſpenſare, ut ait Rom. Pont. c.innotuit extra de elect. Et paſſim noſtri interpretes inculcant, ut Innoc. in c.diuerſis de cler. coniug.Caſtrenſ.conſ.117. & Oldradus conſ. 155. tamen cauſa non 23
requiritur eiuſmodi,quæ ad legem ex æquo & bono temperādam per ſe ſatis eſſe poſſet, quę ſi adeſſet,ut uerè ſemper adeſt, quoties contingit legis obſeruationem naturali rationi, ipſiusque legislatoris ſententiæ aduerſari, haudquaquàm certè egeres diſpenſatione, ſed ipſo iure à legis præcepto ſolutus eſſes.Id quod ſubiecto exemplo clarius perſpicietur Sanctiſſimo Romanæ Eccleſiæ inſtituto iubemur certis diebus ab edendis carnibus abſtinere. At ſi fortè eueniret,ut tu non poſſes à carnibus abſtinere, quin fame perires, licitè 24
illis abſque ulla diſpenſatione uti poſſes, Sicque poſſes ab eccleſiæ præcepto propria autoritate eum caſum excipere,æquitatis ſcilicet ea in re uſus temperamento. Neque enim exceptio illa præter uerisimilem Pontificum mentem eſſe iudicari debet. Verùm ut tibi facere id liceret,cauſa illa non ſatis eſſet, quod carnis forſan coercione non indigeres,ob quam cauſam maximè ieiunium ab Eccleſia inductum eſt.Neque enim tunc æquitati,ſed tantùm diſpenſationi locus eſſet, ut rectè ex Diui Thomæ, aliorumque ſententia concludit Domin. Sotus lib.1. de iuſt. & iure quæſt.7. art. 3. Quod poſtremò diximus: moderatur: æquitati maximè conuenit, ſola enim æquitas ius nobis ſuggerit, quo ad legum moderationem utamur,ſola modum cōmonſtrat,quem ad legum interpretationem adhibeamus, cum rectiſſimus ille,imò uerò ſolus fruendarum legum modus ſit, qui ab ęquitate conſtituitur. Neque uerò tunc tantùm conuenit ęquitati hoc uerbum moderari, cum æquitas ad benignitatem uergit, ſed etiam cum ad ſeueritatem inclinat, ut ſupra ex Tranquillo oſtendimus,qui dicit ſolitum fuiſſe Claudium æquitatem legum in eo moderari, quod ſæpè maiore fraude conuictos legitimam pœnam excedens ad beſtias condemnarit.

## ARGVM.

Aequum & bonum, tametſi propriè id ſignificat, quod hucuſque explicatum eſt, poſſe tamen loquendi uſu ad ea quoque deflecti, quæ illi proxima, & annexa ſunt, atque ideò quas Beluiſius,Baldus,& alii docuerunt æquitatis ſignificationes à ueritate non prorſus abhorrere.

Sumitur

1 Sumitur interdũ æquitas pro moderat ione quam Græci dicunt ἐυγνωμοσύνην.
2 Item pro iure,& iuſto.
3 Aequitatem aliquando appellauit Ariſt. iuſtum non ſcriptum.
4 Non prorſus err arunt,qui dixerunt æquitatem eſſe iudicium rationis.
5 Qua ratione poſſit rectiſſimè cognoſci,ſitne aliquid æquiuocum,uel uniuocum.
6 Quæ ratio ſit,cur pro benignitate ſæpiſſime æquitatis uocabulum ſumatur.
7 Ad mitiorem ſenſum utplurimum uerba legis contorquenda ſunt.
8 Promiſcuè utitur Ariſt.æquitatis nomine & pro benignitate,& pro laxamẽto uerborum.
9 Nonnunquam etiã parilitatem,atq; æquabilitatem æquitatis uocabulo ſignificamus.
10 Ex Beluiſio, & Blado uariæ huius uocis ſignificationes numerantur,quæ à prædictis haud prorſus abhorrent.

## CAP. XXXII.

HAbemus iam ueram, in fallor, ęqui & boni, ſicque etiam æquitatis ſignificationem. Nunc uerò ſciendum eſt,nõ hoc modo æquitatem ſemper ſumi.Nam de æquitate idem euenit,quod de iure ſupra diximus,ac de omnibus propemodũ uocabulis euenire uidemus,ut quanuis unum aliquid propriè ſignificent, tamen ad ea quoque quæ illi proxima,ac quaſi finitima ſunt,loquendi uſu deflectantur. Itaque hoc uerbum æquitas, ad ea quoque interdum referri ſolet, quę cum æquitate, uel modo uel genere, uel effectu conueniunt. Primò quia ſemper qui utitur æquitate, moderationem adhibet quandam, ac quaſi temperamentum, ideo uſus obtinuit, ut ęquitas
1 pro animi moderatione ſumatur, quacunque tandem in re eiuſmodi moderatione utamur. Quare cum moderatam æquabilem, ac tranquillam animi affectionem ſignificare uolumus,atque ab omni indignationis impetu alienam, quam Græci ἐυγνωμοσύνην uocãt, ſæpe æquitatis uocabulum uſurpamus. In hac ſignificatione æquitatem accipit Cicero cum in orat. pro Marcello,Cæſarem,qui ſe mortem optare dixerat, ſic alloquitur: Sæpe (inquit) uenit ad aures meas, te idem illud nimis crebrò dicere, ſatis te tibi uixiſſe.Hìc tu modum uitę tuæ non pro ſalute Reipub. ſed æquitate animi definies. Hinc æquum animum dicimus moderatum, & tollerantem, ut Plautus in Aulularia. Pol ſi eſt animus ęquus tibi, ſatis habes qui uitam colas. Sic Cicero de ſenectute dicit, ſapientiſſimum quemque ęquo animo mori, ſtultiſſimum iniquiſſimo. Hoc idem & apud Græcos obſeruatur,qui hãc,quam,diximus animi moderationem nõ ſemper ἐυγνωμοσύνην, ſed interdum ἐπιεικέιαν appellant, quo uocabulo æquitatem magis propriè ſignificant,Idq; eum non latuit,qui diuinas Pauli Epiſtolas uertit, nam cap.4.ad Philipp.Pauli ſenſum exprimit his uerbis.Modeſtia ueſtra ſit nota oĩbus.Et tamen in Grę co Codice non ἐυγνωμοσύνη, quæ magis propriè modeſtia eſt, & æquanimitas,ſed ἐπιεικέια legitur;Quod ipſum animaduertit & Diuus Thomas.in 2a 2æ quæſt.120.art.2. Solet etiã frequenter hoc uocabulum,æquitas,ad iuſtitiam referri, idque ea ratione, quia æquum
2 & bonum cum iuſto genere conuenit. Et licèt non omne iuſtum ſit æquum & bonum,tamen quia quod eſt æquum & bonum,idem ſemper & iuſtum eſt, ideò uſu receptum eſt, ut hęc uox ad quodcunque iuſtum referatur. Quemadmodum æs,gratia exempli,certã quandam metalli ſpeciem tantùm ſignificat ab auro, argento, ferro, aliiſque ſpeciebus diuerſam.in uenditionibus. C. de contrah. empt. et tamen pro quacunque metalli ſpecie ſolet uſurpari. l. etã. ff. de uerbo. ſign. Vnde non malè Cicero in Topicis æquitatem dixit eſſe, quod naturalis ratio perſuaſit, quamuis hæc dffinitio iuri,& iuſto conueniat.

niat. l. omnes populi.ff.de iuſt.& iure & §. quod uerò inſt. de iure nat. gent.& ciu. Ariſtoteles etiã æquitatem iuſtũ non ſcriptum appellat.lib. 1. Rhet. cap. 13. ibi enim iuſti 3
non ſcripti duas partes conſtituit; unam,quæ eſt poſita,in exuperantia uirtutis,& uitii,vnde manat probrum, infamia, dedecus, contraque etiam laus, honos, & præmium; ueluti benemeritis de nobis gratiam referre,& habere,amicis opitulari,& alia eiuſdem generis, Alteram verò iuris non ſcripti partem dicit ſitam eſſe in iis, quæ ſunt ſcripto legum prętermiſſa, ad quę dicit poſtea æquitatem pertinere. Quapropter non prorſus errarũt, qui dixere ęquitatem eſſe iudicium rationis, ſiue ( ut ait Bald. in l. 1. ff. de iuſt. & iu. ) 4
applicationem animi ad rectum iudicium; quia ubi ius ſit, ibi neceſſe eſt & iudicium rationis,& hanc animi applicationem interuenire. Atque hoc modo æquum & bonum
“ non ſtricto iuri, ſed iniuriæ,& iniquo opponetur, unde Tullius. Benè præcipiunt ( in
“ quit ) qui uetant quicquam agere, quod dubites æquum ſit, an iniquum, æquitas enim
“ lucet ipſa per ſe, dubitatio autem cogitationem affert iniurię. Æquum ab iniquo, & ab iniuria ibi Cicero diſtinguit, unde apparet eſſe hanc ſignificationem ab ea diuerſam quam maximè propriam eſſe diximus. Etenim ſecundum propriam ſignificationem aduerſatur æquum ſtricto iuri;ſecundum hanc uerò aduerſatur iniquo. Et hac ratione maximè dicit Ariſt.lib.1. Topic.poſſe nos cognoſcere æquiuocum aliquid eſſe, & multipliciter dici, nempe cùm unum pluribus opponitur, quæ inter ſe diuerſa ſunt. Sic enim 5
dicimus graue ęquiuocum eſſe, quoniam & leui opponitur, & acuto, quæ duo penitus inter ſe differunt. Pro humanitate præterea, & benignitate æquitas ſæpiſſimè ſumitur, 6
quod ea ratione fit,quia re ipſa, & effectu ut plurimum conueniunt. Licèt enim æquitas interdum ſeueritatem exigat, tamen perrarò hoc contingit, propterea quod leges nullum fermè delicti genus prætermittunt, quin merita pœna illud coerceant, ita ut æquitatis præſidium ea in re parum ſit neceſſarium. Quoniam uerò dum generatim legumlatores delictis pœnas decernunt, eos etiam caſus ſæpè complectuntur, in quibus ueniæ locus eſſe debet, nunquam fermè illud uerborum laxamentum fit, quod æquitatis proprium eſſe diximus, quin uerba legis ad mitiorem, humanioremque ſenſum torqueantur. Hinc porrò fit, ut qui legibus exponendis benigni,& faciles ſun t, ęqui & boni uiri 7
nominentur; quibus propterea opponuntur qui ab Ariſt. appellantur ἀκριβοδίκαιοι hoc eſt acerbi,& maligni iuris interpretes; atque hi ſunt quos tanquam a b omni æquita-
“ te alienos damnat Modeſtinus in l.nulla.ff.de legib. Nulla(inquit) iuris ratio,aut æqui
“ tatis beni gnitas patitur,ut quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos
“ duriore interpretatione producamus ad ſeueritatem. Hac de cauſa Ariſto. promiſcuè æquitatis nomine utitur & pro benignitate,& pro laxamento uerborum, ut lib.1.Rheto. 8
cap. 13. quo loci cùm declaraſſet æquum & bonum eſſe, quod præter legem ſcriptam
“ iuſtum eſt, ad a liam decurrit ſignificationem, & ita inquit. Æquum eſt etiam rebus hu
“ manis ad ignoſcendum commoueri, & non legem, ſed legis ſcriptorem, & non uerba,
“ ſed ſententiam ſpectare,nec factum, ſed uoluntatem, cum reliquis quæ ſequuntur. Po 9
ſtremò quoniam æquitatis munus eſt, ut à ſimilibus ad ſimilia progrediatur, & in paribus cauſis paria decernat, ut rectè docet Accur. in l. placuit. in uer. quàm ſtricti iuris.C. de iudic. Eàobrẽ obtinuit etiam uſus, ut pro quacunque paritate, atque æqualitate æquitas accipiatur ut l. ult.C.de fruct.& lit.exp. l.ut liberis.C. de collat. Et ad hęc quę diximus poſſunt ſat congruenter referri illæ quinque æquitatis ſignificationes, quas poſt Iacobum Beluis. refert Bald. in c. 1. §. ad hoc de pa. iuram. firm. alias in c. unico de allod. nu.18.

Digitized by Google

10 nu.18. Primò dicit ex Accurſij ſententia ſumi æquitatem pro quadam conuenientia, quæ in paribus cauſis paria iura deſiderat. Et hoc modo eam diſtingui contra iniquitatem. l. ita uulneratus. ff. ad l. Aquil. l. bona fides. ff. depoſiti. Secundò diſtinguunt eam contra rigorem, & iuris ciuilis regulas, ad quod adducunt. l. ſi quis ſeruo. C. de furt. & l. ſi quis ſeruum. §. ſequitur. inf. tit. noſtro. Tertiò accipiunt pro mente, & ratione legis. l. ſcire oportet. §. ſi maximè. ff. de excu. tuto. Quartò pro iure, & iuſtitia. l. 1. in princ ff. de iuſt. & iur. Ac poſtremò etiam æquitatem appellant temperantiam, & ęqualitatem, ut l. illam. C. de collat. cum autent. ſequẽti. Verè quidem Beluiſ. & Bald. ab ijs, quæ « nos de æquitate docuimus, non multum diſſentiunt, Sed tamen nec rectè legibus, quas adducunt, ſingulas applicant ſignificationes, neq; ita illas inter ſe diſtinguũt, ut æquitatis uim, ac proprietatem planè tenuiſſe exiſtimari debeant. Cum una tantũ ſit uera, & propria ęquitatis ſignificatio, à qua cætera (ut diximus) cuiuſdã ſimilitudinis ratione proflu xerũt. Quanquàm ſępè etiã apud iuriſconſultos æquitas p̃dictis oĩbus modis uſurpatur.

## ARGVM.

NOn ſatis perſpicuum eſſe, poſſintne iudices ex æquo & bono leges interpretari, an uerò hoc ſolis Principibus reſeruatum ſit, Multa enim hinc, & inde extare argumenta, quibus uideatur utraque opinio plurimùm iuuari.

1 Antinomia duarum legum Conſtantini.
2 Aequitatem ſcriptam rigori præferendam eſſe frequentius receptum eſt, præterquam in tribus caſibus.
3 Quæ maximè leges communi ſententiæ faueant, quatenus æquitati non ſcriptæ rigorem præferri concludunt.
4 Differentia inter arbitrum, & iudicem ex Ariſtotele.
5 Quid interſit inter iudices, & Senatum, populumve.
6 Multæ contra afferuntur leges, quę ad æquitatem iudices inuitant.
7 Damnantur qui ſub autoritate iuriſprudentię ab ęquo & bono recedunt.
8 Summum ius ſummam iniuriam, ſummãque crucem ueteres dixerunt.
9 Quomodo illud Salomonis accipiẽdũ ſit: Noli eſſe iuſtus nimium.
10 Aequitatẽ abſolutè eſſe rigori præferendam, & iuriſconſultorum, & Imperat. & Pontificum legibus receptum eſt.
11 Communis intelligentia. l. placuit. C. de iudicijs refertur, & reprobatur.
12 Qui communem hanc intelligentiam defendere uoluerint, neceſſariò concedere debent leges contrarias reperiri.
13 Perſuadet ſibi Iuſtin. nihil ſe pugnans in toto iure reliquiſſe.

## CAP. XXXIII.

QVoniã uidimus, quid propriè æquitas ſit, & quàm uarijs modis accipiatᷣ, nũc deinceps uideam⁹ quinã illi ſint, qui ęquitate uti poſſunt; Et nũquid iudiciorũ licẽtia tàm latè pateat, ut poſſint iudices ex æquo & bono ſuggerere, quod ipſis legib⁹ deeſt, an uerò ſolis Principib⁹ hoc fuerit reſeruatũ; ita ut nullis alijs fas ſit, æquitatis ſpecie ſcriptas leges ſubterfugere, earũq; propterea autoritatẽ illudere, atq; aſpernari. Et Cõſt. quidẽ in l. placuit. C. de iudic. iudicibus quoq; æquitatis uſum cõcedere uideť. Placuit « (inquit) in omnibus rebus, præcipuam eſſe iuſtitiæ æquitatiſq;, q̃ ſtricti iuris rationem. « Quæ uerba proculdubio ad iudices referẽda ſunt, ut titulus ipſe ſatis indicat, qui de iudi
1 cijs inſcribitur. arg. l. Imperator. ff. de in diẽ addict. Sed (quod meritò oẽs mirenť) idem Conſtant. parum hac in re ſibi conſtans quã hìc iudicibus concedit poteſtatẽ, alibi uidetur apertiſſimè ipſis denegare, ac ſibi ſoli reſeruare, nã in l. 1. C. de legib. his utitur uerbis,

« Inter æquitatem & ius interpoſitam interpretationem nobis ſolis & licet,& oportet inſpicere. Magis mouet noſtros interpretes hæc prohibitio, quàm ſuperior illa conceſſio, ac propterea concludunt legi ſcriptæ non eſſe præferendam æquitatem, niſi ipſa quoque æquitas in ſcripturam redacta ſit. Ita Accurſ. in d. l. 1. in uer. ius. in prin. & in l. placuit in uer. in omnibus. in fin. quem ibi Alex. & Iaſ. cum *alijs* fermè omnibus ſequuntur, & ijs etiam ſe ſubſcribit Dec. in l. in omnibus quidem. ff. de reg. iur. Ad l. placuit reſpondent, non de quacunque æquitate ibi loqui Conſtantinum, ſed de æquitate tantùm ſcripta, quam ſolam concedunt rigori legis ſcriptæ præferendam eſſe. Diſtinguunt ergo inter æquitatem ſcriptam,& non ſcriptam. Aequitatem ſcriptam fatentur rigore potiorem eſſe debere, præterquàm in tribus caſibus, 2
quos ab hac regula excipiunt. Primus eſt, cum ęquitas generatim, rigor uerò ſpeciatim nobis lege traditur, ita Dyn. in reg. poſſeſſor. de reg. iur. in 6. Io. And. in c. ult. de ſolut. Lud. Rom. in l. ſi inſulam in 7. col. inf. tit. noſtro. Alex. & Iaſ. in d. l. placuit. C. de iudic. Idque probant ex l. 1. ff. de uſucap. iuncta l. nam hoc natura. ff. de condict. indeb. Præterea illum caſum excipiunt, cum rigor lege poſteriori continetur, tunc enim eo ipſo rigore æquitati legis præcedentis derogari dicunt, ita gloſſ. & Doct. ac præſertim Imol. in c. extirpanda. extra de præbend. Dicunt tertiò huic regulæ non eſſe locum in arbitrarijs: in ijs enim poſſe iudicem ſequi rigorem ſcriptum, & ab æquitate recedere, ſic But. in c. 1. in 6. de conſtit. Bald. in l. 1. C. de legib. Iaſ. in d. l. placuit. C. de iudic. Hanc regulam cum his limitationibus, quantum ad ęquitatem ſcriptam tantummodo conſtituunt. Sed quando æquitas non eſt ſcripta, *tunc nulla* adhibita diſtinctione æquitatis uſum planè iudicibus adimunt, ac ſoli Principi reſeruant, adducti potiſſimum illa l. 1. C. de legib. Videtur etiam maximè iuuari hęc 3
ſententia ex l. leges ſacratiſſimæ. eod. tit. quo loci ait Valentin. ſolius Imperatoris interpretatione patefieri oportere, ſi quid in legibus relatũ fortaſſis obſcurius fuerit. Quod idem ſtatuit & Leo in l. ſequenti. Sed omnium maximè hoc inculcat Iuſtini. in l. ult. eiuſd. tit. ubi. « Si in præſenti (inquit) leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt, & « leges interpretari ſolum dignum imperio eſſe oportet. & paulò poſt. Quare omnes « ambiguitates iudicum, quas ex legibus oriri euenit, aures accipiunt noſtræ, ſi non à « nobis interpretatio mera procedit? Quibus omnibus legibus reſpondet etiam quod tradit Iul. in l. & ideo. ff. de legib. cum ait de ijs, quę primò conſtituuntur, ſi fortè ea dubia ſint, optimi Principis aut interpretatione, aut conſtitutione certius aliquid ſtatuendum eſſe: Facitq; inſuper. l. ſunt perſonæ ſumpto inde arg. à ſpeciali. ff. de relig. & ſumpt. fun. Sed inter alias omnes nulla eſt lex, quæ apertius hoc probet, quàm l. proſpexit. ff. qui & à quibus. quo loci non audet Vlp. uerba legis Iuliæ ex æquo & bono in eo interpretari, in quo maximè opus fuiſſet, ut ipſius legis aſperitas temperaretur, unde. « Perquàm durum eſt (inquit) ſed ita lex ſcripta eſt. Hæ uerò leges atq; aliæ omnes, quę iudici æquitatis uſum adimunt, cum eo cõueniunt, quod tradit Ariſtot. lib. 1. Rhet. cap. 13. ubi differentiã inter iudicẽ, & arbitrũ ita conſtituit, ut dicat arbitrũ intueri æquum & 4
bonũ, iudicẽ uerò id ſolũ, quod lege cautũ eſt, ideoq; eligi arbitrũ ſolere, ut ęquum & bonũ præualeat: quibus uerbis oſtẽdere uideť debere iudicẽ uerba legis ſpectare, ac nõ legis ſenſum ex æquo & bono interpretari. Vnde & in ſacris paginis illud habet: Nõ miſereberis in iudicio pauperis, hoc eſt enim de alieno largiri, debitã pœnã remittere. Ac deniq; plurimum ſuffragantur huic cõi ſententię, quæ ſupra retulimus ex Tullio lib. 2. de inuent.

Digitized by Google

de inuent. & in orat. pro Q. Ligario, ubi populo tantùm, & Senatui, ac non iudi-
5 cibus concedit, ut in iudicando à uerbis legis recedere poſſint. Cuius diuerſitatis ra-
tio manifeſta aſſignari poterit, nam & populus, & ſenatus ius facere poterant.l. non
ambigitur.ff. de legi & §. lex eſt, cum §.ſequent. inſt.de iure nat.gent.& ciuil.quod nõ
poſſe iudices compertiſſimum eſt. At pro contraria ſententia, & affirmatiua permultæ
paſſim ſunt leges, quæ tàm apertè ad æquitatem nos inuitant, ut rectè illis reſpondere
6 nemo poſſit, qui non & ſibi ipſi, & alijs mentiri uelit. Et primò Paul. in l. in omnibus
ff. de reg. iur. In omnibus quidem (inquit) maximè tamen in iure æquitas ſpectanda
eſt. Si in omnibus, ergo non in ijs ſolis caſibus, in quibus æquitas ſcripta eſſe repe-
ritur. Præthereà, cùm de æquitate ſimpliciter Paulus loquatur, nihil minus dicendum
eſt, quàm de æquitate ſcripta illum intellexiſſe: Cùm imò faciat legis ſcriptura, ut quæ
prius æquitas fuerat, æquitatis nomen protinus amittat, utpotè quæ in legis ſcriptæ in-
terpretatione, atque in quodam uerborum laxamento tantùm conſiſtit. Quę cauſa
potiſſimum facit, ut noſtri interpretes plerunque decipiantur, quoniam ipſi æquita-
tem ubique pro benignitate accipiunt. At, uel ſi cùm benignitate ęquitas coniuncta
ſit, ut ſæpiſſimè contingit, non minùs tamen idcircò Paul. in ea lege aditum ad eam
iudicibus concedit. Secundò, contra communem ſententiam facit.l.&ſi quis.§. idem
Labeo.uerſ.& generaliter.ff. de relig. & ſump. fun. ubi Vlp. de æquit. non ſcripta, lo-
quitur in hunc modum. Et generaliter puto iudicem iuſtum non meram negotio-
rum geſtorum actionem imitari, ſed ſolicitiùs ęquitatem ſequi, cum hoc ei & actio-
nis natura indulget. Idem Vlp. in l. quod Epheſi in §. interdum. in fi.ff.de eo quòd
cer. loc. In ſumma (inquit) antè oculos æquitatem habere debet iudex, qui hac
actione aditus eſt. Tertiò Celſus in l. ſi ſeruum.§. ſequitur inf. eod. errare eos affir-
7 mat, qui ſub autoritate iuriſcientię dum eius regulas nimis ſuperſtitioſè obſeruant,
ab æquo & bono recedunt: nam cum ibi dixiſſet propoſitam quæſtionem ex æquo &
bono eſſe, poſteà ſtatim ſubijcit. Quo in genere ſub autoritate iuriſcientię per-
nicioſè erratur. Huc etiam reſpexit idem Celſ. in l. ſcire leges. ff. de legi. cum di-
xit, ſcire leges non eſſe uerba earum tenere, ſed uim & poteſtatem. Qui uerba le-
gum rigidè ſectantur, uerè illi dicuntur ſummo iure uti. Hoc uerò nullo unquàm
tempore non ſummoperè fuit improbatum. Semper enim uel antiqui omnes ſum-
8 mum ius ſummam iniuriam, quin uerò (ut refert Columel. lib. 1.) ſummam cru-
9 cem eſſe exiſtimarunt. Nec ſanè alius ſenſus Salomonis fuit, cum nimium iuſtos
nos fieri uetuit, non enim tàm iuſtos ijs uerbis damnaſſe exiſtimandus eſt, quàm
eos qui ſummo iure uterentur. Vnde rectè Cicero lib. 1. offic. inter alia iniuria-
rum genera ſtatuit illos quoque iniurioſè agere, qui in eum, quem diximus mo-
dum, ius interpretantur. Hęc enim iniquitas ueriùs, quàm iuſtitia appellari poteſt,
ut idem Cicero appellat, cum in orat. pro Cecinua, ita inquit. Nam cæteri tum
ad iſtam orationem decurrunt, cum ſe in cauſa putant habere æquum & bonum,
quod defendant: ſi contra, uerbis & literis, & (ut dici ſolet) ſummo iure conten-
ditur, ſolent eiuſmodi iniquitati boni & æqui nomen, & dignitatem opponere.
Longum eſſet ſi loca omnia uel ex noſtris legibus, uel ex alijs autoribus uellem per-
cenſere, in quibus & monemur, & iubemur à uerbis legum ex cauſa recedere, & ſummo
iuri, ſtrictæq; uerborum interpretationi æquitatem anteponere. Habemus hoc in l. beni
10 gnius.ff.de legib. in l. ſi tibi, in l. ſi me & Titium.ff.ſi cert. petat. in l. ſed dicendum eſt.

Z 2 ff.de

ff. de in rem uerſo.l ſi quis mancipijs.§.ult.ff.de inſt.l.ſi quis filium.§.ult. ff. ad Trebel. l. diuus.ff.de in integ. reſt.l.Imperatores.ff. de appel. Ex uarijs etiã Imperatorũ cõſtitutionibus rectè hoc colligere poſſumus, ut ex l.2. ubi Bald. in 1. notab. C. de reſcind. uend. ex l.1. in fi. C. de interdict. l. ſi defunctus.C. de ſuis & legit. l. ſi quis in ſuo.§. §. legis.C. de inoffi. teſt. l. ult. §.cum autem.C.de furt. authent. ut ſine prohib. mat.in princ. ubi Accurſ. in uer. exiſtimamus. Hoc idem & Pontifices multis in locis oſtendunt, ut in c. ult. de tranſact. in c. quærenti.de offic. deleg. c. magnę. extra de uoto. Verùm ut maximè deeſſent aliæ omnes & leges, & rationes, ſatis tamen apertè iudicarẽ ego æquitatis uſum iudicibus cõcedi illa una cõſtitutione quæ habetur in d.l.placuit, 11 dum ibi ſtatuit Conſtant.debere omnibus in rebus potiorem iuſtitiæ,æquitatisq;,quàm ſtricti iuris rationem eſſe.Frequentiùs noſtri legunt,æquitatisq; ſcriptæ,ſed caſtigatiores Codices non habent illud uerbum ſcriptæ,ut neque Ant.Auguſt.illud recipit lib.4.ſuarum emendationum cap. 8. Quocircà ipſe eò feror coniectura,ut putem additum hoc uerbum ab expoſitoribus fuiſſe, qui neque ſatis tenebant, quid æquitas eſſet,neque alia ratione poterant hanc legem conciliare cum l.1.C.de legib. Videturq; mihi hoc probabilius,quàm quod tradit hìc Franc.Cõnan. qui exiſtimat Cõſtantinũ cum dixit ſcriptæ æquitatis, de ea intellexiſſe, quæ ſcriptis legibus interpretandis adhibetur, & quæ iuri ſcripto ſubminiſtrat naturæ bonitatem, atque clementiam: uoluiſſe autem hanc ſeparare ab alia ęquitate, quæ in exuperantia uirtutis, aut uitij poſita eſt; cum ſcilicet non tantùm ea facimus, quæ legibus præcipiuntur,ſed etiam cum amicis opitulamur, bene meritis gratiam referimus, atque eiuſmodi alia ſeruamus, quibus uel ſi lege inuiti non aſtringamur, ijs tamen maiorem laudem comparare, & ab omni planè reprehenſione alieniſſimi eſſe poſſumus, ut ex Ariſtot.lib.1.Rhet.ſupra nos retulimus. Probabilis certè hæc coniectura eſt, ſed mihi tamen longè magis ſuperior arridet, eoq; præſertim, quia Ariſtot. hoc ipſum,quicquid ſit, quod in exuperantia uirtutis, & uitij conſiſtit, non æquitatem appellat, ſed partem iuris non ſcripti, ſolamq; illam alteram, quam ab hac diſtinguit, iuris non ſcripti partem in ęquitate ponit. Vtcunque tamen hoc ſeſe habeat, illud certè uidetur mihi poſſe conſtanter affirmari,nihil eſſe abſurdius,quàm id quod frequentius uolunt Doct. nimirum loqui Cõſtantinũ de ea tantùm æquitate, quę in legis ſcripturam redacta eſt, unde quãcunque potius aliam ſolutionem libentiùs admiſerim: Vt enim omittam non rectè tunc poſſe ęquitatem illam dici,cum in legem ſcriptam conuerſa fuit, utq; leges tàm multas prætereã, paulò antè à nobis adductas,quæ de æquitate idem diſponunt,quod Conſtant. in d.l.1.dum ęquitatis præcipuã rationem haberi uolunt,neque tamen inter ſcriptam, ac non ſcriptam æquitatem diſtinguunt, Satis hoc mihi uidetur eſſe argumenti ad communem hanc ſolutionem refellendam, quod ſi hanc recipiamus expoſitionem, ac cum Doct. concludamus, tunc tantùm ſtricto iuri præferendam eſſe æquitatem, cum ęquitas ſcripta eſt, & in legis formam redacta, nul- 12 lo alio modo facti ſpeciem in illa l. 1. poterimus conſtituere, niſi cùm forte duas leges inter ſe contrarias reperiemus, quarum altera ſtrictum ius, altera uerò æquitatem contineat, Id quod ipſi interpretes poni poſſe non inficiantur: imò perſæpè hac utuntur diſtinctione, cum duas offendunt leges, quæ inter ſe uideantur pugnare, neque earum conciliandarum rationem ullam inueniunt, ut dicant unam ex rigore procedere, alteram ex æquitate. Verùm hoc perabſurdum eſt, minimeque meo iudicio concedendum. Puduiſſet enim Cõſtantinũ fateri, leges eas inter ſe contrarias



Digitized by Google

trarias eſſe, quibus ſe imperante uniuerſus propemo dum terrarũ orbis uteretur. Ac uel ſi maximè hoc Conſtãt. ea lege conceſſiſſet, tamẽ nõ eã certè legem in ſuã compilationem recepiſſet Iuſtin. qui in his omnibus legibus, quas nobis ipſe in hunc modum diſpoſitas
13 reliquit, nihil pugnans ſe reliquiſſe profitetur. l. 2. §. contratium autem. C. de uet. iur. enu cle. Vnde optimè intelligitur, friuola ea omnia, ac prorſus inania eſſe, quæ de concurſu rigoris, & æquitatis ſcriptæ noſtri interpretes tanto apparatu comminiſcuntur.

## A R G V M.

QVæ diſtinctio adhibenda ſit, ut propoſita quæſtio penitus dirimatur, & argumenta pro utraq; parte adducta ſimul concilientur.

1 Tria propoſitæ diſtinctionis capita.
2 Quoties uerba dubia ſententiam quoq; planè incertam reddunt, nullus æquitati locus eſt.
3 Perpẽduntur uerba legis ult. C. de legib.
4 Cum ex uerbis dubijs ſententia non prorſus incerta redditur, ęquitate uti non modo poſſumus, ſed debemus.
5 Aequitatis uſus, quàm ſit neceſſarius.
6 Non ſolum iudicibus permiſſum eſt, præter uerba legis iudicare, ſed etiam ſubditis præter uerba legis agere.
7 Solus uerborum cortex à pena delinquẽtem non excuſat.
8 Aequitas lucet ipſa per ſe, unde illud rectè. Quod dubitas ne feceris.
9 Non eſt locus interpretationi ex æquo & bono, quoties ſine uitio ſcripturæ uerba inflecti non poſſunt.
10 L. in ambigua. ff. de legib.
11 Intell. l. proſpexit. ff. qui & à quib.
12 Aliorum explicationes ad eam l. reprobantur.
13 Eſt interdum, cum etiam in principe damnanda ſit clementia.
14 Nimia Neruę facilitas reprehenſa.
15 Non eſt uni indulgendum quod alteri noceat.
16 Caſus in lege omiſſus ex æquo & bono ſuppleri non tantùm poteſt, ſed etiam debet.
17 Antiqui iuriſconſulti legis condendę poteſtatem non habuerunt.
18 Non temerè ad omnes caſus lex protrahenda eſt, in quibus prima fronte eadem ratio ſubeſſe uideatur.
19 In iis quę ſtricti iuris ſunt, caſus nõ expreſſus pro omiſſo babendus eſt.
20 Etiam in correctoriis extẽſio admiſſa eſt.
21 Quoties unica tantùm ratio aſſignari poteſt, illa habetur pro expreſſa.
22 Nihil refert ſit ne unica tãtùm legis ratio, an uerò ſint plures, quæ eadem ſententiam ſuadeant.
23 Lex nimis generatim concepta, licet non temerè, tamẽ ex æquo & bono coanguſtanda eſt.
24 Eſt interdum cum legis ratio non prorſus ceſſet, licet ceſſare uideatur.
25 Quod minor ſubſit ratio non ſatis cauſæ eſt, ut à generali regula recedamus.
26 Duo ſunt potiſſimum, ex quibus generalis legis reſtrictio deſumi poteſt.
27 Id ſemper apprimè uitandum, ne quid abſurdum inducatur.
28 Quibus ex rebus abſurdum aliquid eſſe uel non eſſe iudicandum eſt.
29 Errat Bart. qui ubi naturalis ratio reclamat, nõ cõcedit indiſtinctè reſtrictionẽ fieri debere.
30 Ad ſacrum ire non tenetur, qui ſcit in uia ſibi paratas inſidias eſſe.
31 Regula illa Ceſſante cauſa &c. quomodo accipienda ſit.
32 Statutum excludens fœminas maſculis extantibus, quam rationem habeat.

## C A P. X X X I I I I.

SVblata uerò hac communi ſolutione, uidendum eſt, num alia ratione ſimul conciliari poſſint illæ leges quæ ſuperius pro utraq; ſententia adductę fuerunt, Videntur enim illæ om-

læ omnes ſibi inuicem maximè aduerſari: cuius rei gratia neceſſarium eſſe exiſtimò tria
capita diſtinguere. Aut enim uerba uſq;adeò dubia ſunt,ut nihil planè ſit,ex quo uolun- 1
tas teſtatoris elici poſſit, ita ut non tantùm de uerbis, ſed etiam de ſententia dubitetur:
Aut uerba dubia quidem ſunt, ſed eorum talis eſt ambiguitas, quæ non tollat certitudi
nem ſententiæ, neque prorſus impediat, quominus ad uoluntatem & ſenſum legiſlato
ris aliquibus ueſtigiis perueniri poſſit. Aut denique uerba nulla ex parte dubia ſunt, ſed
undequaque apertiſſima, ita ut quod in ea lege ambiguitatis ineſt, id non ex uerbis oria
tur, ſed ex eo tantùm,quia aperta legis ſcriptura à uerisimili legiſlatoris mente uideatur
abhorrere.Vnde ea inducitur cauſæ conſtitutio,quam Rhetores legitimam appellant ex
ſcripto & ſentẽtia.Perquiramus ergo quid in ſingulis capitibus cõcludendũ ſit. Quod
attinet ad primum, cùm ſcilicet uerba ita dubia ſunt, ut dubiam quoque,ac planè incer
tam ſententiam reddant,conſtãter hìc puto poſſe nos affirmare, interpretationi ex æquo 2
& bono locum non eſſe. Ac nobiſcum hac in re ſentit Diuus Thomas in pª 2æ quæſt. 96.
art.6.cum reſpondet ad ſecundum arg.& in 2ª 2æ quæſt.120. art. 1.Quibus in locis ita in-
terpretatur uerba Conſtantini in l.1.C de legib.ut cum dicit, Inter ius,& æquitatem inter
poſitã interpretationẽ ſoli imperatori inſpicere licere, eo caſu loquatur,cùm non modò
dubia ſunt uerba,ſed ſententia eſt prorſus incerta.Ratio autem in promptu eſt,cur nullus
tunc poſſit eſſe æquitati locus.Nam idcirco tantùm adhibetur legi interpretatio ex æquo
& bono, ut legis uoluntas conſeruetur, ut docet Celſ. in l. benignius.ff. de legib.Nec ſa
nè longius æquitas progreditur, quam ut aptè ad ſcriptoris ſententiam uerbis *ipſis* uta-
mur, nam ſi conceſſum iudicibus fuiſſet, ex ſua potius,quàm ex legis ſententia interpre-
tari, magnus profectò eſſet aditus ipſis datus ad iniquè iudicandum, cùm ſemper ſuæ ini
quitati æquitatis nomen,ac dignitatẽ poſſent obtendere. Quare cùm nullo modo legiſla
toris ſententia ex ipſa lege elici poteſt, nihil aliud reliquum eſt, niſi ut principem adea
mus qui noua lege,ſi opus erit, uoluntatem ſuam teſtetur,apertamque omnibus reddat.
Atq; in hunc modum intelligi debet quod habetur in l. leges ſacratiſſimæ,atq; in l.pen.
& ult. C.de legib. aliiſq; item omnibus, quæ ſtatuunt ſoli principi legum interpretatio-
nem eſſe reſeruandam, nempe ut tunc uerum ſit,cum perplexa,atque incerta penitus ea-
rum ſententia eſt, quod uidetur mihi apertiſſimè Iuſtin. demonſtraſſe in illa l. ult. nam 3
cùm reddit ibi rationem, cur ſibi ſoli interpretationem legum uendicet, his uerbis uti-
« tur. Quis enim ænigmata ſoluere,& omnibus aperire idoneus eſſe uidetur, niſi is cui
« ſoli legiſlatorem eſſe conceſſum eſt? Quod etiã nõ obſcurè ſentit Iulia.in l.& ideò.ff.de le
gib.qui cum dicit certius aliquid ſtatuendum eſſe, oſtendit ſe de ea lege loqui, cuius ſen-
tentia obſcura ſit,& incerta. Nunc ueniamus ad ſecundum caput,nimirum quãdo uer- 4
ba dubia quidem ſunt, ſed non ita prorſus, ut ſententiæ certitudinem tollant. Ego hìc
non puto dubitandum eſſe, quin ex æquo & bono leges interpretari non modò poſſi-
mus, ſed etiam debeamus,ac multò magis ſententiam, quàm uerba ſpectare, imò enim
fraus legi fiet, ſi ſaluis uerbis ſententia eius circumueniatur l.contra legem.§.in fraudem
« cum l.ſequenti. ff.de legi. Nam,ut pulchrè ait Cicero pro Cecinna. Si uerba inter nos 5
« aucupabimur,ne domi quidem in ſeruos domeſticum ullum imperium habebimus, ſi ſer
« uulis hoc noſtris conceſſerimus, ut ad uerba nobis obediãt, nõ ad id quod uerbis intelli-
« gi poſſit, obtemperent. Hoc idem & Theologi præcipiunt, Hilariusque inter alios lib.
« 3. de Trinitate. Intelligentia(inquit)dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, quia nõ
« ſermoni res,ſed rei debet eſſe ſermo ſubiectus. Quapropter non debet abſurdum æxiſti

mari,

Digitized by Google

mari,quod poſſint hoc modo iudices a uerbis recedere, quinimò ſi id non poſſent,non modò permiſſum,ſed planè neceſſarium illis eſſet contra leges iudicare. Lex enim non uerbum legis, aut ſcriptum eſt, ſed ſententia, quam qui ſequitur, ex æquo & bono iudicat, qui uerò æquitate non utitur, ſicuti à ſententia recedit,ita contra leges iudicare exiſtimandus eſt. Quod diximus de iudicibus, idem & de ſubditis, quantũ ad hoc affirma
6 mus,ac de ſubditis ipſis loquitur Diuus Thomas, cùm hanc quæſtionẽ proponit: Vtrùm poſſimus præter uerba legis agere in p^a 2^æ quæſt. 96.art.6. Quemadmodum ergo iudices ita etiam ſubditi, qui ex lege uiuere uolunt, eum ſenſum uerborum minimè amplecti debent,quem rationi,& uoluntati legislatoris uiderint non eſſe conſentaneum, alioquin in legem peccabunt, nec ſolo uerborum præſidio tuti erunt, ut quia uerba ſequuti fuerint,
7 propterea pœnas legibus inſertas euitare debeant, ut expreſſim cautum habemus in l. 5. C. de legib. Non dubium eſt (ait ibi Theod.) in legem committere eum, qui uerba « legis amplexus contra legis mititur uoluntatem, nec pœnas inſertas legibus euitabit,qui « ſe contra iuris ſententiam, ſalua prærogatiua uerborum,fraudulenter excuſat. At ne « que eo nomine ſeſe poterunt excuſare, quod dicant aliam ſe legis uoluntatem eſſe neſciuiſſe, quàm quæ ex uerbis colligebatur arg. l. Labeo in fin. ff. de ſupel. leg. Primò quia pertinet hoc ſecundum caput noſtræ diſtinctionis ad eas leges, in quibus uerba du-
8 bia non prorſus incertam ſententiam reddunt.Deinde quia æquitas lucet ipſa per ſe,neq; hæſitationem affert ullam, ut pulchrè aduertit Cicero lib. 1. offici. cum hac de cauſa dicit, rectè eos præcipere qui monent ne id faciamus, quod dubitari poſſit,æquum an iniquum ſit. Tertium,& ultimum erat caput noſtrę diſtinctionis, cum uerba planè aperta ſunt, ac per ſe nihil obſcuritatis habet, quamuis eo modo, quo ſonant, non prorſus rationi,& iuſtitiæ congruere uideantur. Et hîc rurſus tres caſus cenſeo diſtinguendos. Video enim totidem modis euenire poſſe, ut uerba, quantùm ad illud quod in cõtrouerſiam deducitur,nullam obſcuritatem contineant. Primò enim aperta ſunt uerba, cùm illud ipſum,de quo agitur, expreſſim determinant,ac decidunt.Secundò cum prorſus illud omittunt. Tertiò & ult. cùm neque prorſus omittunt, neque etiam ſpeciatim decidunt, ſed generalibus id tantùm uerbis complectuntur. Primo caſu,cùm uerba legis illud ipſum tàm apertè decidunt, de quo diſceptatio eſt, ut ſine uitio ſcripturę inflecti
9 non poſſint,tunc nulla interpretatione, nullaque æquitate euitari poterunt, aut ad eum ſenſum contorqueri, qui prorſus à uerbis alienus ſit, nam cùm ad legis ſententiam interpretatio omnis, quæ fit ex æquo & bono,referenda ſit, non poterit uideri ea fuiſſe legiſlatoris ſẽtẽtia, quę uerbis perſpicuis aduerſatur arg.l.Labeo in fine.ff. de ſupell.leg. Vnde retinenda eſt ſignificatio, quæ uerbis conuenit,quamuis ex ea non talis ſententia col-
10 ligi poſſit,quæ rationi ſit conſentanea, & hoc probatur apertiſſimè ex l. in ambigua. ff. de legi. ubi cum dicat Celſus,accipiendam eſſe ſignificationem,quæ uitio caret,poſteaq; ſubiiciat, Præſertim cum etiam uoluntas legis ex hoc colligi poſſit, ſatis demonſtrat illa dictio, præſertim,uel ſi inde uoluntas colligi non poſſit,idem tamen concludi de
11 bere. In hunc modum puto eſſe accipiẽdum quod habetur in l.proſpexit.ff. qui & à quibus. Nam quod ibi Vlp.à uerbis legis Iuliæ non recedat, cùm tamen id maximè legis ratio expoſcere uideatur, nulla alia cauſa eſt, niſi quia uerba ita concepta erant,ut ſeruũ quoque illum,qui extra miniſterium mulieris fuerat, uel ſpeciatim exprimerent,uel aperta aliqua demonſtratione ſignificarent. Id quod optimè ex eo probatur, quia ex ſolis uerbis legis Iuliæ hanc ſuam deciſionem Vlp. deſumit, ac cum eius deciſionis rationẽ af-

fert

Digitized by Google

« fert ſola legis uerba conſiderat. Quia ita uerba (inquit) faciunt, ut nè eum quidem ſeruū, « qui extra miniſterium eius mulieris fuit, uel in agro, uel in prouincia, poſſit manumittere, uel alienare. Vnde rectè coniici poteſt, uerba legis Iuliæ in eo quoque caſu fuiſſe expreſſa, uel certè eum in modum prolata, ut apertam legis ſententiam redderent. Hoc modo aūt mihi uidetur ex lege Iulia argumētū ſumi potuiſſe, ut is quoq; ſeruus, qui extra miniſterium mulieris fuerat, ex legis ſententia comprehenderetur. Nam quantum ad ſeruos patris, & aui, matris, & auiæ, eos tantùm manumitti prohibebat, qui in miniſterium mulieris fuerant conceſſi, Ergo quantum ad ſeruos ipſius mulieris noluit lex Iulia hanc diſtinctionem adhibere arg. l. ex eo. ff. de teſt. l. qui teſtamento. §. mulier. ff. de teſtam. c. qualis 25. diſt. c. nonne. cum ſimil. extra de præſumpt. Et hæc fuit cauſa, cur Vlp. dipoſitionē legis Iuliæ ſine uitio uerborum reſtringi non poſſe exiſtimauerit. Durum tamen dicit hoc ipſum eſſe, ut eorum quoque ſeruorum manumiſſio, & alienatio fuerit prohibita, qui fuerant extra mulieris miniſterium. Verùm id forſan ſpectauit lex Iulia, quia ſi in illis prohibitionem remiſiſſet, maximus fuiſſet aditus patefactus, unde ipſi legi facilè fraus fieri potuiſſet. Itaque forſan non eſt, cur hoc nobis ita durum uideri debeat, ut Vlp. iudicauit. Hinc porrò apparet friuolam eſſe, minimeque neceſſariam diſtinctionem, 12
quam tradit Bar. in l. omnes populi. in 2. quæſt. 6ª. quæſt. princip. ff. de iuſt. & iu. cùm animaduertit in hac l. proſpexit. agi de lucro, de damno uerò agi in aliis legibus, in quibus reſtrictio fit, ut in l. quamuis. ff. de in ius uoc. in l. adigere. §. quamuis. ff. de iure patr. nam nil prorſus eſt, unde hoc Vlp. conſideraſſe colligi poſſet. Alias ſolutiones cæteri quoque interpretes uariis in locis certatim attulerunt, ut Bald. in l. non dubium. C. de legib. & in l. 2. C. quę ſit longa conſuet. Salyc. in l. ſi ſerui ueſtri. C. de noxalib. act. Crotus in d. l. omnes populi, Ruin. in l. 1. §. nunciatio. ff. de nou. oper. nunciat. qui omnes mirum in modum in lenienda huius legis duritie, quamuis (iudicio meo) fruſtra prorſus, inſudarunt. Ita concludamus apertiſſimè demonſtrari ex hac lege non poſſe legi ex æquo & bono interpretationem adhiberi, quoties ſine uitio uerborum ea interpretatio fieri non poteſt; eſſet enim hoc non æquitatis, ſed clementiæ. Clementia in rebus priuatis unumquemque maximè decet, cùm non aliorum, ſed propriam, quam ulciſci poſſemus, iniuriam remittimus. Sed in rebus publicis, ac propterea etiam in iure reddendo ad ſolum principem ſpectare debet, uel ad illos, qui parem cum principe poteſtatem habent, ut & 13
ſupra diximus. Eſt uerò interdum, cùm etiam in principe clementia damnatur, et merito quidem; nam ſi æquè cum omnibus facilis, & benignus erit princeps, ac non ſeſe in delictis uindicandis, improbiſque hominibus coercendis ſeuerum, quin & ubi opus fuerit, atrocem oſtenderit, multos ea facilitate ad delinquendum inuitabit, ac fortaſſe etiam ſubiectos ſibi populos parùm obſequentes habebit; quo fiet, ut imperii dignitas, & autoritas non parum minuatur. Hoc ipſum Neruæ Romano Imp. uitio datum fuiſſe legimus, 14
quod nimium miti, & manſueto eſſet ingenio. Siquidem multi nimiam illam bonitatē eo uerbo notarunt, quòd dicerent, deterius eſſe ſub eo principe uiuere, per quem omnia liceant, quàm ſub eo, per quē nihil liceat. Vſqueadeò autē creuit indies eius cōtemptus, ut ut cùm uideret ipſe nullam ſe apud ſuos retinere autoritatem, hac de cauſa Traianum illum optimū imperatorē adoptauerit, eique imperii inſignia Coloniam miſerit. Multoq; etiam magis nimia principis clementia damnanda erit, ſi cuipiam detrimento fuerit, ut 15
ſi fortè is pœnam alicui remiſerit, quæ parti fuiſſet applicanda. Namque hìc præſertim « ualet illud. Non misereberis in iudicio pauperis, hoc eſt enim de alieno largiri, debitā

pœnam

Digitized by Google

pœnam remittere. Facitq; ad hoc reg. l. 2. §. meritò.ff. ne quis in lo. publ. cum alijs
multis, quæ vulgò ad idem adducuntur. Et hæc ſpectant ad primum caſum ex ijs tri-
bus, quos nobis in hoc poſtremo cap. conſiderandos propoſuimus. Secundus caſus
erat ille, cũ id de quo diſceptatio eſt, in lege prorſus omiſſum fuit. Et tunc clarũ eſt æqui
16 tati locum eſſe poſſe, cùm uideamus ſæpè iuriſconſultos, ſupplere ea, quę legibus fuerãt
prætermiſſa, ut l. 2ª. §. ſi mulier. ff. ad Tertul. l. ſi quis id quod. ff. de iuriſdict. omn. iud. l. fi-
liũ habeo. ff. ad S. C. Maced. Nec dicã, ut ſæpè ſolent dicere noſtri interpretes, in his
locis extenſionem fieri à lege, cum fiat à iuriſconſultis, qui legis condendæ poteſtatem
17 habebant, ut tradit Bart. in l. Gallus. in princ. ff. de lib. & poſth. & uidetur probari in
§. reſponſa. inſt. de iure nat. gent. & ciui. Nam minimè ambigendum puto, quin
Bart. & alij hac in re pueriliter errauerint. Cum uerè iuriſconſulti interpretũ munere
tantùm fungerentur, ut probatur arg. eius l. in §. ille caſus, & l. penult.ª ff. de leg. 1.
Idq; nos (ut ſpero) planum faciemus, cùm quę ſcripſimus ad l. Gallus. Deo adiuuan-
te, emittemus. Poſſet quidem rectè fortaſſe hæc reſponſio afferri ad eas leges Codicis,
in quibus ſuppleri aliquid uidemus, nam feciſſe hoc Imperatores non mirum eſt, qui ius
cõdere potuerunt. Verùm animaduerto ipſos quoque Impp. ſæpenumero ijs uerbis uti,
quibus perſpicuè oſtendunt, hac in re legis autoritatem non recquiri, ſed ſolo interpre-
tis miniſterio id permiſſum eſſe, ut in l. non ſine. C. de bo. quę lib. in l. quanuis. C.
de fideicom. & l. his ſolis. §. j. uerſ. tacitè cautum putamus. C. de reuo. do. Neque uerò
propterea nos affirmamus leges ſemper ad omnes caſus extendi, in quibus earum ra-
18 tio locum ~~habere uidetur~~. Eſt enim interdum, cum eiuſmodi extenſio non fiat, ut in
l. ſi uerò. §. de uiro. ff. ſolut. mat. quam legem, & alias ſimiles Bart. in l. omnes populi
in 4. quæſt. 6ª. quæſt. princ. ita ~~accipiendas existiment~~, ut tunc procedant, cum ca-
ſus ille omiſſus, de quo controuerſia eſt, alia aliqua lege fuit deciſus: Tunc enim ad ca-
ſum omiſſum lex non extenditur, ac tanto minùs etiam extenderetur, ſi fortè lex illa
de cuius interpretatione agitur, priuilegium aliquod induceret, iuxta l. quod conſtitu-
tum. ff. de milit. teſt. aut alio quocunque modo ſtricti iuris materiam contineret.
19 Vulgatum eſt enim apud nos, in ijs quæ ſtricti iuris ſunt, caſum non expreſſum tan-
quam omiſſum haberi, & iuris communis regulis reſeruari. l. ſi cùm dotem. in princ. ff.
ſolut. mat. l. commodiſſimè. ff. de lib. & poſth. Et hoc rectè etiam probat quod
tradit Gord. in l. 2. C. de noxal. act. Verùm non id nobis hoc tempore propoſi-
tum eſt, ut caſus omnes enumeraremus, in quibus uel poſſent, uel non poſſent leges
extendi; tantùm enim quærimus in præſentia, an ęquitati locus tunc eſſe poſſit, cùm
caſus de quo agitur, à legiſlatore planè omiſſus eſt. Vt autem probemus ęquitati tunc
locum eſſe poſſe, ſatis eſt oſtendiſſe, ſolere leges interdum ad ea extendi, quæ præter-
miſſa ſunt, ut rectè oſtendunt leges omnes ſuperius adductę. Quod uerò non tantùm
permiſſa hæc extenſio, ſed planè neceſſaria ſit, oſtendit Iuli. in l. non poſſunt. ff. de legi.
Cum dicit non poſſe omnes articulos ſingulatim legibus comprehendi, ſed neceſſariũ
eſſe iudici ad ſimilia procedere, quod & Vlp. tradit in l. ſeq. Non tamen id facere li-
cebit in ijs, quæ contra iuris rationem recepta ſunt, ut habetur in l. quod uerò,
& in l. in ijs. ff. de legi. At hæ leges pariter omnes, cùm ea tantùm excipiant, quæ
contra iuris rationem ſunt conſtituta, oſtendunt reliqua omnia ad conſequentiam
produci poſſe. Idque poſſe fieri etiam in correctorijs frequentius admittunt noſtri in-
20 terpretes, dummodò ratio ſit expreſſa, ex qua extenſionem ſumere uolumus. Ita conclu

AA dit

Digitized by Google

dit gloſſ. in clem. 1. in uer. eligatur de elect. quam cæteri paſſim ſequuntur. Bald. in au-
then. quas actiones col. 2. C. de ſacroſan. eccl. Butrius in c. ult. de conſuet. Deci. in rub.
extra de reſcript. Socin. alijq; recentiores in rub. ff. ſolut. matr. ubi nos quoq; pleniſſimè
hac de re aliquando egimus. Et hanc appellant potius comprehenſionem, ſiue intenſio-
nē, quàm extenſionē, ut Bald. in l. de quibus col. 5. ff. de legib. At quādo ratio non eſt ex-
preſſa, non concedunt legē correctoriā poſſe ad caſus ſimiles produci, niſi lex eiuſmodi
ſit, in qua unica tātùm ratio aſſignari poſſit: nam tunc quoq; extenſio permiſſa eſt, ut di- 21
cunt Accurſ. Cynus, & alij in l. quāuis. C. de fideicō. Bald. & Imol. in l. ult. ff. de hęred.
inſt. item Bald. in l. maximum uitium. C. de liber. præter. Alex. in l. ſi conſtante col. 5. ff.
ſolut. matr. Idem dicendum eſſet, ſi plures eſſent rationes, quæ tamen omnes æquè illi 22
caſui conuenirent, ad quem uellemus legem extendere, neque enim minus eo modo
aperta eſſet legislatoris uolūtas, quā potiſſimū debemus intueri, cū de ipſius legis produ
ctione agimus. l. benignius cū ſimilib. ff. de legib. Sic uidemus hoc ſecūdo caſu, noſtros
quoq; interpretes æquitati locū re ipſa dediſſe, licet illud nō animaduerterint, huic extē
tioni maximè propriè æquitatis nomē cōuenire. Tertius & ult. caſus, quē ſupra propo
ſuimus, is fuit, cū id quod ī cōtrouerſiā reuocat̄, neq; expreſſim lege deciſum eſt, neq; etiā
prorſus omiſſum, ſed uerbis tantùm generalibus ꝯprehēſum. Et in hoc pariter conclu-
dendū eſt, poſſe nos ex æquo & bono legē interpretari, & quod nimis generatim in ea
traditū eſt, coanguſtare, ac moderari. Attamen non id paſſim fieri poſſe admittendū eſt;
Nam extat uulgare illud quidē apud nos, ſed ueriſſimū pronūciatū, Generàtim prolata,
eſſe itidē generatim, ac ſine ulla reſtrictione accipienda. l. 1. §. generaliter. ff. de leg. p̄ſtād. 23
l. de pretio. ff. de publi. in rem act. Quare non ſemper cùm legis ratio ceſſare uidetur, te
merè à legis præcepto recedere poſſumus; ut ſi, gratia exempli, lex municipalis puniat
eum, qui noctu arma tulerit, nō debemus illicò ſenem liberare, qui cū armis noctu inuē-
tus ſit, quāuis ea ſit ætate, quæ ad digladiandum non ſit idonea. Licet enim ratio legis
in eo ceſſet, tamen poteſt legis ſententia ad eū quoq; pertinere, ne ſi ei detur uenia, exē-
plo ea res dānoſa ſit, atq; aditū forſan patefaciat, unde legi fraus fieri facilè poſſit. Et ita
rectè concludit Domin. Sotus lib. 1. de iuſt. & iur. quæſt. 6. art. 8. Puto ego & in hoc, 24
& in alijs eiuſmodi exemplis eſſe antè omnia diligenter inſpiciendum, uerè nè legis ra-
tio ceſſet, quod in propoſito exemplo non facilè admiſero, nam uel ſi maximè iſte ſe-
nex ſit, cùm tamen annis non impediatur, quo minus noctu cum armis eat, à feriendi
certè ſuſpicione nō prorſus aberit. Multa eiuſmodi ſępè reperiemus, in quibus ratio qui-
dē nō tāta ſubſit, ſed tamē nō prorſus ceſſet. Quod uerò aliquo caſu minor ſubſit ratio, 25
non ſatis cauſæ eſt, ut propterea à generali legis regula recedere debeamus, ut docet So-
cin. in l. 2. §. ex ijs inf. tit. noſtro. Alciat. lib. 1. de uerb. ſig. latè Doct. fermè omnes in
l. 1 C. de eden. Et probat̄ hoc in l. in fraudē. §. ult. ff. de milit. teſt. & in l. 1. §. quod autē. ff.
de aleæ luſu & aleat. Nam cùm aliqua ex parte ratio uigeat, legis uoluntas prorſus defi-
cere non poteſt. Cùm autem ſubſit legis uoluntas, eaq; reſtrictioni aduerſetur, non poſ-
ſet dici facta hæc reſtrictio ex æquo & bono, cùm id unum æquitas agat, ut legis
uoluntatem inuiolatam conſeruet. Iam uerò ſi non paſſim, aut temerè, cùm gene-
raliter leges loquuntur, earum reſtrictio facienda eſt, & illa tamen interdum fit, uiden-
dum eſt, quid nam ſit, ex quo poſſimus cognoſcere, quando uerba legis gene-
ralia ex æquo & bono coanguſtari poſſint. Non ſatis commodè poteſt hoc ex
omni parte explicari, cùm in ſingularibus, atque indiuiduis factorum ſpecie-

bus

Digitized by Google

bus poſitum ſit, multaq; ſæpè concurrant, quę multis modis interpretationem uariare
ſolent. Quæ omnia, ſicut lege comprehendi non poſſunt, ut poſt Ariſtot. tradit Iul. in l.
non poſſunt. ff. de legib. ita neque à nobis poſſunt certis regulis definiri. Sed tamen duo
26 mihi pręcipua uidentur eſſe, ex quibus legis reſtrictio rectè deſumatur. Primùm eſt, cùm
uidemus non poſſe legem generatim accipi, quin abſurdum aliquod ſequatur: tūc enim
eius uitandi gratia legis diſpoſitio coarctari omninò debet, ut rectè tradit Rainer. in
l. omnes populi nu. 74. ff. de iuſt. & iur. cui hac in re conſentit Bart. in l. Cæſar. ff. de
publica. Qua de re minimè mihi dubitandum uidetur, cùm nihil ſit quod nobis iuriſcō-
27 ſulti crebrius inculcent, quàm uerba ita eſſe accipienda, ne abſurdum ex ijs aliquod
oriatur, ut habemus in l. 2. ff. de cond. inſert. in l. aliud. §. abſurdum. ff. de reg. iur.
l. ex facto. ff. de uulg. & pupil. l. abſurdum. ff. de bonis libert. l. in ambiguo. ff. de legi.
l. Pomponius. ff. de neg. geſtis. l. ſi quis à filio. ff. de leg. 1. l. conſulta diualia. C. de teſta-
28 men. Abſurdum autem ita accipiendum eſt, ſi fortè lex generaliter accepta alteri le-
gi aduerſetur, tunc enim ea ipſa lege declarari, & reſtringi debet, arg. l. non eſt nouū.
ff. de legib. uel ſi reclamet iuri naturali. Nam hoc uſqueadeò abſurdum eſt, ut quæcun
que uerè abſurda dici poſſunt, ad hoc unum fermè omnia redigantur. Habemus à
Bart. in l. omnes populi. exemplum illud de ſtatuto Bononienſi imponente pœnam
capitis ei qui fecerit ſanguinem in palatio, à quo eximetur & tonſor, & chirurgus, qui
id fecerint ſalutis gratia; quoniam alioquin eſſet abſurdum, rationiq; naturali repugna
29 ret, ut innocens puniretur. Putat tamen Bart. ſecus dicendum fore, ſi eiuſdem ipſius ſta
tuti pœna nullum afferret damnum, ſed in ſola alicuius cōmodi, atque lucri amiſſione
conſiſteret. At in hoc ultimo frequentiùs reprobatur, & rectiſſimè quidem ab Alex. &
alijs, qui hac in re nullam lucri, uel damni diſtinctionem admittunt. Exemplum etiam
illud hanc rem maximè apertam facit, quod affert Domin. Sotus lib. 1. de iuſt. & iur.
quæſt. 7. art. 3. Lex eſt, quæ infames, uel obſcuris parentibus ortos prohibet equos
conſcendere. Latrones in eum locum impetum faciunt, in quo eiuſmodi homines mul-
ti degunt; iſti cùm uideant ſe non alia ratione latronum manus effugere poſſe, uitæ ſuæ
præſidium quærentes equos aſcendunt, ac citatis curſibus ſeſe illis ſubducunt. Dubium
non eſt, quin à pœna legis immunes eſſe debeant. Si enim hanc quoque ſpeciem lex
complecteretur, aduerſaretur legi naturali, quę nobis dictat, ut uitam, corpusq; omni
ratione tueamur. Hac eadem de cauſa Eccleſiæ quoque generale præceptum reſtringi
30 poſſe Theologi admittunt. Nam nec feſto quidem die tenereris ad ſacrum ire, ſi certò
ſcires paratas tibi in uia ab inimicis fuiſſe inſidias, ut rectè poſt diuum Thomam con-
cludit idem Sotus eod. lib. 1. quæſt. 7. art. 8. Et hoc eſt primum, unde diximus ge-
neralis legis reſtrictionem deſumi poſſe. Alterum eſt, cùm perſpicuum eſt legiſlato-
rem ſpectaſſe rationem aliquam quā conſtet non uigere in ea facti ſpecie, quam uolu-
mus à generali legis regula eximere, ſed rectè utrunque ex his conſtare, uel planum
fieri neceſſe eſt, ut hoc nomine reſtrictio fieri poſſit. Lex iure patroni eum priuat, qui
libertum adegerit, ne contrahat matrimonium, neue liberos tollat. Apertiſſima hìc le-
gis ratio eſt, ne ſcilicet publica utilitas lædatur, quæ in eo maximè poſita eſt, ut re-
pleatur ciuitas liberis hominibus. l. 1. ff. ſolut. matri. Iam uerò tu cogis iurare liber-
tum, ſed eum caſtratum, qui uel ſi non iuraſſet, tamen nec ducere uxorem, nec
liberos ſuſcipere poſſet; Compertiſſimum eſt prædictam legis rationem hìc ceſ-
ſare, quare uidemus ex æquo & bono excipi à lege hanc ſpeciem, ne tu,



Digitized by Google

qui hoc feciſti, pœna legis tenearis, uulgatiſſima. l. adigere. §. quãuis. ff. de iure patr. Idem dicemus cum initio adeſt quidem illud, quod legi cauſam præbuit, ſed poſtea finitur, ita ut cauſæ illius ne ueſtigium quidem ullum remaneat, quod apertè docet Papini. in l. in « omni. ff. de adopt. In omni fermè iure (inquit) finita patris adoptiui poteſtate, nullum « ex priſtino retinetur ueſtigium. Denique & patria dignitas quæſita per adoptionem, fi- « nita ea, deponitur. Huc pariter ſpectat exemplum illud, de eo qui imprudens ferreo annulo alterum percuſſit, Item quod de peregrino, & quod de tyranni interfectore, & 31 reliqua, quæ ex Ariſtot. Euſt. & alijs attulimus. Ita denique accipiendæ ſunt & leges illæ omnes, quibus probatur trita illa iuris regula, ceſſante cauſa ceſſare effectum, ut l. ſi duas. §. penult. ff. de excuſ. tut. l. ex facto. in princ. ubi Alex. infert ad multas queſt. ff. de uulg. & pupil. l. actione. §. item ſi alicuius. ff. pro ſocio. l. ult. ubi Accurſ. & Bart. ff. de teſtamen. tutela. l. qui cũ hærede. ff. de act. & oblig. Bart. in l. omnes populi, in 2. quæſt. 6ª. quæſt. princ. nõ ſatis eſſe putat, quod cauſa, & ratio legis penitus ceſſent, ut legis pœnam quis effugiat, ſed illud inſuper requirit (quemadmodum & paulò antè diximus) ut pœna damnum inferat aliquod, ac non ſolam lucri amiſſionem contineat. Verùm in hoc frequentius illum reprobant cęteri interpretes, ut Alex. in d. l. omnes populi. Deci. in conſ. 60. Alciat. lib. 1. pag. xi. de uerb. ſig. Qui omnes ſentiunt, ad reſtrictionem id ſatis eſſe, quod prorſus legis ratio ceſſet, iuxta c. cum ceſſante. extra de appel. Cùm enim ratio (ut vulgò fertur) ſit anima legis. l. cum pater. §. dulciſſ. ff. de leg. 2. Conſequens certè eſt, non poſſe legem in ijs ſpeciebus roboris aliquid habere, in quibus ratio legis, ac propterea etiam legislatoris ſententia deficiat. l. 1. in 1. reſponſo. iuncto §. hæc uerba, & §. hoc edicto. ff. ne uis fiat ei. l. 1. in princ. & §. 1. ff. ne quid in lo. ſacr. c. miramur. extra de ſer. ordinan. Hanc communem concluſionem generatim accipiunt non tantùm, cùm in lege ratio fuit expreſſa, ſed etiam cùm expreſſa non fuit, ſi modò illa unica ſit, tunc enim perinde eſt, ac ſi fuiſſet expreſſa, ut docet Accurſ. in l. quanuis. C. de fideicom. quem frequentiùs ſequuntur alij interpretes in l. maximum uitium. C. de lib. præterit. Cùm dicunt ſtatutum illud, quo maſculis ex- 32 tantibus, fœminę excluduntur, fauore agnationis tantùm fuiſſe introductum, quanuis ea ratio non exprimatur, quicquid contra ſenſerit Bart. in l. 1. C. de adult. Idem affirmandum eſt, cum duabus rationibus quid conſtitutum apparet, quæ tamen ſingulæ efficaces non ſunt, ac per ſe non ſufficiunt: nam altera ceſſante, æqui boniq; ratio poſtulat, ut quod eſt introductum extinguatur, ut & Alci. concludit lib. 1. pag. 5. de uerb. ſig. dum affert exemplum illud de l. ſi familia. ff. de iuriſdict. omn. iudic. iuncta l. illud. ff. ad l. Aquil.

## ARGVM.

Ex prędictis rectè ſolui nobilem illam antinomiam de l. 1. C. de legi. & l. placuit. C. de iudicijs. Quanquàm ad l. 1. poteſt alius intellectus afferri, qui Conſtantini & ſententiæ, & uerbis multò magis applaudet.

1 Quando ſit adeundus Princeps, qui legem obſcuram interpretetur.
2 Solutio diui Thomæ, licet per ſe ueriſſima ſit, tamen uerbis Conſtant. non ſatis conuenit.
3 Ineptè Accurſ. exponit interpoſitam, hoc eſt interponendam.
4 Noua intelligentia. l. 1. C. de legib.

5 Naturali-

5 Naturaliter euenit, ut interpretationem leges deſiderent.
6 Quanti referat unam potius, quàm alteram recipi interpretationem legis.
7 Quorum iuriſconſultorum commentaria Theodoſius pro legibus approbarit.
8 Aequitati ſuum locum reſeruat Theodoſius.
9 Non de particulari, ſed de generali legis interpretatione loquitur Conſtant. in d. l. 1.

## C AP. XXXV.

EX his omnibus, quæ ad huius quæſt. explicationẽ tradita ſunt, optimè illud ẽt intelligimus qua ratione ſimul conſiliari poſſint duæ illæ leges Conſtan. quarum altera æquitatis uſum iudici cõcedit, & habetur in l. placuit. C. de iudic: Altera uerò quę habetur in l. 1. C. de legib. nõ alii, quàm principi permittit, ut ex æquo & bono leges interpretari poſſit. Dicemus ergo, tũc demũ ſoli principi interpretationẽ reſeruari, cũ nõ modò uerba legis dubia ſunt, ſed & uolũtas incerta. Cũ enim legis uoluntatẽ æquitas potiſſimũ intueatur, ac proptereà ibi æquitati locus eſſe nõ poſſit, ubi uoluntas incerta ſit, ni-
1 hil aliud reliquũ eſt, niſi ut Princeps adeatur, q. certius aliquid decernat, ut in l. & ideò. ff. de legib. & l. leges ſacratiſſimę, cùm tribus ſequent. C. eod. de legib. Alioquin ſi quid uel minimũ eluceat, cuius ope ad legislatoris uolũtatẽ perueniri poſſit, poterũt ipſi quoq; iudices ex æquo & bono legem interpretari, ut probatur ex l. in omnibus. ff. de reg. iu. ex l. ſi ſeruum. §. ſequitur infra tit. noſtro, cum aliis tàm multis ſuperius adductis. Et ita intelligimus l. placuit. C. de iudic. Hanc ſolutionem primus (ut dixi) tradidit Diuus Thomas, eandemque poſtea Franc. Conna. probauit. Ac certè illam ego quoque ſatis probabilem
2 eſſe iudico. Verumtamen nonnulla animaduerto in illa l. 1. C. de legib. quibus adducor, ut quamuis hæc diſtinctio per ſe ueriſſima ſit, non tamen eam exiſtimem illi legi ſatis conuenire, aut omnem prorſus dubitationem tollere. Primò enim dicit Conſtant. interpoſitam iuterpretationem ſibi ſoli inſpicere licere, quibus uerbis non uidetur prohibere, quominus à quocũque, ubi opus ſit, interpretatio ex ęquo & bono adhiberi poſſit, cùm loquatur de ea tantùm interpretatione, quæ iam fuit interpoſita. Turbauit hoc & Ac-
3 curſ. qui propterea expoſuit interpoſitam, hoc eſt, interponendam aliaſq; nonnullas ſolutiones attulit, quæ non tantùm falſæ, ſed & planè abſurdæ ſunt. Præterea de ea interpretatione Conſtant. loquitur, quæ fuit interpoſita inter ius, & æquitatem, quæ uerba faciunt, ut non rectè uideantur mihi ſentire, qui ibi propriè æquitatem ſumunt pro emẽdatione, & interpretatione legis, quæ fit ex æquo & bono. Etenim non niſi ineptiſſimè quis dixerit, interpretationi ex æquo & bono (niſi fortè ea eſſet ſcripta, & in legis formã redacta) interpretationem adhibitam eſſe. Illud quoque poſtremò nõ parùm huic expoſitioni aduerſatur, quòd ea lex generaliter loquitur, Vnde non uidetur carere diuinatione illa reſtrictio, quòd dicamus eo tantùm caſu loquutum eſſe Conſtant. quo lex penitus incerta eſt, ac nihil planè eſt, unde legislatoris uoluntatẽ aſſequi poſſimus. Quoniam ergo ſua cuique coniectura eſt, dicam ego quoque quid hac in re uerius eſſe exiſtimem. Crediderim ipſe alio modo hanc legem intelligi poſſe, ut rectè conueniat cum alia illa l. placuit, quæ primo aſpectu ipſi uidetur eſſe contraria. Animaduerto conſtit. l. placuit inſertam eſſe tit. de iudic. cui ſanè maximè conuenit, cum in ea Conſtant. præſcribat iudicibus, quid in iudicando ſequi illos oporteat, pręcipit enim, ut maiorem æquitatis q.
4 ſtricti iuris rationẽ habeat. At illa l. 1. ſubiicitur tit. nõ de iudic. ſed de legib. atque ob id credibile

credibile non eſt, uoluiſſe ibi Imperat. de iudicandi ratione quicquam præcipere, ſed aliò
potius exiſtimandum eſt illius legis deciſionem ſpectare. Vt autem planius fiat, quid nam
ſibi Conſtant. ibi uoluerit, conſiderandum eſt in tanta rerum, actionumque uarietate,
quas legibus definire neceſſe eſt, non poſſe ipſas leges tàm apertè, & dilucidè ſcribi, quin
eæ interdum nõnullis in rebus uideantur à iuſtitiæ ſemita declinare, Ita ut non ſolum iu-
dicum deſiderent moderationem, quæ uariè à uariis adhiberi poſſet, ſed certam quan-
dam, ac generalem interpretationem expoſcant, atque ea in re prudentiorũ ingenio, &
peritia indigeant. Siquidem iudices, quippe qui ob forenſes occupationes in omnibus le 5
gum uerbis ſubtiliter perpẽdendis non diù immorari poſſunt, nõ omnes eiuſmodi ſunt,
ut dubii, ac perplexi legum nodi tutò ipſis committi poſſint, quare rectè dicit Pompon.
in l. 2. §. his legib. ff. de org. iur. leges 12. tab. cùm primùm latæ fuerunt, prudentum
autoritatem deſideraſſe, idque ait naturaliter euenire ſolere. Permagni uerò ſanè mo-
menti ſunt eiuſmodi interpretationes, & quemadmodum illas adhiberi prorſus neceſſa-
rium eſt, ita plurimi refert, an hoc, uel illo modo fiant. Itẽ poſteaquàm factæ ſunt, vtrùm
ſeruentur paſſim ob omnibus, & in iudiciorũ mores recipiantur, quandoquidem poſſunt
legum ſenſus in hanc, uel illam partẽ deflectere, ac ſæpè interpretationis colore leges cor- 6
rigere, atque mutare. Quare cùm hoc Conſtantinus animaduerteret, cumque uideret
fortaſſe iuriſconſultorum peritiam, & autoritatem iudices aliquos mouere poſſe, ut pro-
pterea interpretationi illi quaſi addictos ſe eſſe arbitrarentur, quam inſignis aliquis iu-
riſconſultus in legem quampiam edidiſſet; fierique etiam poſſe, ut præfectus Prætorio,
uel Preſides prouinciarum, aut alii quicunque, qui iuriſdictionem aliquam obtinerent,
eiuſmodi interpretationes approbarent, eaſque ſeruandas præciperent, nequaquam id
ferendum putauit, Intelligebat enim hoc ipſum nomine quidem interpretari, re ipſa
uerò nihil aliud eſſe, quàm legis condendæ ſibi facultatem uendicare. Quare in hac l. 1.
C. de legib. huic periculo prouidè occurrit, ſtatuitque, ut ſi quando aliqua eiuſmodi in-
terpretatio legi cuipiam fuerit adhibita ab aliquo forſan iuriſperito, qui iuris ſcripti du-
ritiem profiteatur ſe uelle ad æquitatem reuocare, ſoli liceat Imperat. illam inſpicere, atq;
approbare, imò uerò non tantùm liceat, ſed omninò fieri illud oporteat, cùm alioquin
nulla poſſit eius interpretationis autoritas eſſe. Hac de cauſa uidemus poſtmodò Theo 7
doſiũ Papiniani Pauli, Cai, Vlpiani Modeſtinique ſcripta approbaſſe, aliorũque itẽ uetu-
ſtiorum, quorũ ipſi autoritate utebantur, ut in l. unica. de reſponſis prudentum in C.
« Theodoſiano, ubi ita Theodoſ. inquit. Papiniani, Pauli, Cai, Vlpiani, atque Modeſtini
« ſcripta uniuerſa firmamus, ita ut Caiũ, atq; Paulũ, Vlpianũ & cæteros comitetur autoritas
« lectionis, q̃ ex omni opere recitatur. Eorũ quoq; ſcientiã quorũ ſententias in operib⁹ ſuis
« miſcuerunt, ratam eſſe cenſemus, ut Scæuolæ, Sabini, Iuliani, atq; Marcelli omniumque
quos illi celebrarunt. Interpretationes ergo, ac reſponſa iuriſconſultorum ita demum
generalis legis autoritatem obtinebant, ſi uel expreſſim ab imperatoribus fuiſſent con-
firmatæ, uel permittentibus ipſis in iudiciorum mores, & conſuetudinem eſſent introdu-
ctæ. Atque hac de cauſa toties Vlp. & alii teſtantur huius, uel illius iuriſconſulti ſenten-
tiam receptam eſſe, modò enim Iuliani, modò Sabini, aliorumue uetuſtiorum traditio-
nes dicunt obtinuiſſe. l. penult. ff. de leg. 1. l. Gallus. §. ille caſus, cum multis ſimil. ff.
de lib. & poſth. Itaque tunc iudicum æquitas, ac moderatio in legum interpretatione nõ
erat neceſſaria, niſi cùm prædictorum iuriſconſultorum ſcripta in legem aliquam non ex
tabant, uel fortè ipſorum ſententiæ pro utraque parte pares erant, ut Theodoſ. ibidem ſu 8
biicit.

Digitized by Google

biicit. Vbi autẽ(inquit)pares eorum ſententiæ recitantur,quorũ par cenſetur autoritas, " quod ſequi debeat eligat moderatio iudicãtis &c. Veriſſima(meo iudicio)hęc ſolutio eſt, " atque ex ea optimè ſimul conciliantur hæ duæ leges, quæ inter ſe uidebantur pugnare. Siquidem in l.placuit, quæ ſubiicitur rubr.de iudiciis, loquitur Conſtant. de iudicis moderatione; atque ob id meritò ſtatuit, apud eum potiorem æquitatis rationem eſſe debere, id quod & aliæ multæ leges(quemadmodum uidimus)non permittunt modò,ſed pla
9 nè præcipiunt. At in l.1. quam ſub tit.de legib. Iuſtin. collocauit, de generali legis interpretatione agitur, quæ tanti momenti eſt,ut legem reformare,ac quaſi mutare poſſit, cùm præſertim inter ius ſcriptum interpoſita ſit, & id quod æquitas, ac iuſtitia poſtulare uidebatur, unde maxima cum ratione ibi deciditur à ſolo Imp. eam inſpici oportere. Atque in hunc modum planè tolluntur illi omnes ſcrupuli,qui nos in ſuperiori expoſitione non immeritò offendebant. Etenim primò rectè quadrat uerbum illud, interpoſitũ, nec eſt neceſſe cum Accurſio exponere, interpoſitam, hoc eſt interponendam. Rectiſſimè etiam loquitur Conſtan. de interpretatione interpoſita inter ius, & ęquitatem, cùm ea tunc interponi ſoleat, cùm ius ſcriptum ab æquitate, iuſtitia,& honeſtate uidetur primo aſpectu diſſidere. Præterea nihil erit neceſſe generalem illius legis diſpoſitionem coanguſtare, uerè enim poſſumus generaliter affirmare, nullam eſſe interpretationem hoc modo interpoſitam inter ius,& ęquitatem, quæ pro lege obſeruanda ſit, niſi prius illam princeps inſpexerit,& approbarit. Accedit poſtremò(id quod certè maximè unumquemq; mouere debet) quod ſi hæ leges in hunc, quem diximus modum intelligantur, utraque ~~illi titulo, cui~~ ſubiecta eſt, mirifice conueniet.

## ARGVM.

Rectè ne ſenſerint noſtri interpretes, qui Iudęos ab omni æquitate excludendos putarunt.

1 Materia tituli de eo quòd certo loco, nõ habet locum in Iudæis ſecundum Iaſonem.
2 Quare regula.l.merito.ff.pro ſocio, & alię ſimiles credantur in Iudæis non procedere.
3 In iis in quibus aduerſatur iuris præſumptio, actus etiam indifferentes in peiorem partem accipiuntur.
4 Ex genere,& ſtirpe præſumptio.
5 Verior ſententia eſt, ipſos quoque iudæos æquitatis compotes eſſe.
6 Negandum non eſt, quin multis in rebus deterior Iudæorum, quàm Chriſtianorum conditio ſit.
7 Poteſt Iudæus uti exceptione præſcriptionis contra Chriſtianum.
8 Permittitur etiam Iudæis moram purgare quicquid contra Iaſon ſentiat.
9 In iis tantùm quæ ad religionẽ ſpectant,aduerſatur Iudæis iuris præſumptio.
10 Ex facto quæſtio.
11 Poſſit ne Deus ſum. & opt. quod factũ eſt infectum reddere.
12 Non de omni religione debet intelligi, quod dictum eſt, in rebus ad religionẽ ſpectantibus, malè de iudæis præſumi.

## CAP. XXXV.

Qvoniam uidimus quinam poſſint,& quando poſſint æquitate uti, videndum nunc eſſet, cum quibus ea ipſa uti poſſint, ſed paucis in hoc agemus, cum hæc res non eiuſmodi ſit, quæ diu nos remorari debeat. Noſtri interpretes in ea ſen

tentia

Digitized by Google

tentia ſunt, ut in hoc non idem de Iudæis, ac de Chriſtianis hominibus ſit iudicandum, ſed Iudæi ab omni prorſus æquitate ſint excludendi, cuius tamen Chriſtianos planè omnes compotes faciunt. Sentit hoc gloſs. in c. 2. in uerb. iuris ſeueritate. extra de Iudæis Item Iaſon in l. quod Epheſi. §. interdum col. ult. in fin. ff. de eo quod cer. lo. ubi pro- 1
pterea concludit totam eius tit. materiam reſtringendam eſſe, ut locum non habeat in Iudæis, quam reſtrictionem commendat ut nouam, & ante ipſum inauditam. Quocirca ſi quis promiſerit Iudæo, certo loco ſoluere, & quia ibi ſolutum non ſit, alio in loco petatur, non putat actionem effici arbitrariam, neque habendam eſſe rationem eius quod Iudæi intererat eo loco accepiſſe, quod ſibi promiſſum fuerat. Nam ut perſpicuè ſentit Iuſtin. in §. preterea inſt. de act. totum illud, qđ arbitrariã actionẽ facit, ab æquitate pendet, cuius compotes eſſe Iudæos Iaſon non concedit. Hinc propterea infert idem Iaſon in l. & ſi poſt tres. ff. ſi quis caution. fuſiusque in l. in inſulam infra tit. noſtro, negandam eſſe Iudæis purgationem moræ, cum eam ſola æquitate niti exploratiſſimum ſit. Et hoc quoque tanquam nouum, atque inſigne admodum extollit. Hanc eandem ſententiam amplectitur Franc. Niconitius in rub. de no. oper. nunci. nu. 85. cum multis ſequentibus, ubi ex ea infert in Iudæis non procedere illam regulam, ut quilibet bonus exiſtimetur, iuxta l. meritò ff. pro ſoc. quod ea ratione probat, quia cum ſuam Iudæi prauita- 2
tem in eo perſpicuè oſtendant, quod Chriſti ſeruatoris hoſtes ſunt, quodque Chriſtianis hominibus, à quibus benignè recipiuntur, & cohabitatione dignantur, ſe ingratos præbent, pro gratia contumeliam reddentes, ut inquit Rom. Pontifex in c. & ſi Iudæos, extra de iudæis; hac de cauſa faciunt locum illi præſumptioni, ut qui ſemel mali deprehenduntur, ſemper mali iudicari debeant. reg. ſemel malus, ubi Dyn. de reg. iur. in 6. l. ſi cui. §. iiſdem. ff. de accuſat. l. non omnes. §. à barbaris ff. de re milit. Habemus etiam quoties aliqua inueniuntur indifferentia, & quæ in utramque partem accipi poſſunt, ſi ab illis geſta 3
proponantur, quibus contraria eſt iuris præſumptio, ſemper ea in deteriorẽ partẽ accipi debere, & eo modo geſta præſumi, quo illicita ſunt, & inhoneſta, ut docet Bart. in l. inter omnes poſt medium. ff. de fur. & in l. falſus. §. qui alienum. ff. eod. tit. de fur. quem ſequitur Aretinus in c. dilecti filii. col. 2. de accuſat. Cõfirmat inſuper Niconitius hanc in Iudæos præſumptionem ea coniectura, quòd ex ſceleſtiſſimis hominibus originem trahant; poſſe enim ex gente, atque ex prima ſtirpis origine uel malitiam, uel probitatem 4
præſumi docet Vlp. in l. quod ſi nolit: §. qui mancipia. ff. de Ædil. edict. Zeno in l. ſi cohortalis C. de cohort. lib. 12. Sẽtitque etiam Cicero in orat. prò l. Muræna ubi. Catonis (inquit) proaui tui naturæ ſimilitudo ad te magis, qui ab illo ortus es, quàm ad unumquemque noſtrum potuit peruenire. Atque idipſum noſtri interpretes paſſim recipiunt Gandi. in opere malefic. ſub rub. de præſumpt. & indic. col. penul. Ang. in diſputatione incip. Aſtẽſis miles. col. 16. in fin. Dyn. in reg. ſine culpa de reg. iur. in 6. Hac de cauſa etiã exiſtimãt beneficio l. 1. ff. de ſolu. iudæos non potiri. Et deniq; ne fruſtra ſingula conſecter, ſicut æquitatem ipſam, ſic ea omnia, quæ ab æquitate proficiſcuntur, ipſis Iudæis prorſus denegant. Et licèt contra hanc ſententiam, quæ frequẽtius recepta eſt, nonnulla adducat Felyn. in d. c. 2. de Iudæis, tamen Iaſon in d. l. ſi inſulam col. 1. infra tit. noſtro, communis ſententiæ tutelam ſuſcipit, obiectaque illa refellere conatur. Ego uerò (ut quod hac in re ſentio paucis exponam) exiſtimo hæc omnia reiicienda eſſe, atque 5
omninò concludi debere, Iudæos quoque æquitatis compotes eſſe, ſiue propriè æquitatem accipiamus pro laxamento uerborum, ſiue etiam pro benignitate, in qua ſignificatione

tione tantùm uidentur Doct. eam accepiſſe, cum ab æquitate Iudęos excluſerunt. Et quidem ſi propriè eam ſumamus pro congruente legis interpretatione, quæ tunc fit, cùm laxantur uerba, ac ueroſimili legiſlatoris menti conuenienter aptantur, dubium non eſt, quin cum Iudæis, ut cum alijs quibuſcunque æquitate uti poſſimus: Etenim ſupra demonſtrauimus, eo modo ſumptam æquitatem non ſemper benignam, & mitem eſſe, ſed continere nonnunquam odium, & ad duritiem, ſeueritatemque poſſe inclinare. Vnde, uel ſi maximè concederemus de Iudæis ſemper malè pręſumendum eſſe, tamen eo ipſo quod hac præſumptione uteremur, interpretaremur ex ęquo & bono. Verè enim illud eſt ex æquo & bono interpretari, cùm omiſſa uerborum ſuperſtitione, trahimus legem ad eum ſenſum qui iuſtitiæ, & honeſtati maximè conueniat, & quem uel habuerit legiſlator, uel habiturus fuiſſet, ſi de ea re, quę uocatur in controuerſiam, ſpeciatim ipſi aliquid decidere in mentem ueniſſet. Quod ſi æquitatem pro benignitate accipiamus, tunc quoque arbitror concludendum eſſe, cum Iudæis pariter nos illa uti poſſe, Ideoque communem ſententiam à ueritate procul abeſſe: item & quas ex ea inferunt concluſiones, dum Iudæo-
6 rum conditionem quaſi certatim attenuant, atque deprimunt. Non id quidem ego affirmauerim, paria prorſus Iudæorum, ac Chriſtianorum iura eſſe: nam multæ leges ſunt tàm ciuiles, quàm Pontificiæ, quibus longè deterior Iudæorum conditio redditur, Cùm uideamus ipſis Iudæis officia publica, adminiſtrationesq́;, & dignitates interdici l. ult. C. de Iudęis. c. conſtituit. 17. quęſt. 4. aliaque item nonnulla denegari, quæ Chriſtianis non prorſus interdicta ſunt, ut quod habetur in d. c. 2. extra de Iudæis. Verùm ſi de ijs rebus loquamur, in quibus nihil diuerſum in Iudæis conſtitutum eſt, ut ſi de alicuius legis interpretatione agamus, quæ æquè omnibus ſcripta, ac generaliter concepta ſit, non uideo cur alio modo illam in Iudęis, alio in Chriſtianis hominibus accipere, aut cur in iudicando, alias in illis, atque in his regulas ſeruare debeamus. Imò enim hoc fieri non debere, non obſcurè ſentit Arcadius in l. Iudæi. 1. C. de Iudæ. quo loci ait Iudæos communi Chriſtianorum iure uti, ideoq; adire ſolẽni more iudicia, omnesq; Romanis legibus conferre, & excipere actiones. Ex eo, quod generatim, atque
7 uniuersè dicit poſſe Iudæos actiones omnes & conferre, & excipere, rectè probatur poſſe Iudęum exceptione præſcriptionis contra Chriſtianum uti, id quod expreſſim tradit Accurſ. in l. ſi fur. §. 1. in uer. uſucapere, & ibi Imol. ff. de uſucap. Manat uerò hæc exceptio præſcriptionis à rigore iuris, ut latè oſtendit Ludo. Roman. in rub. ff. de recep. arb. col. 1. Quare Fely. in d. c. 2. extra de Iudæ. non malè ſumit hinc arg. pro Iudæis; nam ſi contra æquitatem, quæ pro Chriſtiano eſt, poteſt Iudęus uti rigore, multo fortiùs debet poſſe uti æquitate contra rigorem. Ad hoc perpendi poſſunt aliæ etiam leges, ut l. nemo, & l. die ſabbati. C. eod. tit. de Iudæ. quæ leges non modò hanc differentiam inter Chriſtianos, & Iudæos non conſtituunt, ſed illi maximè aduerſantur, & apertè contrarium nobis inſinuant. Parùm autem mouere nos debent, quæ contra Fely. rationes conſiderat Iaſ. in d. l. ſi inſulam nu. 5. nihil enim dicit, quod ullius planè momenti ſit, Sicuti inania figmenta ſunt & alia, quæ de Iudęis idem Iaſ. cõminiſci-
8 tur, non poſſe Iudæum purgare moram. Item non haberi rationem eius, quod Iudæi intereſt, ſi in alio loco ipſi ſoluatur, quàm in quo promiſſum fuerat. Falſum etiam illud eſſe opinor, quòd Niconit. exiſtimat, non eſſe locum in Iudęis illi regulæ, quod quilibet præſumatur bonus. Quandoquidem ſi de re aliqua dubitari contingat, quæ ad



Digitized by Google

religionem nihil pertineat,ut cum de datis, & acceptis agitur, tunc ego ſemper in du-
biis quemcunque Iudęum uirum probum,ac ueridicũ potius,quàm mendacem,& frau-
dulentum iudicabo. Verumtamen in ijs quæ ad religionem ſpectant,non idem dixero, 9
uideo .n. ſemper leges noſtras in peiorem partẽ accipere, quæ in eiuſmodi rebus à Iudæis
geruntur, ut puta ſi ad eccleſias noſtras confugiant, Simulatè enim id facere exiſtiman-
di ſunt, et ita coniicit Arcadius in l. 1. C. de iis quæ ad eccleſ. confug. Item ſi auguſtiſſi-
mum,& ſanctiſſimum Chriſti nomen implorent, aut crucis ſigno in re aliqua utantur,
locisve ſuis depingant,contemptus gratia id facere rectè creduntur, Qua de cauſa id eos
facere prohibet Honorius in l.Iudæos.C.de Iudæis. Itaque in his tantùm rebus ualeat id
quod dicitur Iudæos malos præſumi,in aliis uerò nullam reperio rationem, cur id conce-
dere debeamus. Hinc uerũ illud forſan cuipiã uideri poterit,quod concludit Soc. conſ.
102. incip. in præſenti conſultatione in 1. uolum. ubi de ea facti ſpecie conſultus eſt. Cum
Iudęo Chriſtianus homo rixabatur,quòd diceret non idem ſibi reddi, quod præſtiterat, 10
pignus,ſed pro ſuo deterius aliud ſuppoſitum eſſe, Ad quem Iudæus iratus,non poteſt,in
quit,Deus facere,ut tuũ tibi pignus permutauerim. Accuſatur hac de cauſa Iudæus quòd
blaſphemauerit, ac propterea debeat pœnam illam ſuſtinere, quæ lege municipali huic
crimini adſcripta erat. Poterant hæc Iudæi uerba in bonam partem accipi,ut nõ blaſphe-
mandi animo eſſent prolata, cum Theologi concedant, non poſſe Deum ſummum, &
opt. quæ facta ſunt infecta reddere,non quia non omnia ipſe poſſit, ſed quia factum quid 11
eſſe, & non factum eſſe, ita pugnant, ut ſimul conſiſtere prorſus nequeant; id quod ibi
fatetur Socinus,ac multis etiam Theologorũ autoritatibus oſtendit. Verùm ait uerba po
tius contra Iudæum accipienda eſſe, ideoque eum pœna blaſphemię puniendum,quan-
doquidem ipſi ſemper aduerſatur iuris præſumptio; quod ipſum & nos,ubi agatur de re
bus ad religionem ſpectãtibus admittendũ diximus. At neque Socino in hoc aſſentien-
dum putamus, ſed in ſententiam Alex. ſumus propenſiores, qui hunc abſoluendum
reſpondit conſ. 15. incip. uiſo proceſſu inquiſitionis formatæ in 3. uolum. Neque uerò ſo
lum nos mouet ratio illa Alexandri, qui animaduertit Iudęum eadem uerborum conce-
ptione appellaſſe Deum omnipotentem, ſed eo potiſſimùm adducimur,quia quod di-
ximus malè de Iudæis præſumi quoties de religione agitur,in iis tantum rebus uerum eſt,
quæ ad religionem noſtram ſpectant,& hoc tantùm probant leges adductæ,nempe l.1.& 12
l.Iudæos.C.de Iudæis, at quod negaſſet Iudęus Deum omnipotentem eſſe, hoc non no-
ſtrę magis, quàm ipſorum Iudæorum religioni contrarium fuiſſet,cuius tamen illos uide
mus eſſe obſeruantiſſimos. Itaque concludamus ex hiſce omnibus,Iudęos quoque ip
ſos ęquitatis compotes eſſe;neque id tantùm, ſi pro laxamento uerborum, ſed etiam
ſi alio quocunque modo æquitatem accipiamus.

ALB. BOLOGNETI DE LEGE, IVRE,
ET AEQVITATE DISPVTATIONVM FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google